SYNOPSIS
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
SPECIALIS,

AD MENTEM S. THOMÆ AQUINATIS
HODIERNIS MORIBUS ACCOMMODATA.

VOL. SECUNDUM

de Deo Sanctificante et Remuneratore
SEU
de Gratia, de Sacramentis et de Novissimis

Auctore AD. TANQUEREY.

EDITIO TERTIADECIMA.

NEO-EBORACI, CINCINNATI, CHICAGIÆ,
APUD
BENZIGER FRATRES.
1911

Jus proprietatis auctor sibi vindicat.

SYNOPSIS
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

AD USUM

SEMINARIORUM

T. III.

C 1359.27.41

HARVARD COLLEGE
Mar 16. 1934
LIBRARY

Rev. Edmund J. Middleton

Synopsis Theologiæ dogmaticæ, auctore AD. TANQUEREY,
nova editio, anno 1911.

Nihil obstat.
Parisiis, die 27 Junii 1911.
F. MONIER, Censor. deput.

IMPRIMATUR. — Parisiis, die 27 Junii 1911.
✠ LEO-ADOLPHUS,
Arch. Paris.

Nihil obstat.
Tornaci, die 30 Septembris 1911.
V. CANTINEAU, Can. Cens. libr.

IMPRIMATUR. — Tornaci, die 30 Septembris 1911.
✠ C. G. Epūs Tornacen.

N

De Gratiâ.

Auctores consulendi.

Patres quatuor priorum sæculorum non explicite de gratiâ disseruerunt, sed obiter tantum, pauca videlicet scribentes de naturâ et incremento justificationis, de necessitate tum fidei tum bonorum operum ad justificationem, de effectibus et amissione gratiæ sanctificantis, necnon de bonorum operum indole ac merito; inter quos **Clemens Papa**, Ep. I ad Corinthios, cap. 31, 32, 50; **Justinus**, Apolog. I, n. 43; Dialog. cum Tryphone, n. 141; **Irenæus**, contra Hæreses, lib. III, c. XX, n. 2; lib. IV, c. XXXVI, n. 6; lib. V, c. IX, n. 1, 3; c. XI, n. 1, 2 etc.; **Athanasius**, Orat. I contra Arianos, n. 38-39; Orat. III c. Arian., n. 25; Orat. contra Gentes, n. 47; **Cyrillus Hierosolymitanus**, Procatech., n. 16-17; Catech. III, n. 12; IV, n. 21; XX, n. 6; **Gregorius Nazianz.**, Orat. VII, n. 15; XVIII, n. 13; XL, n. 45 etc. — *Sæc. V*, ortâ cum Pelagianis controversiâ, jam integros tractatus de rebus gratiæ Patres scripserunt, præsertim **Hieronymus**, Dialogus adversus Pelagianos; **Augustinus**, *Doctor gratiæ* recte nuncupatus, De peccatorum meritis et remissione libri III, Liber de spiritu et litterâ, De naturâ et gratiâ, De perfectione justitiæ hominis, De Gestis Pelagii, De gratiâ Christi et de peccato originali, Libri VI contra Julianum, Opus imperfectum contra Julianum, De gratiâ et libero arbitrio, De correptione et gratiâ, De prædestinatione Sanctorum, De dono perseverantiæ; **Prosper Aquitanus**, Epistolæ duæ, una ad Augustinum, altera ad Rufinum, Responsiones pro Augustino ad capitula objectionum, Liber contra Collatorem (i. e. Cassianum), Carmen de Ingratis; **Innocentius I**, Responsio ad Episcopos Concilii Carthaginensis, Respons. ad Ep. Conc. Milevitani, Rescriptum ad quinque Episcopos; **Zozimus**, Epistolæ, præsertim ea quæ *Tractoria* vocatur. — *Sæc. VI*, **Fulgentius Ruspensis**, De veritate prædestinationis et gratiæ Dei, contra Semipelagianos. — *Sæc. VII*, **Gregorius M.**, homil. in Ezechielem, IX, de gratiâ et libero arbitrio.

Inter **Theologos**: *Sæc. XII*, **Anselmus Cantuariensis**, De concordiâ præscientiæ, prædestinationis et gratiæ cum libertate; **Petrus Lombardus**, Sententiarum Libri IV, lib. II, dist. 29-29. —

Sæc. XIII, **Alexander Halensis**, O. M., Summa theologiæ, 3ª p.; **Thomas Aq.**, O. P., Summa theol., 1. 2. q. 109-114; C. Gent., c. 148-164; ejusque Commentatores, præsertim *Caietanus* ac *Ferrariensis;* **Bonaventura**, O. Min., In librum II Sentent., dist. 26 sq. — *Sæc. XIV*, **J. D. Scotus**, O. Min., In II libr. Sententiarum. — *Sæc. XVI*, **Dom. Soto**, O. P., De naturâ et gratiâ libri tres; **Joannes Vincente**, O. P., De habituali Christi sanctificante gratiâ; **Maldonatus**, S. J., Opera theologica, De libero arbitrio, de gratiâ, de justitiâ, de justificatione; **Molina**, S. J., Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis. -- *Sæc. XVII*, **Suarez**, S. J., De divinâ gratiâ, De verâ intelligentiâ auxilii efficacis, De concursu, motione et auxilio Dei; De auxilio Dei efficaci; **G. Vasquez**, S. J., Comment. ac disputat. in 1. 2 Summæ theologicæ; **L. Lessius**, S. J., De gratiâ efficaci, decretis divinis etc.; **Bellarminus**, S. J., Controversiæ de gratiâ et libero arbitrio, et de justificatione impii; **Petavius**, S. J., De lege et gratiâ libri duo; **Ripalda**, S. J., de Ente Supernaturali; **Petrus de Ledesma**, O. P., Tr. de divinæ gratiæ auxiliis; **Fr. de Avila**, O. P., De gratiâ et libero arbitrio; **Thomas de Lemos**, O. P. Panoplia gratiæ; **Didacus Alvarez**, O. P., De auxiliis divinæ gratiæ; **Gonet**, O. P., Clypeus theol. thomisticæ, de Gratiâ, Apologia Thomistarum; **J. E. Nieremberg.**, S. J., Del aprecio y estima de la divina gracia, *latine* redditum "De pretio inæstimabili divinæ gratiæ", *germanice* redditum auctore *Scheeben*, *anglice* autem sub hoc titulo "The Glories of divine Grace", *gallice* pariter translatum "Le prix de la Grâce"; **Isaac Habert**, Theologiæ græcorum Patrum vindicatæ circa universam materiam gratiæ; **A. Vega**, O. Min., De justificatione, de gratiâ, de fide, operibus et meritis; **C. J. Tricassinus**, O. Cap. De necessariâ ad salutem gratiâ omnibus singulis datâ; Commentarius brevis in libros D. Augustini contra Pelagianos; **Salmanticenses**, O. Carm., De Gratiâ Dei; **Goudin**, O. P., De Gratiâ Dei. — *Sæc. XVIII*, **Petrus Manso**, O. S. Aug., S. Augustinus sui interpres, S. Augustinus gratiæ sufficientis assertor; **Serry**, O. P. (Aug. Le Blanc), Historia Congregationum de Auxiliis; **Livinus de Meyer**, S. J. (T. Eleutherius) Historiæ controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis; **Tournely**, Prælect. theolog. de Gratiâ; **Gotti**, O. P., De Gratiâ; **Billuart**, O. P., De Gratiâ; **Wirceburgenses**, S. J., De Gratiâ; **Montagne**, S. S., De Gratiâ. — *Sæc. XIX*, **Constant Battini**, O. Serv. B. M. V., De Mysteriis divinæ gratiæ; **Liebermann**, Institutiones theologicæ, de Gratiâ et Justificatione; **Perrone**, S. J., De Gratiâ; **Kleutgen**, S. J., Theol. der Vorz. t. 2; **Mazzella**, S. J., De Gratiâ; **Palmieri**, S. J., De Gratiâ actuali; **Cercia**, S. J., De Gratiâ Christi; **Satolli**, De Gratiâ; **Murray**, De Gratiâ; **A. Knoll**, O. Cap., Institutiones theolog., De Gratiâ; **Jungmann**, **Kenrick**, **Hurter**, S. J., **Egger**, **Tepe**, S. J.; **Pesch**, S. J., t. 5; **Bonal**, S. S., aliique Compendiorum auctores; **J. H. Newman**, Lectures on the doctrine of Justification; **Schneemann**, S. J., Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii

concordiâ initia et progressus, Friburgi Brisgoviæ 1881; **Dummermuth**, O. P., S. Thomas et doctrina Præmotionis physicæ, Parisiis, 1886; **Terrien**, S. J., La Grâce et La Gloire, Paris, 1897.

Inter **Protestantes**[1] : **G. S. Faber**, The Primitive doctrine of Justification, 1839; The Primitive doctrine of Regeneration, 1840; **Jas. Buchanan**, The doctrine of Justification, 1867; **A. Ritschl**, Die christliche Lehre von der Rechtfertigung und Versöhnung, Bonn, 1870-74; **A. Phelps**, The new Birth, or the Work of the Holy Spirit, Boston, 1866; **Ad. Weber**, Etude sur la Justification par la foi; **F. Lichtenberger**, Encyclopédie des Sciences religieuses, Paris, 1877-1882, vocabulis, *Grace*, *Justification*, *Mérite*; **C. Hodge**, Systematic theology, vol. III, 1884; **A Hovey**, Manual of systematic theology, Philadelphia, 1877, p. 242 sq. ; **Bovon**, Dogmatique chrétienne, 2 vol. 1895-1896.

Alia opera in decursu Tractatûs allegantur.

Concilii Tridentini Decreta et Canones.

Sessio VI de Justificatione[2].

CAP. 1. De naturæ et legis ad justificandos homines imbecillitate.

Primum declarat sancta Synodus, ad justificationis doctrinam probe et sincere intelligendam, oportere ut unusquisque agnoscat et fateatur, quod cum omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut, Apostolus inquit, *natura filii iræ*[3], quemadmodum in decreto de peccato originali exposuit, usque adeo *servi erant peccati*[4], et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi, inde liberari aut surgere possent; tametsi in eis *liberum arbitrium minime exstinctum esset, viribus licet attenuatum et inclinatum.*

CAP. 2. De dispensatione et mysterio adventus Christi.

Quo factum est ut cœlestis Pater, pater misericordiarum et Deus totius consolationis[5], Christum Jesum, Filium suum, et ante Legem

[1] Iterum monemus heterodoxos auctores allegari, non ut ab omnibus indiscriminatim legantur, sed ut ii, quibus hodiernos errores confutandi onus incumbit, sciant ex quibus fontibus difficultates adversariorum haurire valeant.

[2] Cf. *Denzinger*, Enchiridion Symbolorum, n. 675-725; *A. Theiner*, Acta genuina SS. Œcumenici Concilii Tridentini, Zagrabiæ, 1874, tom. I, p. 156-381, ubi multa inveniuntur quæ ad tridentinas definitiones recte intelligendas non parum conferunt.

[3] *Ephes.* II, 3. — [4] *Rom.* VI, 17. — [5] *II Cor.* I, 3.

et Legis tempore, multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines miserit, ut et Judæos, qui sub Lege erant, redimeret[1]; et gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi[2].

CAP. 3. Qui per Christum justificantur.

Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam sicut revera homines, *nisi ex semine Adæ propagati nascerentur*, non nascerentur injusti, cum *eâ propagatione per ipsum* dum *concipiuntur*, propriam injustitiam contrahant: ita nisi *in Christo renascerentur*, nunquam justificarentur, cum eâ renascentiâ per meritum passionis ejus, gratia, quâ justi fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, "qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, et eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filii dilectionis suæ, *in quo* habemus *redemptionem* et *remissionem peccatorum*"[3].

CAP. 4. Insinuatur descriptio justificationis impii, et modus ejus in statu gratiæ.

Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit *translatio ab eo statu*, in quo homo nascitur filius primi Adæ, *in statum gratiæ* et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, salvatorem nostrum; quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum est: "Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei"[4].

CAP. 5. De necessitate præparationis ad justificationem in adultis, et unde sit.

Declarat præterea ipsius *justificationis exordium* in adultis a Deo per Christum Jesum *præveniente gratiâ* sumendum esse: hoc est, ab ejus *vocatione*, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus *excitantem* atque *adjuvantem gratiam* ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ *libere assentiendo* et *cooperando*, *disponantur;* ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti *illuminationem*, neque homo ipse nihil omnino agat, *inspirationem* illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratiâ Dei movere se ad justitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit. Unde

[1] *Galat.* IV, 5. — [2] *I Joa.* II, 2. — [3] *Coloss.* I, 12-14. — [4] *Joa.* III, 5.

in sacris litteris cum dicitur, "Convertimini ad me, et ego convertar ad vos"[1], libertatis nostræ admonemur; cum respondemus: "Converte nos, Domine, ad te, et convertemur"[2], Dei nos gratiâ præveniri confitemur.

CAP. 6. Modus præparationis.

Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes *a divinæ justitiæ timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tanquam omnis justitiæ fontem, *diligere incipiunt:* ac propterea moventur adversus peccata per *odium* aliquod et detestationem, hoc est, per eam *pœnitentiam* quam ante Baptismum agi oportet: denique dum *proponunt* suscipere Baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: "Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit"[3]. Et, "Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua"[4]. Et, "Timor Domini expellit peccatum"[5]. Et, "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti"[6]. Et, "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare quæcumque mandavi vobis"[7]. Denique "Præparate corda vestra Domino"[8].

CAP. 7. Quid sit justificatio impii, et quæ ejus causæ.

Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis causæ sunt, *finalis* quidem, gloria Dei et Christi ac vita æterna; *efficiens* vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ; *meritoria* autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno

[1] *Zach.* I, 3. — [2] *Thren.* V, 21. — [3] *Hebr.* XI, 6. — [4] *Matth.* IX, 2. — [5] *Eccli.* I, 27. — [6] *Act.* II, 38. — [7] *Matt.* XXVIII, 19, sq. — [8] *I Reg.*, VII, 3.

crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit: *instrumentalis* item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei sine quâ nulli unquam contigit justificatio; demum unica *formalis* causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam *in nobis recipientes*, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis *prout vult*, et secundum *propriam cujusque dispositionem* et cooperationem.

Quanquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum *caritas* Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis *inhæret,* unde in ipsâ justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, *fidem*, *spem*, et *caritatem:* nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: quâ ratione verissime dicitur, "Fidem sine operibus mortuam et otiosam esse"[1]; et, "In Christo Jesu neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium, sed fidem, quæ per caritatem operatur"[2].

Hanc fidem ante Baptismi sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesiâ petunt, cum petunt fidem, vitam æternam præstantem: quam sine spe et caritate fides præstare non potest. Unde et statim verbum Christi audiunt: "Si vis in vitam ingredi, serva mandata"[3].

Itaque veram et christianam justitiam accipientes, eam ceu primam stolam, pro illâ quam Adam suâ inobedientiâ sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeant vitam æternam.

CAP. 8. Quomodo intelligatur impium per fidem et gratis justificari.

Cum vero Apostolus dicit, "justificari hominem *per fidem* et *gratis*"[4], ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, et expressit, ut, scilicet, *per fidem* ideo justificari dicamur, quia *fides est humanæ salutis initium, fundamentum* et *radix omnis justificationis;* sine quâ impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; *gratis* autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; "si enim gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia"[5].

[1] *Jac.* II, 20. — [2] *Galat.* V, 6. — [3] *Matth.* XIX, 17. — *Rom.*, III, 24, sq. — [5] *Rom.*, XI, 6.

CAP. 9. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divinâ misericordiâ propter Christum : nemini tamen fiduciam et *certitudinem remissionis* peccatorum suorum jactanti, et in eâ solâ quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est, cum apud hæreticos et schismaticos possit esse, imo nostrâ tempestate sit, et magnâ contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc et ab omni pietate remota fiducia.

Sed neque illud asserendum est oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ullâ omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui *certo credat, se absolutum* et *justificatum esse*, atque hac *solâ* fide absolutionem, et justificationem perfici : quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficaciâ dubitet. Nam, sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque Sacramentorum efficaciâ dubitare debet : sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest : cum *nullus scire valeat certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, *se gratiam Dei esse consecutum.*

CAP. 10. De acceptæ justificationis incremento.

Sic ergo justificati, et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem : hoc est, mortificando membra carnis suæ, et exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ, *in ipsâ justitiâ per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide bonis operibus, crescunt*, atque *magis justificantur*, sicut scriptum est : "Qui justus est, justificetur adhuc"[1]. Et iterum : "Ne verearis usque ad mortem justificari"[2]. Et rursus : "Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum"[3]. Hoc vero justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat : "Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum".

CAP. 11. De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.

Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse *ab observatione mandatorum* putare debet ; nemo temerariâ illâ, et a Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti, *Dei præcepta* homini *justificato* ad observandum *esse impossibilia.* Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve. Qui enim sunt filii Dei, Christum

[1] *Apoc.*, XXII, 11. — [2] *Eccli.*, XVIII, 22. — [3] *Jac.*, II, 24.

diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus. Quod utique cum divino auxilio præstare possunt. Licet enim in hac mortali vitâ, *quantumvis sancti et justi, in levia* saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, *peccata quandoque cadant*, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis, et verax: "Dimitte nobis debita nostra": quo fit, ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in viâ justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste, et pie viventes, proficere possint per Christum Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam. Deus namque suâ gratiâ *semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.*

Itaque nemo sibi in solâ fide blandiri debet, putans fide solâ heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur. Nam "et Christus ipse", ut inquit Apostolus, "cum esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ"[1]. Propterea Apostolus ipse monet justificatos, dicens: "Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar"[2]. Item princeps Apostolorum Petrus: "Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando"[3].

Unde constat, eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui dicunt, justum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, pœnas æternas mereri: atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam; cum scriptum sit: "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem"[4]; et de Moyse dicat Apostolus, quod "respiciebat in remunerationem"[5].

CAP. 12. Prædestinationis temerariam præsumptionem cavendam esse.

Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum: quasi verum esset, quod justificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi *ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.*

[1] *Hebr.*, V, 8-9. — [2] *I Cor.*, IX, 24-27. — [3] *II Petr.*, I, 10.
[4] *Ps.*, CXVIII, 112. — [5] *Hebr.*, XI, 26.

CAP. 13. De perseverantiæ munere.

Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : "Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit"[1] : quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere : nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere.

Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in jejuniis et castitate. Formidare enim debent scientes, quod in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt, de pugnâ quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo : in quâ victores esse non possunt, nisi cum Dei gratiâ Apostolo obtemperent dicenti : "Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si enim secundum carnem vixeritis moriemini; si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis"[2].

CAP. 14. De lapsis et eorum reparatione.

Qui vero ab acceptâ justificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio : quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit : "Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt"[3].

Unde docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali; eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem; itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœnâ æternâ, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpâ remittitur; sed pro pœnâ temporali, quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. De quâ pœnitentiâ scriptum est :

[1] *Matt.*, XXIV, 13. — [2] *Rom.*, VIII, 12-13. — [3] *Joa.*, XX, 22-23.

"Memor esto unde excideris : age pœnitentiam, et prima opera fac"[1]. Et iterum : "Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur"[2]. Et rursus : "Pœnitentiam agite, et facite fructus dignos pœnitentiæ"[3].

CAP. 15. Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium asserendum est : non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur; sed etiam *quocunque alio mortali peccato*, quamvis *non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti*, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; a quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratiâ separantur.

CAP. 16. De fructu justificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : "Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino"[4]; "non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius". Et : "Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem"[5]. Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, et *tanquam gratia* filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et *tanquam merces* ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a justo Judice sibi reddendam : non solum autem sibi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus[6].

Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine quâ nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent : nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratiâ decesserint, consequendam, vere pro-

[1] *Apoc.*, II, 5. — [2] *II Cor.*, VII, 10. — [3] *Matt.*, III, 2, 8.
[4] *I Cor.*, XV, 58. — [5] *Hebr.*, VI, 10; X, 35. — [6] *II Tim.*, IV, 8.

meruisse censeantur; cum Christus Salvator noster dicat : "Si quis biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam"[1]. Ita neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur; neque ignoratur aut repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur; illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum.

Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, eum non esse suâ mercede cariturum : et Apostolus testetur, id quod "in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis"[2]: absit tamen, ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino; cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiam si nihil sibi conscius fuerit, judicare; quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei : qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua.

Post hanc catholicam de justificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit; placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.

Can. 1. Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel legis doctrinam fiant, absque divinâ per Jesum Christum gratiâ posse justificari coram Deo; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratiâ utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed, veluti inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque passive se habere; A. S.

---

[1] *Joa.*, IV, 13-14. — [2] *II Cor.* IV, 17.

Can. 5. Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satanâ invectum in Ecclesiam; A. S.

Can. 6. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miseri cordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; A. S.

Can. 9. Si quis dixerit, solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; A. S.

Can. 10. Si quis dixerit, homines, sine Christi justitiâ, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; A. S.

Can. 11. Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei; A. S.

Can. 12. Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur; A. S.

Can. 13. Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ullâ hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; A. S.

Can. 14. Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, et hac solâ fide absolutionem et justificationem perfici; A. S.

Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum se certo esse in numero prædestinatorum; A. S.

Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, ahsolutâ et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; A. S.

Can. 17. Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari

quidem, sed gratiam non accipere, utpote divinâ potestate prædestinatos ad malum; A. S.

Can. 18. Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratiâ constituto, esse ad observandum impossibilia; A. S.

Can. 19. Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem; cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; A. S.

Can. 20. Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum; A. S.

Can. 21. Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant; non etiam ut legislatorem, cui obediant; A. S.

Can. 22. Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei, in acceptâ justitiâ perseverare posse, vel cum eo non posse; A. S.

Can. 23. Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia; A. S.

Can. 24. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; A. S.

Can. 25. Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; A. S.

Can. 26. Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; A. S.

Can. 27. Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, et enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti; A. S.

Can. 28. Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul et fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum; A. S.

Can. 29. Si quis dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed solâ fide amissam justitiam recuperare sine sacramento Pœnitentiæ, prout Sancta, Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino, et ejus Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit; A. S.

Can. 30. Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit; A. S.

Can. 31. Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; A. S.

Can. 32. Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut, ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; A. S.

Can. 33. Si quis dixerit, per hanc doctrinam catholicam de justificatione, a sanctâ Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliquâ ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jesu Christi Domini nostri, derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; A. S.



Objectum, utilitas et divisio Tractatus.

Absoluto *Tr. de Verbo Incarnato*, jam de *Deo Sanctificante* disputandum est : ideo enim Verbum caro factum est ut nos sanctificaret, gratiam pro nobis merendo; Deus autem, seu Spiritus S. nos sanctificat *formaliter* per gratiam, et *instrumentaliter* per Sacramenta.

1. In hoc igitur *Tr. de Gratiâ* disserere intendimus de illâ vitâ spirituali et supernaturali, quam per peccatum originale amiseramus, et Christus per merita sua nobis restituit, juxta illud : " Ego veni ut *vitam* habeant et abundantius habeant " [1].

Hæc enim vita nihil aliud est nisi *vita gratiæ*, quæ alibi vocatur " fons aquæ salientis in vitam æternam "[2]. Hinc gratia est veluti Incarnationis fructus, ac proinde *Tractatum de Incarnatione* logico ordine sequitur *Tractatus de Gratiâ.*

2. *Utilitas* ejusdem triplex præsertim agnoscitur : (a) *speculativa*, ex ipsâ dignitate objecti desumpta : siquidem gratia, in suâ *origine* spectata, est fructus sanguinis Christi, ac proinde tanti valet quanti Deus; in suâ *naturâ*, est participatio quædam divinæ naturæ, vi cujus, ex morte ad novam vitam revocati, filii Dei nominamur et sumus, novisque viribus roborati diaboli tentationibus superiores efficimur; in suo *termino*, semen est gloriæ, et gemma pretiosa quâ regnum cœlorum comparatur[3]; (b) *polemica*, multi sunt enim errores hodierni circa gratiam : *Rationalistæ* ejus existentiam, necessitatem imo et possibilitatem prorsus denegant; *Protestantes* autem circa justificationis naturam et conditiones, necnon circa meritum graviter errant, et quanti momenti sit præfatos errores confutare nemo est qui non videat; (c) *practica :* nam multum sane juvat fideles sedulo instruere de gratiæ naturâ, pretio, dignitate et effectibus[4], de ejusdem ad christiane agendum gloriamque obtinendam necessitate, ut, his omnibus mature perpensis, media

[1] *Joa.* X, 10. — [2] *Joa.* IV, 14. — [3] *Matt.* XIII, 46.

[4] Hæc omnia præclare describit *Nieremberg*, De pretio inestimabili divinæ gratiæ; cujus opus *germanice* redditum ac recognitum auctore *Scheeben*, *anglice* translatum est sub hoc titulo *The Glories of divine Grace*, 1886; *gallice* pariter versum *Le Prix de la Grâce.*

ad eam adipiscendam eâdemque bene utendum indesinenter adhibeant.

Difficultatem hujus Tractatûs non diffitemur: (a) gratia enim ad ordinem spiritualem et psychologicum spectat, cujus consideratio ardua est homini ad sensibilia prono; (b) gratia est undequaque supernaturalis, nec ejus natura facile intelligi potest; (c) iterum difficile est gratiæ influxum cum libero arbitrio conciliare. Sed pauca quæ de his omnibus cognosci possunt non solum intellectum juvant, sed etiam pietatem fovent.

3. *Divisio.* In triplici capite disputabimus de *gratiâ actuali* quæ logice est præparatio ad gratiam habitualem, de *gratiâ habituali* seu justificatione, et de *merito* quod est utriusque fructus.



- PROLEGOMENA.
  - Gratiæ notio.
  - Gratiæ divisiones.
  - Errores præcipui.
- CAP. I. de Gratiâ actuali.
  - ART. I. Ejus natura.
    - quid sit?
    - quasnam vires conferat?
    - quomodo dividatur?
  - ART. II. Ejus necessitas.
    - ad opera *naturalia*
      - quid possit homo lapsus?
      - quid non possit?
    - ad opera *supernaturalia* justificationem
      - præcedentia.
      - consequentia.
  - ART. III. Ejus dispensatio.
    - Ejus gratuitas.
    - Ejus universalitas quoad
      - justos.
      - peccatores.
      - infideles.
      - parvulos.
  - ART. IV. Concordia cum libertate.
    - Errores confutantur.
    - Theologorum systemata exponuntur.
- CAP. II. de Gratiâ habituali, seu justificante.
  - ART. I. Dispositiones ad justificationem.
  - ART. II. Natura justificationis.
    - In quo consistat?
    - Quinam sint ejus effectus formales?
    - Quomodo definiatur?
  - ART. III. Proprietates justificationis.
  - ART. IV. Virtutes et dona, quæ ipsam comitantur.
- CAP. III. de Merito.
  - ART. I. De naturâ et conditionibus.
  - ART. II. De existentiâ et objecto.

Prolegomena.

1. Gratiæ notio[1].

4. 1° *Quoad nomen*, gratia, a voce *gratis*[2], idem sonat ac gratuitum seu gratis datum, et apud sacros auctores quatuor præsertim significat: (a) *Benevolentiam* seu favorem dantis; v. g. "Noe invenit gratiam (i. e. favorem) coram Domino"[3]. (b) Rem aliquam *gratis datam*, seu donum gratuitum: v. g. "Unicuique nostrum data est gratia"[4]. (c) *Gratitudinem*, seu gratum animi sensum pro beneficio accepto; v. g. "Non cesso gratias agens pro vobis"[5]. (d) *Elegantiam* sermonis, vel *pulchritudinem*, aut aliam qualitatem, quæ reddit personam amabilem: "Diffusa est gratia in labiis tuis"[6]. "Fallax gratia, et vana est pulchritudo"[7]. Quatuor hujusmodi significationes sic logice connectuntur: ex *benevolentiâ* procedit *donum;* ex bono accepto consurgit *gratiarum actio; elegantia* autem est una ex dotibus quæ benevolentiam conciliant.

5. 2° *Quoad rem* (A) gratia, sensu *lato* et improprie dicto, definitur *quodlibet donum gratis concessum*, et ita creatio, conservatio, imo et liberum arbitrium gratiæ vocari possunt, quia dona sunt gratuita. Olim Pelagiani, et hodie Rationa-

---

[1] Cf. *S. Th.* 1. 2. q. 110; *Suarez*, De Gratiâ, Prolegom. II; *Salmant.* de Gratiâ, disp. I, c. 1; *Montagne*, *op. cit.*, quæstio procem.; *Mazzella*, *op. cit.* n. 4 sq.

[2] Græca vox χάρις idem fere significat, videlicet *favorem* quo quis alium prosequitur; *beneficium* quod recipitur; *gratiarum actionem; remunerationem* alicujus beneficii; quidquid habet *vim favorem conciliandi.* Cfr. *Schleusner*, Lexicon; *Thayer*, Greek-English Lexicon of the N. Testament.

[3] *Gen.* VI, 8. — [4] *Ephes.* IV, 7. — [5] *Ephes.* I, 16. — [6] *Ps.* XLIV, 3.

[7] *Prov.* XXXI, 30.

listæ et Unitarii quandoque adhibent vocem *gratiam* in hoc sensu, sicque simplices decipiunt[1]; sed theologi illâ voce nonnisi in sensu stricto uti debent.

(**B**) Sensu *stricto* gratia est *donum supernaturale creaturæ intellectuali a Deo concessum in ordine ad vitam æternam.*

Dicitur (**a**) donum *supernaturale*, i. e. prorsus indebitum seu *essentiam*, *vires*, et *exigentias* cujuslibet creaturæ *superans*, et sic distinguitur a beneficiis mere naturalibus (*De Deo Creante*, 142-145), juxta illud S. Pauli: "Si autem *gratia*, jam *non ex operibus*, alioquin gratia jam non est gratia"[2].

(**b**) *creaturæ intellectuali* concessum; ita designatur *subiectum* gratiæ, scil. angelus et homo; ceteræ enim creaturæ, utpote irrationales, non possunt recipere gratiam, quæ est participatio vitæ Dei intellectualis.

(**c**) *a Deo;* sic indicatur *causa efficiens* principalis gratiæ, scil. solus Deus, quum ipse solus propriam vitam aliis impertiri valeat.

(**d**) In ordine ad *vitam æternam;* sic exprimitur *causa finalis* gratiæ, scil. visio beatifica; omnis enim gratia nobis datur tamquam medium directum vel indirectum ad finem nostrum supernaturalem attingendum: hinc gratia vocatur *salutaris*, utpote ad salutem ordinata.

II. Gratiæ præcipuæ divisiones[3].

6. (**A**) Primum quidem gratia est increata, vel creata: (**a**) *increata* est Deus ipse creaturæ intellectuali sese communicans, vel amor Dei, quatenus nobis gratuito collatus, quia, ut notat *S. Thomas* (I. q. 38, a. 2), "amor habet rationem primi boni, per quod omnia dona gratuita donantur"; (**b**) *creata* est donum gratuitum a Deo distinctum, et veluti effectus divini amoris. Utriusque exemplum habetur apud

[1] Pelagius olim Episcopos Synodi Diospolitanæ decepit, dicendo se confiteri gratiam, dum revera nonnisi liberum arbitrium significaret. — Merito autem gratiæ nomine designantur usu loquendi biblico et ecclesiastico bona *supernaturalia:* hæc enim sunt per antonomasiam indebita, seu gratuita, quum omne prorsus debitum excludant non solum in operibus, sed etiam in naturâ fundatum. (*S. Th.*, I. 2. q. III, a. 1 ad 2.) — [2] *Rom.* XI, 6.

[3] Cf. *S. Th.* I. 2. q. III; *Suarez*, l. cit. c. 3-6: *Montagne*, l. cit. art. 4; *Mazzella*, n. 11 sq.; *Jungmann*, n. 9 sq.

Rom. V, 5 : "Caritas (*gratia creata*) diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum *(gratia increata)* qui datus est nobis". *(S. Th.* I. 2. q. 110, a. 1.)

7. (B) Ratione *causæ*, gratia creata duplex est : (a) Gratia *Dei*, seu Conditoris, ea est quæ conceditur a Deo, ex merâ liberalitate, independenter a meritis Christi. Sic, juxta Thomistas, gratia Angelis et Adamo innocenti data, est gratia Dei. (b) Gratia *Christi*, seu Redemptoris ea est quæ conceditur a Deo intuitu meritorum Christi [1]. De facto omnis gratia, in statu præsenti collata, est gratia Christi, quia Christus omnes gratias meruit, quæ nobis hodie dispensantur, ut in *Tr. de Verbo Incarn.* (n. 208-214) probatum est.

8. (C) Ratione *modi*, est (a) *externa*, quæ extrinsece afficit subjectum, ut Christi exempla, evangelii prædicatio etc. (b) *interna*, quæ subjectum intrinsece afficit, v. g. gratia habitualis, quæ ipsam substantiam animæ perficit, pariterque gratiæ actuales quæ directe facultates nostras adjuvant.

9. (D) Ratione *finis*, gratia interna iterum subdividitur in : (a) gratiam *gratis datam*, quæ *per se* et *primario* ad *aliorum utilitatem* datur, ut donum miraculorum, prophetiæ : talis gratia non omnibus datur Christianis, sed quibusdam, et potest stricte loquendo peccatoribus *concedi*, ut ex facto Balaam videtur [2]; (b) gratiam *gratum facientem*, quæ *per se* et *primario* in propriam subjecti utilitatem ordinatur; talis est v. g. gratia habitualis, quæ proprie nos gratos Deo facit, et actualis, quæ est medium ad acquirendam vel augendam gratiam habitualem. Gratiam gratum facientem meliorem esse gratiâ gratis datâ constat ex Paulo qui, post enumeratas gratias gratis datas, addit : "æmulamini charismata meliora" [3], posteaque *caritatem* describit, quæ semper cum gratiâ gratum faciente connectitur. Christus

[1] *Scotistæ* vocant gratiam *Christi capitis* eam quæ Adamo innocenti et angelis concessa fuit; gratiam *Christi Redemptoris* eam quæ hominibus redemptis dispensatur. Alii theologi gratiam *Dei* appellant eam quæ vocationem ad fidem præcedit, et infidelibus negativis datur, gratiam autem *Christi* eam quæ a vocatione ad fidem incipit. Sed communior est explicatio supra allata.

[2] *Num.* XXII-XXIV. — [3] *I Cor.* XII, 31.

ipse Apostolis dixerat: "Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis"[1]. Nec mirum, nam, ut ait *S. Thomas*[2], finis potior est his quæ sunt ad finem; atqui gratia gratum faciens hominem ordinat immediate ad ultimum finem, dum gratiæ gratis datæ ordinant hominem ad quædam præparatoria finis ultimi, quatenus per miracula homines inducuntur ad hoc quod ultimo fini conjungantur.

10. (E) Ratione *subjecti et effectuum*, gratia gratum faciens duplex est: (a) Gratia *habitualis* est qualitas supernaturalis, permanenter et intrinsece inhærens animæ, per quam efficimur participes naturæ divinæ. Quæ quidem gratia vocatur etiam *status gratiæ*. (b) Gratia *actualis* est auxilium quoddam supernaturale et transiens, quo Deus intellectum illustrat et voluntatem adjuvat ad eliciendos actus supernaturales. Hinc gratia habitualis a gratiâ actuali differt in eo quod *prior* sit *habitus*, *posterior*, *motio* seu actus; *prior* sit *permanens*, *posterior*, *transiens*; *prior inhæreat substantiæ* animæ, *posterior facultates* solummodo afficiat.

III. Errores præcipui circa gratiam[3].

In duo extrema opposita abierunt hac de re hæretici: alii naturæ et libertati plus æquo faventes, gratiæ juribus plus minusve violatis, vocantur *naturalistæ*; alii ex adverso nimium gratiæ tribuentes, cum detrimento humanæ libertatis in *falsum* seu exaggeratum *supernaturalismum* inciderunt.

1° Naturalistæ.

11. (A) *Judaizantes*[4], qui, licet ad fidem christianam conversi, judaismi præjudiciis adhuc imbuti erant, docuerunt opera legis mosaicæ, quamvis in se naturalia, gratiam et justificationem mereri posse. Exinde contenderunt legem

---

[1] *Luc.* X, 20. — [2] 1. 2. q. 3, a. 5.

[3] Cf. *Suarez*, op. cit. Proleg. 5; *Montagne*, qui præ ceteris fuse et accurate de his erroribus disputat (*Migne*, Theol. Curs. t. X, p. 89-816); *Billuart*, de Gratiâ, Diss. I.

[4] Cf. *Conybeare and Howson*, The Life and Epistles of St Paul, c. XIII; *J. B. Lightfoot*, Dissertations on the Apostolic Age, 1892, p. 67 sq.

mosaicam, etiam post Christum, ad salutem necessariam esse: *rigidi*, Pharisæi sc. et Esseni, ad omnes, etiam Gentiles, hanc necessitatem extendebant; *minus rigidi*, videlicet Nazareni, ad solos Judæos. In concilio *Hierosolymitano* (50 vel 52) damnati sunt (*Act.* XV), et a *S. Paulo* confutati præsertim in Epistolis ad *Romanos* et *Galatas*.

12. (**B**) *Pelagiani*[1] ducem habuerunt *Pelagium*, monachum ex Majori Britanniâ oriundum, qui errores suos Romæ circa annum 405 disseminare cœpit: præcipui ejus asseclæ fuerunt *Cœlestius*, Romanus advocatus, et *Julianus*, Eclanensis Episcopus. Quorum errores ad hæc capita referuntur: (**a**) negarunt imprimis peccati originalis transfusionem, ac consequenter docuerunt Baptismum non esse necessarium ad vitam æternam, sed solum ad regnum cœlorum[2]; (**b**) gratiæ necessitatem negarunt, asserentes liberum arbitrium ad tentationes superandas et mandata servanda plane sufficere; deinde, ad fucum faciendum, gratiam quidem admiserunt, sed mere externam, legem scilicet et doctrinam Christi, vel ejus exempla; (**c**) tandem, post *Zozimi* decretum (418), agnoverunt quidem gratiam internam, saltem illustrationis pro intellectu, sed triplici vitio infectam; nam dabatur juxta merita, nec proinde gratuita erat, non ad initium boni operis, sed tantum ad ejus perfectionem conferebatur, denique utilis quidem, sed non necessaria erat.

Pelagianas fraudes *S. Augustinus* detexit et feliciter confutavit, proptereaque *Doctor gratiæ* merito fuit appellatus; eisdem pariter *S. Hieronymus* strenue restitit. Damnati sunt Pelagiani in viginti quatuor conc. particularibus, quorum præcipua sunt *Carthaginensia* duo (412, 418), *Diospolitanum* (415) et *Milevitanum* (416); ab *Innocentio I*

[1] Cf. *Petavius*, Dogmata theologica, Parisiis 1866, vol. IV, p. 597 sq.; *Norisius*, Historia pelagiana; *Alzog*, Hist. de l'Eglise, *anglice* Church History, § 116; *Schaff*, History of the Christian Church, vol. III, § 146; *Rohrbacher*, Hist. de l'Eglise, l. 38.

[2] Pelagiani videlicet distinxerunt inter regnum cœlorum, et vitam æternam: hanc adipisci possunt ii omnes qui recte vivunt; illud vero ingredi possunt soli baptizati, qui a Christo sanctificati ejusque cohæredes effecti, ejus regni participes efficiuntur.

et *Zozimo* in Epistolâ *Tractoriâ* (418); necnon in Conc. Œcum. *Ephesino* (431).

13. (C) *Semipelagiani*[1], quorum duces præcipui fuerunt *Cassianus*, abbas monasterii S. Victoris Massiliæ, *Gennadius* Massiliensis, et *Faustus*, Regiensis Episcopus, quasi *dimidiatum* Pelagianismum docuerunt. Agnoscebant quidem peccati originalis existentiam, et debilitatas voluntatis vires, sed simul tenebant (a) gratiam secundum merita nostra dari, licet concordes non essent in explicando quibusnam actibus eam mereri possimus; quidam tamen, ut Cassianus, existimabant eam interdum dari absque ullis præcedentibus meritis, licet sæpius sub merito caderet; alii vero tenebant eam nonnisi propter præcedentia merita conferri; (b) ad initium fidei, vel perseverantiam in fide, aut desiderium opus supernaturale faciendi, gratiam internam non esse necessariam, sed solum ad opera bona perficienda; sicut enim ægrotus non potest quidem seipsum curare, sed tamen sanitatem desiderare et medicum quærere, ita homo per peccatum vulneratus salutem desiderare, et media ad eam consequendam per se quærere valet; (c) tandem perseverantiam in bono meritis obtineri posse docebant.

S. Augustinus, jam senex, illum errorem strenue impugnavit, et cum illo *S. Prosper* et *S. Fulgentius*; eumdem errorem damnavit Synodus *Arausicana II* (529), a Bonifacio II solemniter approbata (*Denzing.* op. cit. 144).

14. (D) *Rationalistæ*, quorum historia in *Tr. de Verâ Relig.* (n. 27-35) delineatur, eo principio innixi quod ratio sit unicus veri et falsi, boni et mali arbiter, illud omne rejiciunt quod ratione demonstrari nequit; hinc, juxta illos, homo ad finem supernaturalem nunquam fuit evectus, nullum originale peccatum incurrit, nullâ indiget gratiâ, sed propriis viribus ea cognoscere et agere potest, quæ necessaria sunt ad finem suum attingendum. Imo contendunt doctrinam catholicam de gratiâ libertatem et studium hominum impedire, mysticorum somnia fovere, et Deum ipsum arguere auctorem peccatorum ab hominibus non emendatis

[1] Cf. *Petavius*, l. cit. p. 648; *Montagne*, op. cit. p. 164; *Alzog*, op. cit. § 117; *Schaff*, op. cit. § 159; *Meyer*, Cassien, Sa Vie et ses Ecrits.

commissorum [1]. Quem quidem errorem multoties damnarunt SS. Pontifices *Gregorius XVI*, *Pius IX* et *Leo XIII*, necnon *Vaticanum* Concilium.

15. (E) *Sociniani*, *Unitarii*, et Protestantes *liberales* dicti, Pelagii errores quoad substantiam renovarunt: licet enim revelationem *lato sensu* admittant, originalis peccati existentiam, Baptismi necessitatem, et gratiæ internæ, a concursu naturali distinctæ, existentiam rejiciunt: hinc conversio seu justificatio, juxta ipsos, nihil aliud est nisi naturalis ad Deum conversio: homo in doctrinâ Christi proprie instructus, ejusque exemplo roboratus, propriis viribus honestam vitam ducere, finemque suum attingere valet [2].

2° Falsus Supernaturalismus.

16. (A) *Prædestinatianam* hæresim [3] advocârunt *Lucidus*, in Galliâ presbyter (sæc. V.), qui damnatus fuit in Conciliis *Arelatensi* et *Lugdunensi* (475); *Gotescalcus*, monachus Orbacensis in Galliâ, qui damnatus est in Concilio *Carisiaco* (846); quos errores partim renovârunt *Wiclefus* (XIV sec.) natione Anglus, et J. *Huss* ex Bohemiâ oriundus, qui in concilio *Constantiensi* damnati sunt.

Juxta ipsos (a) Deus homines ad gloriam aut damnationem prædestinat etiam ante prævisa merita vel demerita; consequenter non vult salutem omnium, sed solum prædestinatorum. (b) Post peccatum originale nulla remanet vera libertas, scilicet libertas a necessitate, sed Deus ipse agit in nobis et est auctor boni et mali; sicut prædestinatus non potest a gratiâ excidere, ita reprobus non potest in eâ perseverare.

---

[1] Ita *Wegscheider*, Institut. theologiæ, III, § 152.

[2] Ad rem scribit unus ex Unitariorum ducibus: "*Conversio est* vocis græcæ versio, quæ in Novo Testamento significat *reverti*. Cum malam secuti sumus viam, reverti debemus ut bonam sequamur... Regeneratio autem est vox qua Sacra Scriptura utitur ad vitam novam significandam, quæ suum principium habet non tantum in Legis divinæ, sed etiam in ejus amoris consideratione... Conversus dicitur qui statuit in corde suo bonum facere, et jam opus incœpit. Homo regeneratus ille est qui habitum bene agendi firmiter tenet". (*J. F. Clarke*, Manual of Unit. Belief, p. 42.) — Nec aliter *Lichtenberger*, op. cit. voce *Grâce*.

[3] Cf. *Montagne*, op. cit. diss. 4-6, p. 195 sq.; *Alzog*, op. cit. § 204.

17. (B) *Protestantismi* fautores[1] præcipui fuerunt : *Lutherus*, qui Islebii in Thuringiâ natus (1483), ordinem Eremitarum S. Augustini ingressus est, et cum ægre ferret munus novas indulgentias prædicandi Dominicanis præ Augustinianis demandatum fuisse, primum quidem indulgentiarum abusum, deinde vero doctrinam catholicam circa justificationem et gratiam aliaque plurima dogmata fidei impugnavit; *Calvinus*, qui Novioduni in Galliâ natus (1509), lutheranos errores, quibusdam tamen mutatis, in systema reduxit, et eosdem in famoso *Institutionum* libro conscripsit. Horum errorum circa gratiam summa hæc est :

(a) Circa statum *naturæ innocentis*, *Lutherus* docuit gratiam Adamo collatam, et donum integritatis esse quid naturale; nam, juxta ipsum, gratia consistit in cognitione et amore Dei; atqui tam naturale est homini Deum diligere quam naturale est oculis lumen recipere. Cujus erroris causa fuit ignoratio discriminis inter cognitionem Dei *naturalem* et *supernaturalem*.

(b) Circa statum *naturæ lapsæ*, docuit peccatum originale in totali corruptione facultatum naturalium consistere, ita ut homo peccet in omnibus actibus suis[2], quia omnes eliciuntur sub influxu concupiscentiæ; illa autem peccata justis non imputantur, quia ipsis per fidem applicantur merita Christi. Libertas autem non remanet, cum voluntas a gratiâ vel voluntate necessario moveatur : est titulus sine re.

(c) *Justificatio*, seu conversio, consistit in extrinsecâ imputatione meritorum Christi, non autem in internâ renovatione; per solam fidem, seu per fiduciam obtinetur, quâ quis credit se esse justificatum ; ergo bona opera sunt inutilia : " pecca fortiter, scribebat Lutherus, et crede fortius "[3].

(d) Hisce erroribus *Calvinus* duos addidit circa prædestina-

---

[1] Cf. *Montagne*, op. cit. diss. 7-8, p. 254 sq.; *Alzog*, op. cit. § 299 sq.; *Schaff*, Creeds of Christendom, vol. I, p. 203 sq.; vol. III, p. 1 sq.; *Moelher*, La Symbolique, *anglice* Symbolism, § 1 sq.

[2] Quod comparatione illustrat : quemadmodum ubi primum anima separatur a corpore, nihil aliud remanet nisi turpe ac fœtidum cadaver; ita anima gratia privata intrinsece et substantialiter corruptio et peccatum est.

[3] Epistola ad Melancht. apud de Wette, II, 36-37.

tionem, et baptismi necessitatem: Deus prædestinat quosdam ad gloriam, quosdam ad infernum ante prævisa merita aut demerita; et omnes fideles credere tenentur se esse prædestinatos, quia gratia semel obtenta est inamissibilis; insuper qui nascuntur ex fidelibus parentibus, salvantur sine baptismo, quia sunt filii Dei et membra Ecclesiæ statim ac geniti sunt.

(e) Hodierni Protestantes Lutheri et Calvini doctrinas emollire conati sunt, præsertim quoad liberum arbitrium et bona opera; et, licet justificationi per fidem, nostris etiam diebus, generatim adhæreant, prava tamen consectaria, quæ ex hâc doctrinâ naturaliter fluunt, aperte rejiciunt[1].

18. (C) *Baius*, Lovaniensis professor († 1589), excogitavit systema, quod semi-Lutheranismus vocari posset. Damnatus est a Pio V et Gregorio XIII, et, post multas tergiversationes, tandem laudabiliter se subjecit. Hæc sunt ejus errorum præcipua capita[2]: (a) dona, quæ vocamus supernaturalia, humanæ naturæ erant debita, et sic corruit distinctio inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem; (b) libertas non est penitus exstincta, sed ita debilitata, ut sine gratiâ, ad nihil valeat nisi ad peccandum; (c) qui agit sine caritate, peccat mortaliter et meretur damnationem, quia talis actus ex concupiscentiâ procedit, quum inter caritatem et concupiscentiam nullum detur medium.

---

[1] Varia Symbola *Lutherana* invenies apud *Schaff*, Creeds, vol. III, p. 1-189; *Calvinistica*, l. cit. 193-704. Recentem vero statum et conditionem variarum Protestantium sectarum, præsertim in Statibus Fœderatis Americæ, describunt auctores operis cui titulus *American Church History Series*. Quoad Lutheranos vide *H. Jacobs*, A History of the Evangelical Lutheran Church in the U. S. 1893; quoad Calvinistas, seu Presbyteranos, vide *R. E. Thompson*, vol. VI of the Amer. Ch. History Series. Juxta recentem recensionem (1890) numerantur in Statibus Fœderatis Lutherani 1,231,072 communicantes, Calvinistæ, seu Presbyteriani 1,278,332. (Cf. *Carroll*, The Religious Forces of the United States, 1893, pp. 205, 316). — Quoad easdem sectas in Europâ, cfr. *Mestral*, Tableau de l'Eglise chrétienne, Lausanne, 1870, 361-406; 620-646.

[3] Fusiorem Baiani erroris descriptionem invenire est apud *Montagne*, op. cit. diss. IX, p. 279 sq.; ipsas Baii propositiones a S. Pio V damnatas lege apud *Denzing*. Enchirid. n. 881 sq.

19. (D) *Cornelius Jansenius*, Episcopus Yprensis, in libro cui titulus *Augustinus*, post ejus mortem edito (1640), Lutheri et Baii errores, modo tamen subtiliori, renovavit; eosdem Abbas *San-Cyranus* et *Quesnellus* in Galliâ propugnarunt [1].

(a) Principium fundamentale est voluntatem non esse vere liberam, sed necessario trahi a delectatione sensibili seu concupiscentiâ, vel a delectatione cœlesti seu gratiâ [2].

(b) Hinc etiam justi non possunt adimplere omnia præcepta, quia aliquando ipsis deficit gratia efficax : gratia autem, quæ sufficiens vocatur, de facto, omnibus attentis circumstantiis, non sufficit.

(c) Ad meritum aut demeritum non requiritur libertas interna, sed sufficit libertas exterior seu immunitas a coactione.

(d) Christus non est mortuus pro omnibus, sed solum pro iis, quibus gratia efficax datur.

[1] Cf. *Montagne*, op. cit. diss. XI, p. 389 sq.; *Alzog*, op. cit. § 365. Hæ sunt Jansenii propositiones ab *Innocentio X* damnatæ : 1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. (Cf. *Denzing.* 966 sq., et quoad propositiones Quesnelli n. 1216 sq.)

[2] *Cœlestis* delectatio, juxta Jansenium, est supernaturalis et indeliberatus boni et recti amor, qui proprie in superiori parte animæ residet, sed quandoque partem sensibilem etiam afficit; *terrestris* autem delectatio est inordinatus ac indeliberatus creaturæ amor, qui plerumque sensibilis est, quandoque tamen intellectualis.

Caput I.

DE GRATIA ACTUALI.

Art. I. De gratiæ actualis naturâ[1].

20. Gratia actualis, jam supra definita, nihil aliud est nisi concursus divinus in ordine supernaturali. Sicut enim ad opera naturalia requiritur Dei auxilium naturale, quo facultates nostræ ut in actum prosiliant juvantur, ita pariter ad actus supernaturales eliciendos requiritur auxilium quoddam supernaturale, quod gratia actualis appellatur. Differt tamen gratia a concursu naturali; (**a**) concursus enim, suppositâ creatione, homini *debetur* ideoque *naturalis* est, dum gratia prorsus *gratuita* est; (**b**) concursus ad opera etiam mala requiritur, videlicet ad positivum elementum quod in eis invenitur, dum gratia nonnisi ad opera bona; (**c**) hæc, juxta omnes, voluntatem prævenit, eique novas suppeditat vires, dum, juxta Molinistas saltem, concursus non est præveniens sed simultaneus, nec vires novas addit, sed vires jam antea collatas juvat ut in actum transire possint. Ad investigandam gratiæ actualis naturam, tria inquirere licet: 1° quid veniat sub nomine gratiæ actualis; 2° quasnam vires conferat; 3° quænam sint variæ ejus species.

1. Quid venit sub nomine gratiæ actualis?

Sub conceptu gratiæ actualis veniunt ea omnia auxilia ordinis supernaturalis, quæ modo transeunti intellectum illuminant, voluntatem roborant, vel pios sensus in sensitivis facultatibus excitant in ordine ad salutem.

21. 1° *Mentis illustrationes*, quibus Deus intellectum illuminat in ordine ad vitam æternam. (**a**) *Scriptura* enim

---

[1] Cf. *Suarez*, de Gratiâ, lib. III; *Salmant.* de Gratiâ, disp. V; *Palmieri*, de Gratiâ div. actuali, th. 7-13; *Mazzella*, n. 107 sq.; *Hurter*, n. 13 sq.; *Egger*, n. 335 sq.

declarat Deum "aperire oculos hominum, ut convertantur a tenebris ad lucem[1], illucere in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei[2], dare nobis spiritum sapientiæ et revelationis et illuminatos oculos cordis"[3]; atqui hæc omnia aliaque multa manifeste ostendunt unum e mediis, quibus Deus in ordine ad salutem nos adjuvat, esse mentis illuminationem, quâ quid agere debeamus nobis innotescit. (b) *Ratio* idem suadet; gratia enim tum ad vulnera animæ sananda, tum ad vires ejus elevandas tendit : porro anima curari vel ad altiorem gradum evehi nequit nisi prius ejus intellectus illuminetur; hæc enim facultas per peccatum originale vulnerata fuit, vulnere sc. ignorantiæ, proindeque gratiâ curari debet; aliunde, cum nil volitum sit nisi præcognitum, voluntas bonum supernaturale prosequi non valet, nisi prius intellectus, supernaturali lumine gratiæ adjutus, ea quæ sunt peragenda viderit.

Illæ autem illuminationes duplicis sunt generis : (a) *mediatæ*, quæ in nobis non directe a Deo excitantur, sed mediante objecto divinitus proposito, v. g. lege divinâ, prædicatione, sacrâ lectione, etc. Quo sensu de lege dicitur : "Lex Domini immaculata convertens animas ... sapientiam præstans parvulis ... illuminans oculos"[4]; (b) *immediatæ*, quas Deus ipse directe vi suâ in animâ excitat, mentem indebito lumine confortans ut veritatem rite apprehendat. Exemplum habetur in *Actibus*, ubi de muliere, quæ prædicationem Pauli audiebat, dicitur[5] : "Cujus Dominus *aperuit cor* intendere his quæ dicebantur a Paulo"; quibus verbis significatur Deum, occasione prædicationis, directe ejus mentem illuminâsse. Quæ quidem illustrationes a *revelatione* differunt, quia ex se aliquid novi non necessario manifestant, sed mentem adjuvant ut ea quæ dicuntur, vel leguntur, melius intelligat.

22. 2° *Inspirationes*, quibus *voluntas* excitatur et potens redditur ad volendum et operandum actus salutares; duplicis sunt pariter generis : (a) *mediatæ*, quibus Deus directe in intellectum ac consequenter indirecte in voluntatem

[1] *Act.* XXVI, 18. — [2] *II Cor.* IV, 6. — [3] *Ephes.* I, 17-18.
[4] *Ps.* XVIII, 8-9. — [5] *Act.* XVI, 14.

agit : qui enim mentem illuminat, eo ipso aliquatenus voluntatem excitat et movet, quum voluntas naturaliter dictamen sequatur rationis; (b) *immediatæ*, quibus Deus directe voluntatem ipsam movet et elevat ut modo salutari agere possit. Hujus posterioris gratiæ existentia probatur : (a) *Script.*, ubi dicitur Deum nos *trahere*[1], operari in nobis *velle* et perficere[2], *incrementum dare* " neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus"[3]; etenim per metaphoram plantationis et irrigationis significatur, ex contextu, Pauli et Apollonis prædicatio, quâ Corinthiorum fides plantata et exculta fuerat; per incrementum autem designatur spiritualis progressus, quem solus Deus per interiorem gratiam illustrationis et inspirationis promovere potest[4]. (b) *Rat. theol.* Ut salutares actus perficiamus, non sufficit ut intellectus illuminetur, sed requiritur ut voluntas nostra sanetur et elevetur; ipsa enim per peccatum originale vulnerata fuit, vulnere sc. malitiæ; aliunde *per se* incapax est actus supernaturales eliciendi; atqui utrumque perficitur inspirationibus supra descriptis, quæ infirmitatem nostram adjuvant, et voluntatem ita perficiant, ut actus supra vires naturæ elicere valeat.

23. 3° *Actus indeliberati* facultatum *sensitivarum*, v. g. imaginationis, memoriæ, appetitûs sensitivi, quatenus ad sanctificationem ordinantur. Nemini enim dubium esse potest Deum aliquando pias imaginationes in phantasiâ excitare, vel pios motus in appetitu sensitivo, quibus voluntas nostra ad bonum allicitur; iterum auxilio indebito impedire valet ne motus carnis excitentur, et tentationes occurrant; atqui hæc omnia sunt revera gratiæ, quum nos sive a malo removeant, sive promoveant ad bonum supernaturale, eoque tendant ut vulnus *concupiscentiæ* sanent, spirituales, loco terrestrium, delectationes præbendo.

---

[1] Hinc *Augustinus* ait (serm. 17 in Ps. 118, n. 3) : " Docet Deus suavitatem inspirando delectationem... docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic docet, ut scienda sciamus aperiendo veritatem; ut facienda faciamus inspirando suavitatem ".

[2] *Joa.* VI, 44. — [3] *Philip.* II, 13. — [4] *I Cor.*, III, 7.

24. 4° *Actus providentiæ externæ*, quibus ad opera salutaria promovemur, ut sunt felices eventus vel e contrario calamitates, societas cum certis personis, remotio occasionum peccandi, mors præmatura etc.; hæc omnia enim, quamvis in se naturalia, ordinari possunt et sæpe sæpius ordinantur ad nostram salutem, ut constat ex *Sap.* IV, 11, " raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus ". Revera felices eventus ad gaudium et spem, adversi autem ad pœnitentiam haud raro provocant, proindeque sunt gratiæ externæ, quibus ad bene agendum excitamur.

II. Quasnam vires gratia actualis confert?[1]

Certum est gratiam actualem vires morales conferre, *communiter* tenetur eamdem vires etiam physicas præbere.

25. 1° *Vires morales præbet;* nam, juxta Scripturam et Patres, gratia homines vocat, excitat, allicit, trahit ad bonum[2]; atqui talis agendi ratio moraliter in voluntatem influit, sicut mater, filium vocando et suavibus verbis alliciendo, eum moraliter ad se trahit; ergo. *Experientiâ* confirmatur : si quis enim, vehementer ad illicita inclinatus, divinum lumen vel supernaturalem delectationem accipiat, statim alacrior fit ad tentationem superandam, quasi novas vires morales accepisset.

26. 2° *Vires etiam physicas* spiritualis ordinis addit facultatibus nostris ad actus salutares eliciendos; etenim homo, cum solis propriis viribus, in impotentiâ *physicâ* versatur actus supernaturales eliciendi, quum sint supra ejus facultates; atqui talis impotentia physica vinci nequit nisi per virium physicarum additionem, quibus facultates nostræ eleventur ad faciendum id quod per se facere nequibant; quo sensu a S. Paulo dicitur : " *Non* quod *sufficientes simus cogitare* (salubriter) aliquid a nobis quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est "[3]; " Deus est enim qui operatur in vobis et *velle* et *perficere* "[4]. Res illustrari potest comparatione matris, quæ puerulum, adhuc deambulandi incapacem, non solum verbis, sed etiam physicâ motione ad am-

[1] Cf. *Ripalda*, op. cit., disp. 110; *Palmieri*, op. cit. th. 14-15; *Tepe*, n. 97-98.

[2] *Ephes.* V, 14; *Joa.* VI, 44 etc. — [3] *II Cor.* III, 5. — [4] *Philip.* II, 13.

bulandum adjuvat; ita Deus non solum morali suasione, sed infusione spiritualium virium nos ad salutares actus faciendos juvat.

27. Controvertitur autem quomodo facultates nostræ eleventur et roborentur ad actus supernaturales perficiendos, quando habitibus supernaturalibus non fuerunt ornatæ; *Thomistæ* docent hoc fieri *intrinsece* per quamdam *entitatem realem* et *supernaturalem*, *transeunter* a Deo communicatam, vi cujus facultates nostræ excitantur et moventur ad agendum; hinc gratia actualis non est actio vitalis, sed vel motio, vel qualitas actum vitalem præcedens. Etenim gratia dicitur *pulsatio, excitatio, vocatio, tactus;* atqui pulsatio, excitatio etc. non efficiuntur ab eo qui pulsatur vel excitatur, sed solum a pulsante vel excitante; ergo hujusmodi actus non sunt actus vitales, a facultatibus eliciti, sed aliquid actum vitalem præcedens. Revera facultates nostræ, utpote naturales, non possunt actus vitales supernaturales producere, nisi prius eleventur aliquâ entitate supernaturali, quæ tota sit a Deo, proindeque motus non vitalis. *Molinistæ* autem tenent facultates nostras elevari per divinam operationem, absque entitate reali potentiis nostris modo transeunti additâ; Deus videlicet, simul cum facultatibus nostris constituens unum principium adæquatum operandi, producit in intellectu illuminationes et in voluntate inspirationes, indeliberatas quidem sed vitales; per hunc supernaturalem concursum facultates nostræ vere et realiter elevantur, licet secundum interna constitutiva manserint prorsus immutatæ, et fiunt capaces, una cum auxilio Dei, salutares actus deliberatos perficiendi. Gratia siquidem vocatur *pulsatio, excitatio* etc.; sed quando pulsatur vel excitatur intellectus aut voluntas, producitur in nobis quædam cognitio aut volitio; atqui motus hujusmodi, licet indeliberati, sunt tamen vitales, quia non possunt recipi in facultatibus nostris nisi per actus vitales.

Uterque dicendi modus possibilis est, et quum hâc de re sileant tum Scriptura tum Traditio, unusquisque in suo sensu abundare potest [1].

III. De gratiæ actualis speciebus [2].

28. 1° Ratione *finis* propter quem conceditur, gratia est medicinalis vel elevans: (a) *medicinalis*, quæ ad subveniendum infirmitati naturæ per peccatum originale vulneratæ

[1] Thomistarum opinionem propugnant inter alios *Salmant.*, disp. V, n. 37 sq.; *Billuart*, diss. IV, art. 2; Molinistarum vero systema defendunt *Suarez*, l. III, c. 1; *Mazzella*, disp. 1, a. 5; *Palmieri*, th. 16; *Pesch*, n. 59-63.

[2] Cf. *S. Th.* 1. 2., q. III, a. 2-3; *Suarez*, l. III; *Salmant.*, disp. V, n. 155 sq.; *Billuart*, diss. V; *Mazzella*, n. 171 sq. *Palmieri*, th. 18.

conceditur, viresque præbet ad actus bonos naturales sed difficiles faciendos; (b) *elevans*, quæ dat potestatem actus supernaturales eliciendi. *Prior* est *supernaturalis quoad modum*, non autem in se et intrinsece, quia, licet gratuita, non ordinatur ad aliquid supernaturale in se; *posterior* autem est *supernaturalis in se*, seu quoad substantiam. Probabile est infidelibus aliquando dari gratias pure medicinales, ut legem naturalem adimplere possint; si agatur autem de fidelibus, communiter gratiam simul sanantem et elevantem accipiunt, ut supernaturaliter in omnibus agere valeant.

29. 2° Ratione *modi* quo agit, gratia est operans vel cooperans: (a) *operans*, est motus internus intellectûs aut voluntatis, quem Deus operatur *in nobis sine nobis*, et quo nos ad bonum libere agendum sollicitat; v. g. peccator divinum verbum audiens, aliquando illustrationes in intellectu piosque motus in voluntate experitur, etiam antequam libere agat: hæc est gratia operans, de quâ Apostolus dicit: "Deus *operatur* in vobis velle"; vocatur etiam *præveniens* seu *antecedens*, quia libertatis exercitium prævenit, aut *excitans*, quia nos veluti torpentes a somno spirituali evigilat, juxta illud [1]: "Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus".

(b) *Cooperans* est adjutorium quo Deus voluntatem juvat ad libere consentiendum gratiæ operanti et perficiendum opus supernaturale, quod proinde agit *in nobis et nobiscum;* v. g. peccator, jam per gratiam excitantem præventus, actum contritionis elicere incipit sub influxu gratiæ: talis gratia est *cooperans*, quia simul cum peccatore libere agente concurrit ad actum eliciendum; vocatur etiam *concomitans*, quia nos agentes veluti comitatur, vel *adjuvans*, quia nos ad agendum juvat, vel etiam *subsequens*, quia subsequitur voluntatis motum quem gratia præveniens operata est.

30. Ex dictis igitur triplex saltem est differentia inter gratiam operantem et cooperantem: (a) prior existere potest sine posteriore, dum posterior nunquam sine priore datur; nam a Deo excitari possumus quin tali excitationi

[1] *Ephes.* V. 14.

consentiamus, dum gratiæ cooperanti consentire non valemus, nisi prius gratiâ operante excitati simus; (b) prior munus suum implet, etiamsi nullus opus morale fiat, quia ejus officium est solummodo nos sollicitare; posterior autem sine voluntatis concursu munus suum explere nequit, quia adjuvari non potest voluntas, nisi ipsa ad opus concurrat; (c) prior ex se est solum *sufficiens*, quia gratiæ excitanti voluntas resistere potest; posterior autem est *efficax*, quia non datur nisi homini actu operanti et consentienti.

31. Hæc ab omnibus theologis conceduntur; sed acriter controvertitur utrum insuper gratia excitans ab adjuvante *entitative* distinguatur: (a) *Thomistæ* affirmative respondent: gratia excitans, inquiunt, est virtus transiens, quâ Deus in intellectu et voluntate indeliberatos cognitionis actus piosque motus causat; gratia vero adjuvans est nova virtus voluntati impressa, quâ Deus facit ut homo libere exsequatur id ad quod excitatus est. (b) *Molinistæ* e contra tenent gratiam excitantem et gratiam adjuvantem esse *entitative easdem*, licet munere et effectu differant: eadem enim gratia, quatenus consensum nostrum antecedit, est operans seu excitans, quatenus vero efficit nobiscum consensum, est adjuvans seu cooperans; sicut actus indeliberati somniantium convertuntur in actus deliberatos, si libere post evigilationem retineantur.

32. 3° Ratione *effectûs*, gratia est sufficiens vel efficax: (a) *sufficiens* ea est quæ dat veram et expeditam facultatem bonum faciendi; est autem *mere sufficiens*, quando suo caret effectu, quia eidem voluntas suâ culpâ resistit, ut exemplum habetur in *Prov.* I, 24: "Vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret". Iterum gratia est *immediate* sufficiens, quando directe potentiam dat actum ipsum operandi, et *remote* sufficiens, quando proxime dat potentiam orandi aliudve faciendi, et, mediante oratione aliâve actione præviâ, potentiam ipsum actum eliciendi. (b) Gratia *efficax* ea est cui voluntas de facto libere consentit, ac proinde semper suum obtinet effectum. Undenam autem venit ut gratia sit efficax, magno æstu inter Thomistas et Molinistas controvertitur, ut infra videbitur.

Art. II. De Gratiæ necessitate.

In statu naturæ lapsæ, gratia actualis necessaria est non solum ad actus *supernaturales* seu *salutares*, sed etiam ad quosdam *ethice* seu *moraliter* bonos.

§ I. De necessitate gratiæ sive actualis, sive habitualis ad actus bonos ordinis naturalis[1].

Jam dictum est in *Tr. de Relig.* hominem lapsum non posse moraliter, sine auxilio gratuito, cognoscere omnes veritates naturales collective sumptas, licet quasdam veritates, tum speculativas, tum practicas propriis viribus cognoscere valeat. Inquirendum igitur superest de necessitate gratiæ in ordine morali, 1° quid possit homo lapsus, sine gratiâ, relate ad opera naturaliter bona; 2° quid non possit.

I. Quid homo lapsus possit, sine gratiâ, quoad opera ethice bona?[2]

33. 1° *Errores.* (A) Protestantes plerique, tum *Lutherani* tum *Calvinistæ*, contendunt per originale peccatum naturam ita fuisse vitiatam, ut homo non renatus, seu nondum justificatus per gratiam, nullum opus moraliter bonum perficere valeat: dicebat siquidem *Lutherus* "hominis naturam post lapsum esse mutatam, peccatum originis esse id quod nascitur ex patre et matre, hominem esse ipsum peccatum"[3]; et in *Concordiæ Formulâ* legitur[4]: "Credimus

---

[1] Hic agitur directe de gratiæ *actualis* necessitate; quia vero Protestantes et Jansenistæ gratiæ habitualis et gratiæ fidei necessitatem ad bonum opus naturale prædicant, eos confutare necesse est n. 34-37.

[2] Cf. *S. Thomas*, 1. 2. q. 109, a. 1-2; *Suarez*, l. 1, c. 1-22; *Salmant.* disp. II. dub. 2; *Bellarminus*, de Gratiâ et lib. arbit., l. v, c. 5-9; *Murray*, de Gratiâ, disp. VI, n. 25 sq.; *Mazzella*, n. 423 sq.; *Palmieri*, th. 20-21.

[3] Apud *Moelher*, Symbolism, § VI, p. 148, ed. 1844.

[4] Cf. *Schaff*, Creeds of Christendom, vol. III, p. 100. Nec aliter docent *Calvinistæ*, seu Presbyteriani; hæc enim leguntur in *Confessione fidei Westmonasteriensi*, cui hodie etiam adhærent: "Ab hâc originali labe, quâ *ad omne bonum facti sumus inhabiles prorsus ac impotentes, eique plane oppositi, ad malum autem omne proclives penitus,*

docemus atque confitemur peccatum originis non esse levem, sed tam profundam humanæ naturæ corruptionem, quæ nihil sanum, nihil incorruptum in corpore et animâ hominis, atque adeo in interioribus et exterioribus viribus ejus reliquit". Hinc, juxta ipsos, omnia opera infidelium et peccatorum, etiam materialiter bona, sunt peccata.

(B) Idem fere docuerunt *Jansenistæ*, juxta quos nulla gratia datur ante gratiam fidei, et aliunde nullum opus moraliter bonum sine gratiâ perfici potest; ex quo sequitur omnia infidelium opera esse peccata, et virtutes philosophorum vitia. A quibus non multum differt *Baius*, juxta quem nullum opus bonum perfici potest absque gratiâ sanctificante et imperio caritatis.

(C) Tandem quidam theologi, *Augustinenses* dicti, post Card. *Norisium*, docuerunt nullum opus bonum in statu præsenti perfici posse absque gratiâ actuali. Contra quos tres statuemus theses.

34. *Thesis* : **Homo lapsus potest, sine gratiâ supernaturali, cum solo Dei concursu naturali, aliquod opus moraliter bonum perficere.**

Declaratur. Hic agitur de homine *lapso*, i. e. de homine qualis nunc existit post peccatum originale. Jamvero statuitur hominem lapsum posse propriis viribus *aliquod*, non autem omne, opus moraliter, seu naturaliter bonum perficere. Id facere potest cum solo Dei concursu in ordine naturali, *sine gratiâ supernaturali*, sive habituali sive actuali, etiam absque gratiâ fidei. Propositio tamen varios habet certitudinis gradus secundum varias species gratiæ de quâ agitur :

---

proveniunt omnia peccata actualia". (Apud *Schaff*, l. cit. p. 615.) Quod tamen intelligi non debet de actibus ad vitam civilem pertinentibus : "Homo bonus et justus esse potest, suaque socialia officia adimplere, ita ut aliorum hominum tuto approbationem sibi comparare valeat. Hoc vero minime importat animi statum in quo hujusmodi actus complentur, vel motiva quæ ipsos inspirant, esse hujusmodi, ut Dei infinite sancti approbationem mereantur; sed importat tantum hos actus, quoad objectum, a lege morali præscribi". (*Hodge*, Systematic Theology, vol. II, 263.)

(a) *De fide est*, contra Lutheranos et Calvinistas, hominem lapsum posse, ante adeptam justificationem, aliqua opera moraliter bona facere, seu, aliis verbis, non omnia peccatorum opera necessario esse peccata, ut constat ex hâc definitione Trid.: [1] "Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata... A.S."

(b) *Certum est*, contra Protestantes, Baium et Jansenistas, hominem lapsum posse, etiam sine gratiâ fidei, aliquod opus moraliter bonum facere, proindeque non omnia infidelium opera esse peccata, ut colligitur ex damnatione hujus *Baii* propositionis [2] : "Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia."

(c) *Communis et vera sententia est*, contra Augustinenses, hominem lapsum posse, etiam sine gratiâ actuali, cum solo Dei concursu naturali, aliquod opus moraliter bonum peragere, ut colligi potest ex damnatione variarum *Baii* propositionum [3] : "Liberum arbitrium, sine *gratiæ* Dei *adjutorio*, nonnisi ad peccandum valet... Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit... Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ... est capax omnis mali et incapax ad omne bonum". Ex hoc enim sequitur liberum arbitrium sine *gratiâ actuali* (gratiæ adjutorio) ad aliquid aliud valere quam ad peccandum, boni aliquid naturalis ex naturæ solis viribus perficere posse, atque voluntatem, sine gratiâ præveniente, alicujus boni esse capacem. — Notandum est tamen hic agi solum de *potentiâ* faciendi bonum; controvertitur autem utrum *de facto* aliquid boni peragatur sine gratiâ supernaturali : nonnulli enim theologi contendunt omnem cogitationem bonam et omnem conatum ad bonum sub influxu gratiæ produci, quia ad vitam æternam conducunt; sed simul admittunt hominem lapsum *per se* capacem esse alicujus boni naturalis [4].

35. *Probatur* thesis, contra varios impugnatores jam allegatos, iisdem argumentis, videlicet :

[1] *Trident.* sess. VI, can. 7. — [2] Apud *Denzing.* n. 905; cfr. n. 915, 918, 920. — [3] *Denzing.* n. 908, 910, 917; cfr. n. 1254 ubi damnatur una e *Quesnelli* propositionibus. — [4] Cfr. *Suarez*, lib. I, c. 18, n. 7; *Ripalda*, disp. 114, sect. 13, n. 123.

1° *Script.* (A) Deus enim non solum *peccatores*, sed etiam *infideles* hortatur ad aliqua opera facienda, ea quandoque laudat, eisdemque præmium promittit atque largitur.

(a) *Peccatores* enim sic alloquitur [1] : " Fili peccasti? Non adjicias iterum, sed et de pristinis deprecare, ut et tibi dimittantur." " Convertimini ad me, ... et convertar ad vos [2]." Insuper bona opera facientibus remissionem peccatorum promittit [3] : " Si quis cognoverit plagam cordis sui et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo ... et repropitiaberis." Revera publicanus, humilitatis et orationis actibus, veniam suorum peccatorum obtinet. [4] Atqui impossibile est ut Deus hortetur ad opera mala aut ea remuneret. Ergo quædam saltem opera peccatorum non sunt mala.

(b) Quoad *infideles* idem constat; siquidem Deus excitat Nabuchodonosor ad redimendum peccata sua eleemosynis, et ei confert terram Ægypti, quia, juxta præceptum Domini, Tyrum expugnaverat [5]; insuper laudat Cyrum eo quod templum instaurari mandaverit[6]; atqui Deus non potest suadere, laudare et remunerari opera moraliter mala; ergo quædam saltem opera infidelium non sunt peccata[7]. Præterea Paulus Gentiles reprehendit " quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt " [8]; atqui si incapaces fuissent aliquid boni peragere, non potuissent reprehendi quod illud neglexerint; ergo. Insuper de Gentibus in genere, ac proinde de eis quæ erant etiam fide destitutæ, ait : " Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex "[9], atqui ibi manifeste supponitur Gentiles aliquot opera legis naturalis, ac proinde aliquid boni perficere posse [10]; ergo non solum peccatores, sed etiam infideles aliquot opera naturaliter bona peragere valent.

---

[1] *Eccli.* XXI, 1. — [2] *Zach.* I, 3. — [3] *III Reg.* VIII, sq.; cfr. *Isa.* I, 16-18; *Jerem.* III, 12-14. — [4] *Luc.* XVIII, 13. — [5] *Dan.* IV, 24; *Ezech.* XXIX, 18-20. — [6] *Isa.* XLIV, 28. — [7] Nonnulli theologi argumentum desumunt ex *Exod.* I, 17-21, ubi agitur de obstetricibus, quæ a Deo remunerantur eo quod masculos infantes Hebræorum interficere recusaverint; sed ratio non est apodictica, quia non constat hujusmodi obstetrices fuisse infideles. Cf. *Murray*, l. cit. n. 27. — [8] *Rom.* I, 21. — [9] *Rom.* II, 14.

[10] Hæc est enim communis interpretatio, quæ sane tuta est, quum

(B) Jamvero, ut hæc opera bona facere valeant, non requiritur gratia actualis, sed sufficit concursus Dei naturalis; nam nullibi in Scripturâ asseritur eos supernaturali auxilia adjuvari dum hæc opera perficiunt, sed solum statuitur eos *naturaliter*,[1] i. e. ex naturali dictamine rationis ea quæ legis sunt facere; atqui necessitas auxilii supernaturalis non debet supponi, sed probari, quando agitur de opere naturaliter bono, quum ad bonum *naturale* per se sufficiat auxilium ejusdem ordinis; ergo nec requiritur gratia actualis.

36. 2° *Rat. theol.* Ut actio sit ethice, seu naturaliter bona, sufficit ut sit honesta ex parte *objecti*, *finis* et *circumstantiarum*. Atqui nihil prohibet quin homo lapsus, etiam peccator et infidelis, possit, sine gratiâ, actum perficere qui ex hoc triplici capite honestus sit. Nam, ex dictis, ubi de peccato originali, natura humana per Adami peccatum non fuit penitus corrupta, vel intrinsece in suis naturalibus minuta, sed remanet libero arbitrio prædita et morum capax; atqui ens liberum et morum capax potest, aliquando saltem, perficere opera ex omni parte naturaliter bona, etiam sine supernaturali auxilio : — (a) Potest siquidem peragere opera *objective* et materialiter bona, ea scilicet quæ sunt faciliora, ut eleemosynam, amorem erga parentes etc, quum talia opera ejus naturæ sint proportionata. (b) Insuper finem honestum naturalem sibi præficere potest, v. g. dum facit eleemosynam, sublevationem pauperis intendere potest. Nec dicatur infidelem necessario referre actum suum ad idola, quæ colit; nam imprimis inter infideles inveniuntur qui unum verum Deum agnoscant, ut Mahumetani; insuper, etiamsi quis idola colat, non necessario perficit omnia opera sua ad falsis numinibus placendum; si enim nos non elicimus omnia opera nostra propter Deum, sed aliquando propter alium finem, infidelis non semper ac necessario

damnata fuerit hæc Baii propositio : " Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. II, " Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt ", intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus " (*Denzing.* 902). Sane Gentes, quæ legem non habent, designant Gentiles non conversos, quum ii, qui christianam fidem amplectuntur, christianæ legi subdantur nec dici possint sine lege esse. — [1] *Rom.* II, 14.

actiones suas ad falsa numina refert, sed sæpe propter finem simpliciter honestum agit; porro finis simpliciter honestus proprio pondere in finem ultimum, in Deum scilicet tendit. Idem dic de peccatore; quamvis enim habitualiter a Deo avertatur, hæc aversio non reddit actus ejus malos, nisi erumpat in actum, sed solum impedit ne ejus actus sint meritorii de condigno. (c) Tandem opus perficere potest, quod ex nullâ circumstantiâ malâ vitietur, quum difficilius non sit opus honestum facere quoad circumstantias quam quoad substantiam ipsius actûs. Objiciunt quidem adversarii nullum actum esse moraliter bonum, nisi referatur in Deum; sed immerito, nam sufficit relatiò implicita, quæ semper existit, quando actio elicitur propter finem honestum.

37. *Solvuntur difficultates.* Contra primam et secundam partem thesis Protestantes multas urgent difficultates, quarum præcipuas solum referre satis erit. (A) Christus aperte dixit : " Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere "[1] ; atqui arbor mala est peccator vel infidelis; ergo.

Resp. Nego minorem ; nam, ex contextu, arbor mala *falsos prophetas* designat, ut constat ex vers. 15 : " Attendite a falsis prophetis .... a fructibus eorum cognoscetis eos " ; et sensus est falsos prophetas ex fructibus agnosci posse, quum *plerumque* ex prædicatione falsæ doctrinæ nonnisi divisiones, invidiæ, seditiones et effrænata morum depravatio consequantur. Insuper, etiamsi sub nomine arboris malæ peccatores et infideles venirent, non exinde sequeretur omnia eorum opera mala esse; sicut enim arbor, quæ non est ex omni parte mala, quosdam bonos fructus aliquando profert, ita pariter peccatores vel infideles, qui non sunt ex omni parte mali, quum suas naturales facultates retineant, quandoque bonos operum fructus proferre possunt.

(B) *Instant :* " Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit "[2]; atqui per oculum *simplicem* significatur fides, per oculum *nequam* infidelitas; ergo.

Resp. Nego minorem, nam *oculus* hic designat vel judicium intellectus practicum, vel potius intentionem; etenim in præcedentibus versiculis Christus de rectâ intentione egit, quam requisitam esse in eleemosynâ, oratione et jejunio declaravit; proindeque sensus est : quando intentio simplex et recta est, opus bonum evadit ; quando vero mala, opus malum est ; quæ quidem interpretatio etiam ab hodiernis Protestantibus accipitur[3].

[1] *Matt.* VII, 18. — [2] *Matt.* VI, 23. — [3] Cfr. *Alford*, Greek Test. h. loc.

(C) *Instant* iterum : " Quod non est *ex fide* peccatum est "[1]; ergo infideles, qui fidem non habent, nonnisi peccare possunt.

Resp. Nego consequens et consequentiam, nam, inspecto contextu, non agitur de fide theologica, sed de *bonâ fide*, et sensus est : omne quod non est ex bonâ fide, sed dictamini conscientiæ opponitur, peccatum est; nam quæstio est de idolothytis, seu de cibo idolis oblato, et, etiamsi in se liceat de illis comedere, tamen peccat ille qui de eis, contra conscientiæ dictamen, comedit, ut fusius alibi [2] S. Paulus ipse explicat.

(D) *Objiciunt* iterum : " Sine fide impossibile est placere Deo "[3].

Resp. Distinguo : in ordine *supernaturali, concedo;* in ordine *naturali, nego.* Ex contextu enim constat S. Paulum de fide supernaturali agere in ordine ad salutem, ac proinde ad opera supernaturalia, nihil autem hic de operibus naturalibus, dicere. Idem responsum valet quoad omnes textus quos congerunt adversarii, et in quibus declaratur nos nihil boni facere, velle aut cogitare posse nisi a Deo : plerumque enim agitur de actibus *salutaribus;* si vero in quibusdam de naturali operatione agatur, sensus est nil posse a nobis peragi sine Dei naturali concursu.

(E) *Objiciuntur* insuper nonnulla Patrum, præsertim *S. Augustini*, effata, quibus dicitur opera infidelium esse peccata, liberumque arbitrium ex se nonnisi ad peccandum valere [4].

Resp. Non diffitemur loca hujusmodi difficilia esse intellectu. Attamen sensu catholico pleraque saltem intelligi possunt. Supponit videlicet Augustinus hominem ad finem et statum supernaturalem destinatum fuisse, ex hoc vero statu per peccatum originale excidisse, et nonnisi per fidem posse reparari. Hinc omnis actio, quæ ad finem supernaturalem non tendit, non solum inutilis, sed etiam mala ab ipso vocatur, quia deflectit ab ordine quem Deus constituit ; quo sensu scribit : " Quidquid boni fit ab homine et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine *peccatum* est " [5]. Talis autem actio est quidem *peccatum materiale*, quia deordinatio est, sicut ipsa concupiscentia quæ ab Augustino pariter vocatur peccatum; imo sæpe erit peccatum *formale*, si quis ex pravâ intentione gratiæ resistendi agat ; sed non liquet mentem Augustini fuisse omnia infidelium opera, propter solum fidei defectum, esse peccata formalia, quum alibi agnoscat quædam saltem opera ab eis peracta esse laude digna [6]. Aliunde si quædam sententiæ non possint tam benigne intelligi, nil prohibet dicere S. Doctorem dum gratiæ necessitatem contra Pelagianos acriter defenderet, qui hanc veri-

[1] *Rom.* XIV, 23. — [2] *I Cor.* VIII, 7. — [3] *Hebr.* XI, 6. — [4] *S. August.* de Gestis Pelagii, n. 35; Cont. Julianum IV, 3; de Spiritu et lit. c. III, n. 5 etc. — [5] *Cont. Julian.*, lib. IV, c. 3, n. 21. — [6] *De Gratiâ Christi*, c. 24; de *Patientiâ*, c. 26 etc.

tatem prorsus negabant, nonnunquam verbis usum fuisse quæ ad aliud extremum declinare videntur. Quod jam animadverterat *S. Bonaventura* : "Hoc credendum est sensisse Augustinum, licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur. Ut eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum plus dicens et minus volens intelligi"[1].

II. Quid homo lapsus non possit sine gratiâ actuali[2].

38. *Status quæstionis.* Docuerant *Pelagiani* hominem in statu præsenti posse propriis viribus totam legem naturalem servare, imo talem statum perfectionis attingere ut nullum amplius sentiret concupiscentiæ motum. Hodierni Unitarii ac Rationalistæ, peccatum originale negantes, pariter tenent hominem posse, sine gratiâ, totam legem naturalem adimplere omnibusque tentationibus, etiam gravibus, resistere, dummodo recte instruatur.

39. *Thesis*: **Homo lapsus non potest moraliter, sine auxilio gratiæ, diu servare totam legem naturalem neque omnes graves tentationes superare.** *Certum est.*

40. *Declaratur.* (a) "non potest *moraliter*", quia hic agitur de impotentiâ non physicâ, sed morali : physica impotentia est absoluta incapacitas actum eliciendi, v. g. homo physice impotens est ad volandum; moralis autem impotentia est summa difficultas ad aliquid agendum, quæ de facto nunquam, vel fere nunquam superatur, licet absolute superari possit; (b) "*sine auxilio gratiæ*", i. e. sine aliquo auxilio a generali concursu distincto; ad hanc enim impotentiam superandam non requiritur *per se* auxilium vere supernaturale, sed sufficit auxilium præternaturale quod Deus benigne concedit hominibus bonæ voluntatis, qui faciunt id quod possunt; quidam tamen theologi dicunt de facto omne auxilium a Deo datum in hoc casu esse supernaturale, quia remote saltem ad vitam æternam conducit[3]; (c) "*diu servare totam legem naturalem*", quia non negamus

[1] Breviloq. p. 3 § 5. — Cf. *Suarez*, de Gratiâ, l. I, c. 19-21; *Ernst*, Die Werke und Tugenden der Unglaübigen, Freiburg 1871; *Hurter*, 58 sq. — [2] *S. Thom.* 1. 2. q. 109, a. 4 et 8; *Suarez*, lib. I, c. 23-28; *Salmant.* disp. II, n. 17 sq. *Bellarm.* op. cit. lib. V, c. 7-8; *Mazzella*, n. 369 sq., *Palmieri*, th. 20; *Murray*, disp. IV; *Pesch*, n. 147-172. — [3] *Ripalda*, disp. 114, sect. 18, n. 169; *Suarez*, lib. I, c. 27, n. 24.

hominem lapsum posse propriis viribus legem naturalem per *aliquod* tempus servare, aut *aliquot* præcepta, faciliora scilicet, etiam diu adimplere; (d) "neque *omnes graves tentationes superare*" : non enim negamus hominem lapsum posse propriis viribus levibus tentationibus singulatim sumptis resistere, aut etiam alicui gravi tentationi seorsim spectatæ [1]; sed in præsenti statu quædam sunt tentationes tam graves ut homo sine speciali auxilio non possit eas superare etiam victoriâ *naturaliter honestâ*. — Siquidem victoria de tentationibus potest esse triplex : (a) *salutaris* et meritoria, quando fit ex motivo supernaturali; (b) *peccaminosa*, quando quis tentationi resistit consentiendo in aliam, v. g. si quis avaritiam superat ex vanâ gloriâ; (c) *naturaliter bona*, quando quis resistit, propter motivum naturaliter honestum, v. g. avaritiam vincit propter motivum philanthropiæ. Jam vero hic non est quæstio de victoriâ *salutari*, quæ certo reportari nequit sine gratiâ; nec pariter de victoriâ *peccaminosâ*, cui gratia concurrere nequit; sed solum de victoriâ *naturaliter bonâ*.

41. *Probatur* 1° *Script.* (A) Relate ad *legem naturalem* (a) S. Paulus, in *Ep. ad Romanos* luculenter demonstrat neque Gentiles neque Judæos legem naturalem servavisse [2], et postea docet gratiam ad legis etiam naturalis observantiam necessariam esse; nam licet lex in se sit sancta, et justa, et bona [3], tamen, seorsum a gratiâ spectata, concupiscentiam potius acuit quam exstinguit : "Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non concupisces [4]"; atqui, pergit Apostolus, in statu præsenti hanc concupiscentiam propriis viribus vincere nequimus : "Quod enim operor non intelligo : non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum,

[1] Quidam theologi asserunt quidem hominem lapsum non posse, sine gratiâ, ullam tentationem gravem vincere, sed vel loquuntur de tentatione quæ tam diuturna est ut pluribus æquivaleat, vel suam opinionem ex fontibus revelationis probare nequeunt, ut recte animadvertit *Pesch*, nn. 157, 164 : "Nunquam enim hi fontes loquuntur de aliquâ particulari tentatione, sed de generali illâ pugnâ, in quâ homo undique difficultatibus obsessus sine gratiâ non potest non superari."

[2] *Rom.* I, 20-32; II, 1-29 — [3] *Rom.* VII, 12. — [4] *Rom.* VII, 7.

illud facio [1] "; ergo sine gratiâ totam legem adimplere non valemus. (b) Confirmatur ex *Jacobo* [2] declarante linguam, seu peccata oris, vix cohiberi posse : " Linguam nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero "; necnon ex *Sapientiâ* [3], ubi declaratur neminem sapientiam seu virtutem perfecte colere posse nisi per orationem, ac proinde per gratiam : " Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens (i. e., ex contextu, sapientiæ cultor), nisi Deus det ... adii Dominum et deprecatus sum ".

42. (B) Ratio autem cur homo lapsus non possit diu totam servare legem ex eo desumitur quod gravibus tentationibus impugnetur, quibus sine gratiâ resistere nequit : (a) id aperte docet S. Paulus qui describens statum hominis nondum per gratiam regenerati, ut fert communior opinio, vel etiam, juxta quosdam, hominis regenerati sed adhuc gravibus tentationibus obnoxii, hæc habet [4] : " Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio ... Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per J. Christum D. N.", vel, ut in multis græcis codicibus legitur, " Gratias ago Deo per J. Christum ". Unde sic : Apostolus hic docet summam hominis esse infirmitatem ad bonum faciendum, et eam repetit ex concupiscentiâ seu ex gravibus tentationibus quæ in nobis oriuntur; atqui simul affirmat illam infirmitatem non posse vinci, nec tentationes superari nisi per gratiam ex meritis Christi datam; ergo. (b) Idem constat ex illis Scripturæ locis ubi oratio ut necessaria commendatur ad tentationes superandas : " Vigilate et orate ut non intretis (i. e. non consentiatis) in tentationem " [5] ; atqui si vires naturales ad tentationes superandas sufficerent, oratio necessaria non esset ad gratiam impetrandam, quâ vincerentur; ergo.

43. 2° *Tradit.* (a) Patres doctrinam nostram propugnaverunt in disputatione cum Pelagianis, præsertim vero

[1] *Rom.* VII, 15. — [2] *Jac.* III, 8. — [3] *Sap.* VIII, 21.

[4] *Rom.* VII, 18-25. — Hâc de re, et ad fusiorem hujus loci interpretationem, vide *Corluy*, Spicilegium, t. II, p. 287 sq.

[5] *Matt.* XXVI, 41; cfr. *Luc.* XVIII, 1; *I Cor.* X, 12-13.

S. Augustinus, qui in libro *De Spiritu et literâ*, vestigiis Pauli inhærens, demonstrat legem sive mosaicam sive naturalem, sine gratiâ, parum prodesse ad recte vivendum; et insuper in libris *De naturâ et gratiâ* et *De correptione et gratiâ* probat hominem lapsum non posse propriis viribus omnes tentationes superare [1].

44. (b) Concilia eamdem doctrinam contra eosdem hæreticos definierunt; ita canones concilii plenarii *Carthaginensis* (418), a Zozimo approbati, docent gratiam requiri non solum ad remissionem peccatorum, quæ jam commissa sunt, sed etiam ad *adjutorium* ut non committantur; hanc gratiam requiri non solum in intellectu, sed etiam in voluntate; non solum ut facile, sed etiam ut simpliciter impleamus divina mandata [2]. —Ita pariter *Cælestinus I*, ad Episcopos Galliæ de erroribus Semipelagianorum scribens (431), declaravit " neminem idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei [3] ".

45. 3° *Ratione suadetur*. (a) Experientiâ constat aliquot præcepta legis naturalis esse *ardua*, non quidem eadem pro omnibus, sed varia pro variis individuis; præterea *multiplicia* sunt et occasiones ea violandi sæpe occurrunt, et ex hâc frequentiâ magnitudo difficultatis crescit; insuper haud raro *vehementes* exsurgunt *tentationes* [4] a carne, mundo et diabolo, quæ lumen rationis obscurant et voluntatem debilitant, et quandoque eo periculosiores sunt quo magis *diuturnæ*; aliunde tota lex naturalis adimpleri nequit nisi hæ tentationes vincantur. Unde sic : ad resistendum hujusmodi tentationibus et omnia legis præcepta fideliter servanda requiritur *prompta*, *attenta* et *perseverans* consideratio alicujus boni superioris quæ a peccato nos deterreat, qualis est consideratio vitæ æternæ, præmiorum ac pœnarum quæ bonis et malis servantur, pulchritudinis virtutis, fœditatis vitii, etc; nisi enim *prompte* bona spiritualia consideremus, mox bonis sensibilibus, quæ nobis pro-

[1] Cfr. *Migne*, P. L. t. XLIV, 201, 247, 915. — [2] Cfr. *Denzing*. n. 67-69. — [3] *Denzing*. n. 90. — [4] *Tentatio* in genere est sollicitatio ad peccatum. Duplex est, *gravis* vel *levis* : prior est ea quæ *vehementer* ad peccatum incitat et quidem per *notabile* tempus; posterior ea est quæ *remisse* inclinat ad peccandum, vel, licet intensa, *brevissimo* durat tempore.

pinquiora sunt, in peccatum trahemur; nisi *attente* ac *perseveranter*, tentatio crescet ac vix ei resistere poterimus. Atqui talis applicatio mentis nostræ ad superiora moraliter impossibilis est in statu naturæ lapsæ, ex iis quæ diximus circa effectus originalis peccati (*de Deo Creant.* n. 198); anima enim nostra quadruplici vulnere *ignorantiæ, malitiæ, infirmitatis* et *concupiscentiæ* sauciata, res divinas non facile percipit, sibique relicta debilis, inconstans et impar est ad diuturnas considerationes vel ad magnos conatus; ad rem S. Thomas scribit[1]: " Quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem (seu partem superiorem), remanet tamen in eâ corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur[2]. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur[3] quid oremus, sicut oportet, nescimus... Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur et protegamur qui omnia novit et omnia potest."

(b) *Historiâ* thesis confirmatur : nam si, absque gratiâ, lex naturalis integra moraliter servari posset, a nonnullis saltem paganis servata fuisset; atqui nullus cognoscitur paganus philosophus qui totam legem naturalem perfecte adimpleverit : sapientissimis enim, v. g. Socrati, Aristoteli Platonique gravia tribuuntur delicta, ut videre est apud *Diogenem Laertium*, ita ut S. Paulus dicere potuerit[4] : " Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est justus quisquam ". — Nec obstat quod alibi dicit[5] : " Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ

[1] *Sum. theolog.* 1ª 2ª, q. 109, a. q. Docet etiam Angelicus Doctor ordinarie solos justos diu vitare gravia peccata : " Similiter etiam antequam hominis ratio, in quâ est peccatum mortale, reparetur per gratiam justificantem, potest singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus, quia non est necesse quod continuo peccet in actu. Sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest... Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari velle, occurrunt multa propter quæ consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ipsius ; et ita peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum, et secundum habitum præexistentem " (q. 109, a. 8).

[2] *Rom.* VII, 25. — [3] *Rom.* VIII, 26. — [4] *Rom.* III, 9. — [5] *Rom.* II, 14.

legis sunt faciunt "; nam verba hæc intelligi possunt eo sensu quod *aliqua* legis præcepta, non autem omnia servaverint.

Corollarium de necessitate gratiæ ad amorem Dei.[1]

46. Hic quæstio est tantum de amore Dei naturali, nam, juxta omnes, ad amorem Dei supernaturalem certo requiritur gratia. Ille amor potest esse perfectus vel imperfectus : *perfectus*, si Deus diligitur super omnia, ita ut voluntas omnia facere parata sit potius quam eum offendere; *imperfectus*, si Deus non diligitur super omnia. Rursum amor Dei potest esse effectivus, vel affectivus tantum; *effectivus*, quando cum mandatorum executione conjungitur; *affectivus*, quando in voluntate residet, quin cum mandatorum observatione conjungatur. His positis,

47. 1° *Certum est* (a) hominem lapsum non posse moraliter, sine gratiâ, amare Deum amore *effectivo super omnia*, saltem ad *longum* tempus; nam ad hoc requiritur ut possit propriis viribus omnia præcepta legis naturalis per tempus notabile adimplere; atqui hoc est moraliter impossibile in statu naturæ lapsæ, ex dictis supra; insuper ea est corruptio humanæ naturæ ut bonum nostrum magis qnam Dei gloriam amemus : unde fit ut nimis arduum sit Deum ex toto corde diligere, nisi gratiâ juvemur; ergo; (b) hominem lapsum posse moraliter, sine gratiâ, amare Deum amore naturali *affectivo imperfecto*. Nam talis amor consistit in eo quod homo ita diligit Deum ut disponatur ad servanda saltem aliquot divina præcepta atqui, ex dictis, homo naturaliter aliquot divina præcepta servare potest; ergo potest amare Deum modo imperfecto.

48. 2° *Controvertitur* autem utrum homo possit moraliter, sine gratiâ, amare Deum amore *affectivo perfecto*, ita ut sincere velit omnia mandata servare.

[1] Cfr. *S. Thom.* 1. 2. q. 109, a. 3; *Suarez*, l. I, c. 29-36; *Salmant.*, disp. II, dub. 3-4; *Bellarminus*, l. IV, c. 7; *Palmieri*, th. 20; *Mazzella*, n. 404 sq.

(A) *Negative* respondent *Thomistæ*, aliique ut *Bellarminus* et *Suarez*. Etenim homo non potest sincere velle quod assequi non potest; atqui homo non potest naturaliter adimplere præcepta omnia, nec proinde effective amare Deum super omnia; ergo non potest illud sincere et realiter velle.

(B) Affirmative autem respondent *Molinistæ*, (a) nam, etiamsi homo de facto non possit moraliter adimplere omnia præcepta, tamen potest, quando nulla gravis tentatio urget, sincere velle ea adimplere; multa enim sincere volumus, quæ, propter infirmitatem, non adimplemus; atqui illa sincera voluntas sufficit ad amorem affectivum perfectum; ergo. (b) Aliunde recta ratio dictat, Deum, summum bonum, summe esse diligendum; atqui ratio recte dictare nequit id in quod voluntas naturaliter tendere non possit; ergo voluntas naturaliter tendere potest in Deum summe diligendum.

§ II. De necessitate gratiæ actualis ad opera supernaturalia.

Duplicis sunt generis opera supernaturalia : alia *præcedunt*, alia autem *subsequuntur* justificationem, seu gratiæ habitualis infusionem.

I. Gratiæ necessitas ad opera supernaturalia quæ justificationem præcedunt[1].

49. Actus supernaturales seu salutares de quibus agitur, sunt vel piæ *cogitationes* quibus peccatores vel infideles moventur in Deum, v. g. timor pœnarum, spes in divinam misericordiam; vel *motus voluntatis*, quibus peccatum odio prosequi incipiunt et bonum diligere; vel tandem *bona opera*, quibus piæ cogitationes ac bona desideria executioni mandantur. Necessitatem gratiæ ad illos actus negârunt *Pelagiani* et *Semipelagiani :* priores modo absoluto, posteriores autem, quibus accessit nostro sæculo *Hermes*, germanus theologus, asserendo gratiam saltem ad ini-

[1] *S. Thom.* 1. 2. q. 109, a. 6; *Suarez*, l. II, c. 3. sq.; *Salmant.*, disp. III, dub. 1-6; *Bellarminus*, l. VI, c. 1-6; *Billuart*, diss. III, a. 7; *Hurter*, n. 29 sq; *Murray*, disp. III; *Pesch*, n, 92 sq.

tium fidei non esse necessariam. Pelagianorum errores *Sociniani* et *Unitarii* renovârunt, docendo justificationem nihil aliud esse nisi conversionem ad Deum, et quemlibet posse propriis viribus ad Deum se convertere.[1]

50. *Thesis :* **Homo lapsus non potest etiam physice, sine gratiâ vere supernaturali illuminationis et inspirationis tum præveniente tum comitante, elicere actus supernaturales.** *De fide est* ex *Trident.* infra citando contra Pelagianos et Unitarios quoad actus quibus *positive* se præparat ad justificationem; *certum est* quoad alios. Dicitur *physice*, quia quando agitur de operibus supernaturalibus homo versatur in impotentiâ non solum morali sed etiam physicâ, nisi gratiâ juvetur, quum agatur de actibus qui sunt absolute supra ejus vires. Insuper gratia quæ requiritur est gratia *vere et entitative supernaturalis*, non autem simplex auxilium naturale indebitum, quia facultates nostræ indigent *elevari* ad altiorem ordinem ut supernaturaliter agere possint. Dicitur *positive*, quia homo potest propriis viribus *negative* se disponere ad gratiam, removendo scilicet quædam obstacula. v. g. vitando quædam peccata, aut excludendo vitiosos habitus etc.; sed facere nequit illa opera supernaturalia fidei, spei, contritionis quæ positive ad justificationem præparant. *Gratia* autem, quæ requiritur pro illis qui quovis habitu supernaturali carent, est gratia interna et quidem duplex, scilicet *illustratio* mentis et *inspiratio* voluntatis ; utraque enim facultas elevari indiget ut supernaturaliter agat; et illa gratia nos prævenit, pios motus indeliberatos in mente causando, et postea nos adjuvat dum actus deliberatos elicimus. — In thesi agitur directe de peccatoribus ad justificationem se præparantibus ; sed notamus insuper etiam justos, etiam habitibus supernaturalibus instructos, indigere gratiâ actuali ad actus salutares, ut ex textibus Scripturæ infra citandis clare colligi potest[2] : quod tamen de fide non est, sed communis et vera doctrina.

[1] *J. Clarke*, Orthod. p. 185.

[2] Plerique enim textus allegati directe spectant justos, qui jam in

51. *Probatur* (A) *Script.* (a) Juxta S. Paulum, homines per peccatum sunt veluti supernaturaliter *mortui;* "Unius delicto multi *mortui* sunt"[1]; "Cum essemus *mortui* peccatis, convivificavit nos"[2]; aut etiam spiritualiter *cæci:* "Eratis enim aliquando *tenebræ,* nunc autem lux in Domino"[3]; porro qui est veluti mortuus, aut etiam cæcus in ordine supernaturali, certe non potest aliquid facere ad vitam spiritualem de novo assequendam, nisi prius a gratiâ excitetur, sicut membrum corporis mortificatum non potest seipsum movere, nisi ab agente exteriori prius moveatur.

(b) Insuper Scriptura *diserte affirmat* omnes actiones nostras supernaturales, quæ ad tres revocantur, *cogitationes, volitiones,* et *executionem* earumdem, Deo esse tribuendas, ac proinde sub influxu gratiæ elicitas: "Non quod simus sufficientes *cogitare* aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est"[4]; "Deus est qui operatur in vobis et *velle* et *perficere*"[5]. Neque possumus nomen Dei invocare absque gratiâ: "Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto"[6]. De ipsâ oratione ait S. Paulus[7]: "Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam *quid oremus, sicut oportet,* nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus". His et similibus testimoniis clare constat nullam esse actionem supernaturalem ad quam non requiratur gratia actualis, eo quia impares sumus ad hujusmodi actum propriis viribus eliciendum. Animadvertatur insuper hic agi de gratiâ *internâ,* quæ operatur in nobis velle, et quam præbet Spiritus, nos movendo et juvando ad orandum.

(c) Item Scriptura *negat* nos aliquid posse sine gratiâ; quod Christus illustrat exemplo palmitum, qui fructus ferre nequeunt, nisi viti uniantur: "Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in

statu gratiæ versantur, ut paulo attendenti patebit. Nonnulli tamen catholici docent singulos quidem actus salutares fieri ex gratiâ actuali, sed non omnes ex *novâ* gratiâ *præveniente:* potest enim gratia excitans producere actum liberum, et hic actus potest iterum induere rationem gratiæ excitantis quoad sequentem actum. Ita *Pesch,* n. 109.

[1] *Rom.* V, 15. — [2] *Ephes.* II, 5. — [3] *Ephes.* V, 8. — [4] *II Cor.* III, 5. [5] *Philip.* II, 13. — [6] *I Cor.* XII, 3. — [7] *Rom.* VIII, 26.

me manseritis... Sine me nihil potestis facere"[1]; proinde sicut palmes totam suam vitam a vite derivat, ita ut nullum fructum a seipso proferre valeat, pariter homo totam suam vim ad opera supernaturalia ab influxu Christi accipit, ita ut sine ejus gratiâ nullum opus salutare efficere possit. Unde *S. Augustinus* animadvertit in hunc textum: "Non ait quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere; sive ergo parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest" (In *Joa.* tr. 81, n. 3). Nec dicatur hic agi tantum de gratiâ habituali; nam, licet præfata verba in se sumpta de necessitate gratiæ sanctificantis interpretari possint, Patres eis usi sunt ad probandum contra Pelagianos, gratiæ actualis necessitatem ad singulos actus supernaturales; hic est igitur sensus *traditionalis*[2].

(d) Tandem hæc omnia summatim comprehenduntur his Apostoli verbis: "*Gratiâ* enim estis salvati per *fidem*, et hoc *non ex vobis* (i. e. per naturalia opera): Dei enim *donum* est, *non ex operibus* ut ne quis glorietur; ipsius enim sumus *factura*, creati in Christo Jesu (qui est causa meritoria et exemplaris nostræ justificationis) in operibus bonis"[3] (i. e. ad bona opera exercenda). Ibi enim tot argumenta quot sententiæ; si enim *gratiâ*, i. e. gratuito salvati sumus, non certe nostris meritis; si per *fidem*, non per opera nostra; si justificatio est Dei *donum*, *non ex operibus*, sed Dei misericordiâ justificamur; si Dei *factura* sumus, non propriis viribus, sed Deo impellente et cooperante bona opera facimus. Numquid apertius declarari potest gratiæ necessitas ad omnes et singulos actus supernaturales?

52. (B) *Tradit.* Ex definitione C. *Trid.* (sess. VI, can. 3): "Si quis dixerit, sine *præveniente* Spiritus S. inspiratione, atque ejus *adjutorio*, hominem credere, sperare, dilige-

[1] *Joa.* XV, 1-5.

[2] Fusiorem hujus textus expositionem legere est apud *Corluy*, op. cit. p. 301 sq. — Aliunde sensus traditionalis satis probabiliter ex ipso textu eruitur: sicut enim non sufficit ut palmes sit viti conjunctus, sed requiritur ut quovis momento vitales succos a vite accipiat, ita pariter non sufficit ut anima Christo uniatur per gratiam habitualem, sed requiritur ut vitalem motum accipiat per gratiam actualem.

[3] *Ephes.* II, 8-10.

re aut pœnitere posse sicut oportet (i. e. modo supernaturali) ut ei justificationis gratia conferatur; A. S." Quod jam antea a Conc. *Arausicano II* (529) definitum fuerat (*Denzing.* 146-150), et a *Zozimo* in suâ Ep. dogmaticâ, quæ *Tractoria* dicitur: "Quod tempus intervenit quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est".

53. (C) *Rat. Theol.* Omnes actus proportionari debent fini ad quem tendunt; atqui justificatio est finis omnino supernaturalis, quum nihil aliud sit nisi infusio gratiæ sanctificantis, quam supernaturalem esse probavimus in *Tr. de Deo Creante* (n. 164 sq.); ergo actus præparatorii ad justificationem debent esse vere supernaturales; sed non possunt esse vere supernaturales, nisi fiant sub influxu gratiæ vere et entitative supernaturalis; potentia enim naturalis est radicaliter incapax actum supernaturalem efficiendi, nisi gratiâ ita elevetur ut operari valeat præter vires sibi naturaliter inditas. Comparatione res illustratur; sicut enim oleaster non potest ferre bonos fructus nisi ei inseratur ramus olivæ bonæ, ita pariter natura nostra fructus supernaturales ferre nequit, nisi ei inseratur gratia supernaturalis.

54. *Corollarium:* **Gratia actualis vere supernaturalis requiritur ad ipsum fidei initium, et ad cujuslibet operis supernaturalis desiderium.** *De fide est* contra Semi-Pelagianos et Hermesianos, utpote definitum a Conc. *Arausicano II* (a. 529), quod fuit solemniter approbatum a Bonifacio II: "Si quis... initium fidei [1] ipsumque credulitatis affectum non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur" [2].

55. (A) *Script.* (a) Dixit enim Christus: "Nemo potest venire ad me (seu credere in me, ut ex contextu apparet) nisi Pater, qui misit me, traxerit eum" [3]; jamvero ex hoc textu manifeste colligitur neminem posse accedere ad Christum per fidem, seu incipere credere in Christum, nisi prius

[1] Initium fidei, juxta Semi-Pelagianos, complectebatur desiderium credendi, desiderium salutis inde ortum atque divinæ bonitatis imploratione. Cfr. *Tepe*, n. 45.

[2] *Denzing.* 148. — [3] *Joa.* VI, 44.

a Patre, i. e. gratiâ alliciatur. Confirmatur ex *Rom.* XI, 35, ex quo etiam prima initia Deo tribuuntur : "Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei"?

(b) Insuper S. Paulus diserte affirmat nos nihil habere ex quo gloriari possimus [1] : "Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis"? atqui si fidei initium vel desiderium supernaturalis boni esset a nobis, haberemus aliquid unde gloriari possemus, scilicet illud initium fidei vel bonum desiderium; ergo. Huc etiam pertinent textus supra relati (n. 51) ubi declaratur nos non posse *orare*, aliquid *cogitare* aut facere absque gratiâ.

(B) *Tradit.* Hæc inter alia habet *S. Prosper* [2] : "Cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem... totus mundus amplexus est, veraci professione... dicamus gratiâ Dei per Jesum Christum D. N. non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam justitiam nos *per actus singulos adjuvari*, ita ut *sine ullâ nihil* veræ sanctæque pietatis *habere*, *dicere* vel *cogitare* valeamus".

(C) *Rat. Theol.* Ipsum initium fidei est opus supernaturale : nam velle credere nihil aliud est nisi velle aliquid supernaturale ; atqui, ex dictis, ad omne opus supernaturale, requiritur gratia supernaturalis ; ergo.

56. 3° *Solvuntur difficultates.* (A) Homo debet sese præparare ad justificationem : "Convertimini ad me et convertar ad vos" [3] ; atqui ad justificationem sese disponere nequit, nisi saltem possit propriis viribus initium fidei habere ; ergo. — *Resp.* Homo debet quidem se præparare ad justificationem, sed cum gratiâ Dei; quando enim Deus nos invitat ad conversionem, illa ipsa invitatio est jam gratia præveniens, cui, si respondemus, succedit gratia adjuvans ; nos autem non possumus incipere opus conversionis nostræ, nisi prius Deus nos adjuverit, juxta illud "converte nos, Domine, ad te, et convertemur" [4]. Hinc, ut ait *Trident.* (sess. VI, cap. 5), "In sacris litteris cum dicitur "convertimini ad me, et ego convertar ad vos", libertatis nostræ admonemur ; cum respondemus, "converte nos, Domine, ad te, et convertemur", Dei nos gratiâ præveniri confitemur".

(B) *Insto :* nam S. Paulus dicit : "Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio" [5] ; ergo saltem velle, seu initium fidei, est in nostra potestate. — *Resp.* Nego consequens, nam hic Apo-

[1] *I Cor.* IV, 7. — [2] Resp. ad cap. 8 Gallorum. — [3] *Zach.* I, 3.
[4] *Thren.* V, 21. — [5] *Rom.* VII, 18.

stolus loquitur de operibus naturalibus, et dicit nos capaces esse voiendi bonum naturale, quamvis plerumque illud non perficiamus, ob infirmitatem nostram; quando autem S. Paulus loquitur de operibus supernaturalibus, tunc sine dubio asserit tum velle, tum perficere esse a gratiâ: "Operatur in vobis velle et perficere"[1]. Alii *velle* intelligentes de volitione supernaturali ita textum interpretantur: velle cum gratiâ, adjacet mihi, sed alia et multo potentior gratia necessaria est ad opus exsequendum.

(C) Exhibentur etiam exempla Centurionis, Zachæi, boni Latronis, qui per orationem, aut pium desiderium Christum recipiendi, conversionem suam obtinuerunt; ex quibus deducitur initium conversionis esse a nobis. Sed contra, fides Centurionis, pium Zachæi desiderium et confessio boni Latronis, fuerunt, juxta Concil. *Arausicanum*, opera vere supernaturalia, sub influxu gratiæ interioris elicita, nec absque gratiâ præveniente elici potuissent[2].

II. Gratiæ actualis necessitas ad opera, quæ justificationem sequuntur, seu ad perseverantiam[3].

57. Ex dictis, gratia actualis necessaria est ad initium fidei et ad omnia opera ad justificationem præparatoria; sed insuper necessaria est etiam *justo* ad *perseverandum* in gratiâ habituali semel acceptâ, præsertim vero ad *perseverantiam finalem*, et tandem specialius etiam ad *omnia venialia peccata vitanda.*

Perseverantia, de quâ agitur, definitur in genere: duratio seu continuatio in statu gratiæ; duplex est: *temporalis* et *imperfecta*, quando diuturno tempore status gratiæ servatur, non tamen usque ad mortem; *finalis* et *perfecta*, quando quis in statu gratiæ usque ad mortem persistit.

Thesis 1ª: **Justus non potest diu perseverare in statu gratiæ sanctificantis sine gratiâ actuali vere supernaturali.** *De fide est* ex *Trident.* infra citando contra Pelagia-

[1] *Philip.* II, 13.

[2] "Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, et Zachæi, qui ipsum Dominum recipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, sed divinæ largitatis donum" (Apud *Denzing.* n. 171.)

[3] *S. Thomas*, 1. 2. q. 109, a. 9-10; *Suarez*, l. X, c. 2 sq.; *Salmant.* disp. III, dub. II; *Billuart*, diss. III, a. 10; *Mazzella*, n. 306 sq.; *Palmieri*, th. 28-29.

nos et Semipelagianos, qui contendebant hominem perseverare posse in gratiâ sanctificante sine gratuito auxilio gratiæ. *Probatur*

58. (A) *Script.* (a) Ex Scripturâ, etiam justi (i. e. illi qui sunt in statu gratiæ) gravibus tentationibus obnoxii sunt et contra diabolum et carnem certare debent; de justis enim dicitur: " Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ "[1]; " Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret "[2]; atqui, ex dictis, homo in statu naturæ lapsæ non potest, sine gratiâ, omnibus gravibus tentationibus resistere; ergo justi gratiâ indigent ad perseverandum[3]. Quod aliunde docet S. Petrus l. cit. " cui resistite fortes *in fide* " i. e. mediis supernaturalibus; nam si fides requiritur, natura non sufficit.

(b) Insuper etiam illi qui justi sunt, debent orare ne tentationi succumbant, nam discipulos, jam sanctificatos, post ultimam cœnam Christus sic alloquitur: " Vigilate et orate ut non intretis in tentationem "[4]. Unde sic: Etiam justi non possunt tentationes superare nisi orando; atqui, si vires naturales, vel etiam gratiæ meritis nostris debitæ, sufficerent ad vincendas tentationes, oratio minime necessaria esset. Ergo justi non possunt tentationes superare, nec proinde perseverare sine gratiâ et quidem gratuitâ.

(c) Tandem justi perseverare nequeunt nisi *præcepta* adimpleant actusque *salutares* perficiant; atqui gratia actualis ad omnes et singulos actus supernaturales necessaria est, ut constat ex textibus jam allatis (n. 51): plerique enim ex illis textibus de omnibus prædicantur, justis æque ac peccatoribus, imo multi de ipsis justis directe prædicantur, v. g. " Creati in Christo Jesu in operibus bonis "[5]; " Sine me nihil potestis facere "[6]; hæc enim ultima verba dicta sunt Apo-

[1] *Ephes.* VI, 12. — [2] *I Petr.* V, 8.

[3] Stricte loquendo gratia præternaturalis, seu auxilium indebitum ordinis naturalis ad vincendas tentationes sufficeret (n. 40); sed quum hic agatur de *justis*, ad statum supernaturalem jam evectis, gratia eis data est vere supernaturalis, ut omnes tradunt theologi.

[4] *Matt.* XXVI, 41. — [5] *Ephes.* II, 10. — [6] *Joa.* XV, 5.

stolis in ipsâ nocte quâ corpus et sanguinem Christi primâ vice receperant.

59. (B) *Tradit.* " Si quis dixerit justificatum, sine speciali Dei auxilio, in acceptâ justitiâ perseverare posse, A. S." (*Trid.* sess. VI, can. 22.) Illud autem speciale auxilium a Tridentino requisitum, nihil aliud est, juxta omnes theologos, nisi gratia prout distinguitur tum a *concursu naturali*, quum perseverantia sit opus supernaturale, tum a *gratiâ habituali*, quâ justus jam ornatur : est igitur gratia actualis.

60. (C) *Rat.* Homo, etiam justus, non potest perseverare in gratiâ, nisi aliquot saltem opera supernaturalia efficiat : atqui ad omne opus supernaturale requiritur gratia actualis supernaturalis ; nam virtutes infusæ, quæ gratiam sanctificantem comitantur, nobis quidem dant facultatem eliciendi actus supernaturales, sed sicut in ordine naturali, præter facultates, requiritur concursus Dei ad omnes actiones nostras perficiendas, ita pariter in ordine supernaturali, præter gratiam habitualem et virtutes, requiritur concursus supernaturalis seu gratia actualis ; nulla enim res creata potest de statu potentiæ transire in actum nisi virtute motionis divinæ ; ergo.

61. *Thesis 2ª :* **Justus perseverare nequit usque in finem sine gratiâ supernaturali omnino speciali.** *Certum est* contra eosdem hæreticos tum ex canone jam citato, ubi agitur de perseverantiâ in genere, tum ex *Trident.* infra citando.

(A) *Scripturâ* res apodictice non demonstratur; ibi tamen textus inveniuntur in quibus perseverantia modo generali Deo, seu gratiæ, tribuitur ; ita v. g. : " Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque [1] ". Jamvero Patres et Concilia speciatim de finali perseverantiâ hos textus intellexerunt ; et merito, quum ad perseverandum usque in finem specialis adsit difficultas, ut ex infra dicendis patebit.

[1] *I Petr.* V, 10.

(B) *Trad. Tridentinum*, de finali perseverantiâ disserens, illam vocat "*magnum perseverantiæ donum*", et declarat tale donum haberi non posse nisi a Deo, "qui potest eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere" (Sess. VI, cap. 13); vocatur autem *magnum* donum, non solum quia est gratuitum, sed etiam quatenus est cum vitâ æternâ conjunctum, nec possumus illud de condigno mereri, ut infra probabitur.

62. (C) *Ratione.* Quoad *adultos.* Perseverantia pro adultis duo exigit : vitationem mali bonique operationem; adventum mortis eo tempore quo quis in statu gratiæ versatur; atqui hæc duo important specialem gratiam; nam (a) homo non potest vitare peccatum grave, superare omnes tentationes graves et adimplere omnia præcepta sine speciali gratiâ : talis enim perseverantia in bono per longum tempus valde ardua est, imo moraliter impossibilis, quia cito conatibus repetitis exhausti, naturalibus propensionibus[1] viam damus; exigit proinde gratias efficaces ad quas nullum jus habemus, et quas de condigno mereri non possumus, ut infra dicetur; (b) insuper mereri de condigno non possumus ut mors adveniat eo præcise instanti quo in statu gratiæ versamur : posset enim Deus hominem ad se vocare, quando jacet in statu peccati mortalis; ergo in utroque casu specialis requiritur gratia.

Quoad *infantes et amentes.* Illi perseverare nequeunt in gratiâ nisi illam prius acceperint; atqui magnum est donum Dei, ut præ multis aliis potuerint baptizari et ita accipere gratiam sanctificantem; pariter, si moriuntur antequam

[1] Quod præclare *Newman* variis comparationibus illustrat : "Quod non modo in religione sed et in usu vitæ experimur. Finge aliquem aliquid agere, meliori quo fieri potest modo : hoc continget ut is identidem nequeat idem facere, quin in aliquem errorem incidat. Ecce, exempli gratia, optimus computator (*comptable*) : hic aliquando erroneas computationes faciet, licet antea nec causam, nec tempus suæ deceptionis divinare possit... Idem fit relate ad nostra religionis officia : aliquod vitare possumus peccatum *in particulari* hac vel illa oborta tentatione; quo vero non obstante, de facto non omnia peccata vitamus; et nihilominus τo *omnia* nihil aliud est nisi summa totalis horum singulorum peccatum". (Discourses to Mixed Congreg. dis. VII, Perseverance in Grace).

Deum offendere potuerint, illud tribuendum est speciali gratiæ, juxta illud : " Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus "[1].

63. *Thesis 3ª :* **Justus etiam perfectus non potest moraliter per totam vitam omnia peccata venialia vitare sine speciali privilegio gratiæ.** *De fide* est contra Pelagianos, qui contendebant justos posse vitare in præsenti vitâ omne peccatum, etiam veniale. Legitur enim in *Tridentino (sess.* VI, can. 23) : " Si quis dixerit hominem semel justificatum ... posse in totâ vitâ vitare omnia peccata, etiam venialia, nisi ex speciali Dei privilegio, A. S. "

Explicatur (a) " *omnia* peccata venialia ", quia homo potest, cum ordinariis gratiis, vitare venialia seorsim et singulatim sumpta; imo, juxta plures, sancti possunt vitare sine speciali privilegio, omnia peccata deliberata, non autem omnia peccata semi-plene deliberata, quæ ex fragilitate contingunt. (b) " Per *totam* vitam ", quia justus potest per aliquod breve tempus, cum gratiis ordinariis, omnia venialia vitare, non autem diu nec a fortiori per longam vitam. (c) " Sine *speciali* privilegio " : per hoc intelligitur ad vitandum diu omnia venialia, non sufficere gratiam supernaturalem ordinariam, sed requiri gratiam omnino singularem et extraordinariam. Talis gratia concessa fuit B. Virgini, ut declarat *Tridentinum;* juxta quosdam, concessa fuit S. Joseph, saltem post matrimonium cum B. Virgine, S. Joanni Baptistæ, et Apostolis post diem Pentecostes; quod quidem admitti potest *probabiliter* de venialibus *deliberatis*, sed incertum est quoad venialia semi-plene deliberata.

64. *Prob.* (A) *Script.* Dicitur enim : " Non est enim homo justus in terrâ qui faciat bonum et non peccet "[2]; item : " In multis offendimus omnes "[3] atqui illa verba intelligi nequeunt de peccatis gravibus, quum certe dentur justi qui mortalia vitent; ergo agitur de venialibus. Unde in oratione Dominicâ, a justis quoque recitandâ, dicitur : " Dimitte debita nostra ". Hinc Joannes aperte de justis dicit :

[1] *Sap.* IV, 11. — [2] *Eccles.* VII, 21. — [3] *Jac.* III, 2.

"Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est"[1].

65. (B) *Rat. Theol.* Ut vitentur omnia venialia, necesse est omnes tentationes superare, sive graves sive leves, omnes etiam repentinos concupiscentiæ motus reprimere, nullam negligentiam in precibus aliisque officiis admittere; atqui homo etiam justus hoc facere nequit nisi facultates ejus specialiter adjuventur; nam facultas læsa, prout est voluntas nostra in statu præsenti, talis fortitudinis et constantiæ est incapax; ergo.

Si autem quæratur quomodo hæc duo conciliari possint, scilicet justum non posse moraliter vitare omnia venialia et simul eum liberum esse in singulis peccatis quæ committit, respondendum est illam impotentiam esse *moralem* tantum, non physicam, *nec afficere singulos actus* in particulari, sed eorum collectionem, ita ut in actibus singulatim sumptis venialia omitti possint.

Corollaria practica.

66. (A) "Si gratiæ adjutorium tantopere necessarium est malis ut boni sint, bonis ut meliores sint, melioribus ut perfecti sint, perfectis ut perseverantes sint, omnibus ut bona faciant et bene, illam solam quæramus, illam gemitibus inenarrabilibus *postulemus*, quæ sola est quâ egemus"[2]. Revera *oratio* est optimum et efficacissimum medium quo gratia obtineri potest, juxta illud Christi ipsius: "Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur"[3]. Quæ quidem oratio multo efficacior erit, si gratiam postulemus per Christum, quum et ipse sit causa gratiæ meritoria, ex dictis in *Tr. de Verbo Incarn.* (n. 208 sq). Hinc Ipse ait: "Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam... Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam"[4]. Iterum gratia cum *humilitate* postuletur; quum enim nostris meritis non debeatur, sed gratuito dispensetur, veluti *mendici* Dei sumus; ideoque nostræ indigentiæ et indignitatis conscii, humiliter petamus id ad quod

[1] *I Joa.* I, 8. — Sæpe etiam allegantur verba *Proverb.* XXIV, 16: "Septies (*in die*) cadet justus et resurget"; hæc autem non probant, quia, inspecto contextu, non agitur hic de culpâ morali, sed de *tribulationibus* in quas justus aliquando cadit.

[2] Ita *Contenson*, Theol. l. 8 de Deo primo motore, diss. II, spec. 3, consect. 7, reflexio.

[3] *Matt.* VII. 7-8. — [4] *Joa.* XIV, 13-14.

jus non habemus : " Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam "[1].

67. (B) Cum perseverantiæ donum sit omnium maximum, nec illud proprie mereri possimus, illud enixe flagitari oportet; nam, ut ait *Augustinus* (de Dono Persev. c. 6), *suppliciter* emereri potest, i. e. precibus obtineri. Insuper cuilibet gratiæ nobis datæ cooperari debemus; nam, ut recte animadvertit *Suarez* (l. X, c. 7, n. 18), " integrum perseverantiæ donum multa efficacia auxilia includit, quæ non simul, sed successive opportunis temporibus dantur; ergo optime intelligitur, et fieri potest, ut eâ lege dentur quod homo bene utatur primo auxilio, ut recipiat secundum, et secundo ut recipiat tertium, et sic de ceteris ". Gratiæ igitur ita concatenantur ut, si primæ consentiamus, secundam consequamur, si secundæ, tertiam, et ita porro.

Art. III. De dispensatione gratiæ actualis.

68. Gratia actualis, quæ, ex dictis, omnibus ad salutem necessaria est, *omnibus* a Deo dispensatur, sed *non eâdem mensurâ :* unicuique datur quod ad salutem necessarium est, sed præterea Deus gratias suas largitur aliis abundantius, aliis autem parcius, secundum suam voluntatem et sapientiam; gratia enim est essentialiter gratuita. Unde disputabimus 1° de *gratuitate;* 2° de *universalitate* gratiæ.

§ I. De gratuitate gratiæ[2].

69. *Status quæstionis.* (A) Hic agitur de *primâ* gratiâ *actuali* et vere *supernaturali;* non enim negamus hominem, divinâ gratiâ jam præventum, aliquid supernaturale vere mereri posse; sed doctrina catholica est primam gratiam neque naturæ, neque naturalibus operibus esse debitam. Quam doctrinam impugnarunt tum *Pelagiani*, tum *Semi-Pelagiani :* juxta *priores*, homo per opera mere naturalia gratiam *vere* ex justitiâ, seu *de condigno* meretur[3];

[1] *Jac.* IV, 6; *I Petr.* V, 5.

[2] *S. Thomas*, 1. 2. q. 114, a. 5; *Ripalda*, de Ente supernaturali, disp. XV-XVIII; *Palmieri*, th. 30-33; *Mazzella*, n. 756 sq.; *Hurter*, n. 69 sq.

[3] Meritum in genere est opus præmio dignum, seu ex quo oritur jus ad mercedem; meritum *de condigno* est illud cui præmium ex justitiâ debetur, meritum *de congruo* id cui debetur solum ex quâdam decentiâ. Quæ notio infra evolvetur, n. 184-185.

juxta *posteriores*, eam meretur de *congruo*, seu ex quâdam decentiâ.

(B) Doctrinâ catholicâ in tuto jam positâ, duæ aliæ quæstiones expendendæ remanebunt : (a) utrum homo possit *se disponere* ad primam gratiam? *Dispositio* enim a merito differt : siquidem nullum jus creat, sed solum subjectum reddit magis idoneum ad gratiam recipiendam; duplex est : *negativa*, quæ removet obices; *positiva*, quæ est realis aptitudo quâ subjectum idoneum fit ad aliquid accipiendum. Jamvero omnes concedunt hominem posse propriis viribus se ad primam gratiam *negative* disponere, obices quosdam removendo, sc. peccata, duritiam cordis etc.; sed communiter tenetur eum non posse *positive* se ad eam disponere. (b) Utrum *oratio*, solis viribus naturæ facta, primam gratiam *impetrare* possit? Oratio dupliciter considerari potest : ut actus obsequii erga Deum, et ut humilis decentium a Deo petitio. Omnes concedunt orationem, priori sensu intellectam, non posse primam mereri gratiam; communiter etiam docetur eam posteriori sensu acceptam non posse proprie loquendo movere Deum ad primam gratiam concedendam, saltem in præsenti rerum ordine : non enim inquirimus quid fieri potuisset ex ipsâ rei naturâ.

70. *Thesis 1ª :* **De fide est primam gratiam ita gratuitam esse ut nulla opera naturalia illam mereri possint de condigno; certum est opera naturalia gratiam mereri non posse de congruo.** Prius definitum fuit contra Pelagianos et Semipelagianos in variis Conciliis, præsertim *Arausicano II*, ubi dicitur : " Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant"; et paulo infra : " Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed *gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*" (*Denzing.* 146, 161). — Posterius autem non fuit definitum, quia Concilia distinctionem non instituunt inter meritum *de condigno* et *de congruo ;* sed infertur ex verbis Conciliorum et Scripturæ, quæ tam generalia sunt ut omne prorsus meritum excludant, quando agitur de operibus naturalibus.

71. (A) *Script.* (a) Ex omnibus textibus, quibus jam supra (n. 51) necessitatem gratiæ ad opera justificationem præcedentia probavimus : ex his enim colligitur hominem nec cogitare, nec velle, nec perficere, nec petere posse aliquid, sicut oportet, in ordine ad salutem nisi gratiâ Dei præveniatur et juvetur; ex quo logice sequitur eum non posse primam mereri gratiam. (b) Insuper totus est Apostolus in *Ep. ad Romanos* in demonstrandâ gratiæ gratuitate : probat videlicet neque Judæos, legem mosaicam servando, neque Gentiles, naturæ legem sequendo, primam gratiam, seu vocationem ad fidem, meruisse, et exinde colligit justificationem esse prorsus gratuitam : pauca sufficiat referre testimonia : " Quia *ex operibus legis non justificabitur* omnis caro coram illo ... *justificati gratis* per gratiam ipsius ... arbitramur enim justificari hominem *per fidem sine operibus legis* "[1] ; " Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum "[2]; tandem diserte asserit gratiam esse gratuitam : " Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia "[3] i. e. gratuita. Jamvero hæc omnia clare evincunt primam saltem gratiam esse prorsus gratuitam : si enim eam mereri possemus, jam non ut gratia, sed ut debitum nobis daretur, juxta illud S. Pauli : " Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum "[4].

(B) *Tradit.* (a) Pelagius compulsus est in synodo *Diospolitana* declarare " gratiam Dei non dari secundum merita nostra " ; item Conc. *Arausicanum II* definivit per naturæ vigorem nil boni ad salutem æternam pertinentis cogitari vel elici posse absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti (*Denzing.* 150). (b) *S. Augustinus* ex ipso gratiæ nomine infert eam gratuito dari : " Ipsum gratiæ nomen et ejus nominis intellectus aufertur, si non gratis datur, sed eam qui dignus est accipit" (de Gestis Pelag. n. 33).

72. (C) *Rat. theol.* Inter opera et præmium proportio esse debet, ut jus habeatur ad mercedem; atqui inter opera naturalia et primam gratiam nulla est aut esse potest pro-

[1] *Rom.* III, 20, 24, 28. — [2] *Rom.* IV, 2. — [3] *Rom.* XI, 6.
[4] *Rom.* IV, 4.

portio, quum *hæc* sit *supernaturalis*, utpote ad vitam æternam ultimo tendens, dum *illa* inter *naturæ vires* contineantur; ergo.

73. *Thesis 2ª :* **Communis doctrina est primam gratiam actualem non impetrari per preces mere humanas, neque obtineri positiva dispositione naturali.** — Hic non agitur de præparatione ad justificationem per actus supernaturales, de quâ diximus n. 50, sed de præparatione ad primam gratiam actualem per actus naturales; unde gradus certitudinis non est idem, quia Concilia hâc de re non tam explicite loquuntur.

(A) *Script.* (a) De oratione ait Paulus [1] : " Quid oremus, *sicut oportet*, nescimus, sed Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus "; ex his et similibus verbis colligitur nos orare non valere sicut oportet, i. e. in ordine ad salutem, quin gratiâ Spiritus S. præveniamur; atqui si gratia ipsam orationem præcedit, sane dici nequit *primam* gratiam precibus nostris obtineri; ergo. (b) Iterum de quolibet opere scribit : " Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet " [2]; ex quo sequitur initium operis boni esse a Deo; porro si natura positive disponeretur propriis viribus ad primam gratiam, initium boni operis non a Deo esset, sed a nobis.

(B) *Tradit.* (a) Quoad *orationem*, res propriis terminis declarari videtur a Conc. *Arausicano II* (supra, n. 70). (b) Insuper Patres et Concilia sat communiter tradunt hominem nihil de suo habere nisi mendacium et peccatum, ideoque quidquid fit ab eo in ordine ad salutem, a gratiâ venire; ita *Arausic. II* (can. 22) : " Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hâc eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in viâ " (*Denzing.* n. 165).

---

1 *Rom.* VIII, 26.

2 *Philip.* I, 6. — Quo argumento usus est *S. Thomas* (*Quodl.* I, a. 7) : " Ad errorem pelagianum pertinet dicere quod homo possit se ad gratiam præparare absque auxilio divinæ gratiæ : et est contra Apostolum, qui dicit : Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet ".

(C) *Rat. theol.* Omnis oratio gratiam impetrans, vel omnis actio positive ad eam disponens, quamdam proportionem cum gratiâ habere debet; atqui nulla est proportio inter actus mere naturales et supernaturalem effectum; ergo oratio vel dispositio mere naturalis gratiam supernaturalem obtinere nequit.

74. *Corollarium: Deus in gratiarum distributione liberrimus est.* Quum enim gratiam gratis conferat, potest stricte loquendo eam non dare; a fortiori igitur eamdem, prout vult, largiri potest. Attamen posito quod nos ad finem supernaturalem destinaverit, *sibi* ipsi debet ut gratias nobis largiatur; quod ex misericordia simul et sapientiâ præstat: qui enim vult finem, eo ipso vult media ad finem necessaria. Dummodo autem unicuique dederit quod necessarium est ut finem suum attingere valeat, nemini injuriam facit plus dando uni quam alteri. Quod sic declarat *Augustinus*[1]: "Si autem quispiam duos habeat debitores, et alteri velit dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est". Quod probat ex loco ubi paterfamilias dixit operario murmuranti: "Amice, non facio tibi injuriam". *Matt.* XX, 13.

§ II. De universalitate gratiæ[2].

Gratia universalis dicitur quatenus omnibus in terrâ viatoribus confertur. Quæstio expendi potest relate ad *justos*, *peccatores*, *infideles*, et *parvulos* sine baptismo morientes.

I. Quoad justos, seu fideles in statu gratiæ versantes.

75. *Thesis.* **Justis omnibus dantur, urgente tentatione vel præcepto, gratiæ saltem remote et relative sufficientes ad resistendum tentationibus, omniaque præcepta adimplenda.** *De fide* contra Lutherum, Calvinum et Jansenium, qui docuerunt aliquando ipsos justos non

[1] *S. August.* l. II cont. 2 Epist. Pelag. c. 7, n. 13, *Migne*, XLIV, 580.

[2] *Suarez*, de Gratiâ, l. IV, c. 7-19; *Salmant.*, de Gratiâ, disp. VI, dub. 2-3; *Ripalda*, de Ente supernaturali, disp. CXI; *Murray*, de Gratiâ, disp. VII, n. 99 sq.; *Mazzella*, n. 782 sq.; *Palmieri*, th. 59-62.

posse adimplere mandata, præsertim mandatum de non concupiscendo, quia ipsis deficit gratia vere sufficiens.

Ait enim *Trident.* (sess. VI, cap. 11) : " Nemo temerariâ illâ, et a Patribus ... prohibitâ voce uti (debet) : Dei præcepta homini justificato esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis ". Et alibi can. 18 : " Si quis dixerit Dei præcepta, homini etiam justificato et sub gratiâ constituto, esse ad observandum impossibilia, A. S. " Ex quibus sequitur justos semper habere gratiam sive ad præcepta adimplenda, sive ad orandum ut gratia necessaria ad opus complendum concedatur.

Dicitur (a) " *urgente præcepto* vel *tentatione* ", quia gratia actualis, utpote *transiens*, non datur singulis momentis, sed tempore opportuno, præsertim quando urget præceptum adimplendum, aut tentatio quæ sine gratiâ superari non posset; quoad cetera momenta, plus minusve frequenter datur, secundum Dei voluntatem, et dispositiones subjecti; (b) " gratiæ saltem *remote sufficientes* ", nam non agitur de gratiâ *efficaci* quæ non omnibus nec semper conceditur, quum Deus illam cui vult et quando vult, largiatur; nec de gratiâ *proxime* sufficiente, nam quandoque datur auxilium *remote* sufficiens, v. g. ad orandum, quo si justi bene utantur, accipient *proxime* sufficiens; si autem eodem non utantur, quandoque proxime sufficiens non accipient; (c) " *relative* " sufficientes, i. e. spectatis omnibus circumstantiis personæ, temporis, loci, ita ut in aliis adjunctis justi perseverare possint.

76. *Probatur* (A) *Script.* : (a) juxta S. Paulum, justi non tentantur supra vires : " Fidelis ... Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere " [1]; atqui supra vires tentarentur, si, urgente præcepto adimplendo aut tentatione superandâ, non haberent gratiam vere sufficientem, unde perseverare possent. (b) Insuper multoties declaratur mandata Dei non esse gravia seu onerosa : " Jugum enim meum suave est et onus meum leve " [2]; " Mandata

[1] *I Cor.* X, 13. — [2] *Matth.* XI, 30.

ejus gravia non sunt"[1]; atqui tamen mandata essent nimis onerosa, si urgente præcepto, non daretur gratia ad illa adimplenda, quum impossibile esset ea adimplere; ergo. Nec dici potest cum Jansenianis hic de solis prædestinatis agi; nam, ad primum textum quod attinet, Apostolus omnes Corinthios alloquitur, eosque solari intendit, firmam spem in eis erigendo; atqui, si de solis prædestinatis loqueretur, finem suum assequi non potuisset, quum nullus certo noverit se esse de numero prædestinatorum; ergo. Idem dic de aliis textibus.

(B) Quum adversarii ad *S. Augustinum* præsertim provocent, pauca ex ejus scriptis referemus ex quibus constare possit eum nobiscum sentire: "Deus per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, i. e. justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, *non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur*". Et postea addit: "Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis"[2]. Ex quo patet ejus doctrinam a definitionibus Tridentinis minime differre.

77. (C) *Rat. Theol.* Ex dictis in *Tr. de Deo* (n. 128) et *de Verbo Incarn.* (n. 201), Deus sincere vult salutem omnium hominum, præsertim vero fidelium; atqui Deus eorum salutem sincere non vellet, si ipsis non concederet, tempore opportuno, gratiam saltem remote sufficientem, cum talis gratia ad salutem sit absolute necessaria: nam qui sincere vult finem, eo ipso vult media ad finem necessaria; ergo. Hinc a *Trident.*[3] merito dictum est: "Deus gratiâ suâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur".

II. Quoad peccatores.

Peccatores duplicis sunt generis: alii sunt *communes*, alii *obcæcati et indurati*: de utrisque seorsim dicemus.

---

[1] *I Joa.* V, 3.

[2] De Nat. et Grat., c. 26, 43. Cf. *Deschamps*, de Hæresi Jansen. l. III, disp. 8, c. 3-5.

[3] *Trident.*, sess. VI, cap. 11.

1° *Quoad peccatores communes.*

78. *Thesis :* **Omnibus peccatoribus communibus dantur gratiæ saltem remote sufficientes, ut possint pœnitentiam agere.** Certum est et fidei proximum. (A) *Script.* (a) Deus enim vocat omnes peccatores ad pœnitentiam sine ullâ exceptione : " Convertimini *unusquisque* a viâ suâ pessimâ "[1] ; " Deus patienter agit... *nolens aliquos perire*, sed *omnes* ad pœnitentiam reverti "[2] ; atqui illa invitatio mera irrisio esset si Deus simul non daret gratiam necessariam ad pœnitendum ; ergo[3].

(b) Insuper Christus *expresse* ait : " Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent ; non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam "[4] ; et insuper se comparat bono pastori qui vadit ad ovem perditam, donec inveniat eam, et in ovile reducat[5], aut patrifamilias qui prodigum benigne excipit[6] ; atqui hæc omnia manifeste ostendunt Deum speciali amore peccatores prosequi, eisque gratias largiri ad pœnitendum

(B) *Trad.* Siquidem *Conc. Lateranense IV* (caput *Firmiter*) ait : " Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari " (*Denzing.* n. 357) : atqui reparari non posset nisi ipsi daretur gratia, ex dictis supra ; ergo.

(C) *Rat. Theol.* Quamdiu peccator vivit, salus ipsi possibilis est ; nam Deus vult omnes homines salvos fieri, et quilibet tenetur sub gravi salutem sperare ; atqui peccator non potest vere salvus fieri, nec salutem sperare nisi habeat gratiam saltem remote sufficientem ad pœnitentiam ; ergo.

79. Quærunt insuper theologi utrum peccatores gratiam proxime sufficientem accipiant ad nova peccata præcavenda, vel solum directe gratias conversionis, et indirecte gratias ad tentationes vincendas. Probabilior est prior sententia ; nam etiam quoad peccatores verum est Deum impossibilia jubere non posse, mandata ejus gravia non esse, nemini ad culpam imputari id quod vitare non potest. Hinc S. Tho-

[1] *Jer.* XXXV, 15. — [2] *II Petr.* III, 9.
[3] Cf. *Ezech.* XVIII, 23; XXXIII, 11. — [4] *Luc.* V, 32.
[5] *Luc.* XV, 4. — [6] *Luc.* XV, 11.

mas (2 dist. 28, q. 1, a. 3) ait : " Deus non est magis crudelis quam homo : sed homini imputatur ad crudelitatem si obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non possit ; ergo hoc de Deo nullatenus est æstimandum ".

2° *Quoad obcæcatos et obduratos.*

80. (A) *Status quæstionis :* (a) Peccatores *obcæcati* illi sunt qui, propter peccata multiplicia quæ commiserunt, intellectum obnubilatum habent quoad veritates fidei, ita ut illas difficillime percipere possint, et sæpe falsa pro veris approbent. (b) *Obdurati* autem sunt quorum voluntas ita est obstinata in malo, ut difficillime possint gratiæ obedire. Generatim obduratio, quæ est perversio voluntatis, sequitur obcæcationem, quæ est perversio intellectus.

Certum est ex Scripturâ dari quosdam peccatores obcæcatos et induratos : nam dicitur : " Induravit cor Pharaonis " [1] ; " Excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum " [2]. Attamen, juxta omnes, Deus non positive excæcat aut indurat peccatores, sed solum permittit illos obcæcari, eo sensu quod, ob eorum peccata, ipsis quædam auxilia gratiæ subtrahat, non autem omnia, sed solum abundantiora, et quidem juste, propter crimina præcedentia.

81. (B) *Thesis :* **Peccatores etiam obdurati et excæcati non privantur omni gratiâ sufficiente.** Ita communis et vera sententia. Constat (a) ex citatis Scripturæ locis, in quibus declaratur Deum omnes peccatores indiscriminatim vocare ad pœnitentiam, nullumque perire velle ; (b) ex textibus, in quibus speciatim asseritur Deum ad pœnitentiam vocare etiam obduratos, v. g. : " Expandi totâ die manus meas ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ, post cogitationes suas, populum qui ad iracundiam provocat me " [3] ; ibi enim agitur de Judæis qui multoties gratiæ Dei obedire renuerant, et obduraverant corda sua ; porro Deus non cessat illos ad pœnitentiam vocare, et ipsæ castigationes, quas eis minatur, sunt gratiæ quibus ad pœnitendum excitantur ; (c) ex *Proverb.* I, 20 sq. ubi Sapientia exhibetur foris prædicans omnesque ad con-

[1] *Exod.* IX, 12. — [2] *Joa.* XII, 40. — [3] *Isa.* LXV, 2-3.

versionem vocans, etiam illos qui jam obdurati erant; nam additur: "Quia vocavi et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis".

82. *Objici* solet in divinis Litteris nonnulla esse loca, in quibus asseritur Deum homines quosdam positive excæcare, indurare, etc.; hæc autem omnia, inspecto contextu, significant Deum permittere homines excæcari et indurari. Sumamus v. g. casum Pharaonis, de quo dicitur: "Induravitque Dominus cor Pharaonis"[1]; hoc de eo non prædicatur nisi postquam pluries declaratum est Pharaonem cor suum indurâsse, v. g. "Videns autem Pharao quod data esset requies, *ingravavit cor* suum, et non audivit eos, sicut præceperat Dominus"[2]; ipse Pharao rem agnoscit, dicendo: "*Peccavi* etiam nunc; *Dominus justus:* ego et populus meus, impii"[3]; hinc merito auctor *Sapientiæ*[4] infert Deum, Ægyptios plagis afficiendo, eorum correctionem et pœnitentiam intendisse. Quod confirmat Paulus[5]: "An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem *duritiam tuam* et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei"; ex quibus colligere licet impœnitentiæ causam Deum non esse, sed voluntatem hominis perversam, qui gratiâ jam datâ male utitur, vel oblatam recusat.

3° *De modo quo gratia peccatoribus datur.*

83. Gratia actualis, peccatoribus concessa, non datur omnibus horis, sed solum, tempore opportuno, juxta illud: "Ecce sto ad ostium et pulso"[6]; Deus videlicet stat ad ostium cordis, et plus minusve frequenter pulsat, per gratiam suam, prout opportunum judicaverit. Præsertim vero Deus gratiam concedit: (a) occasione *externæ prædicationis*, piæ lectionis, boni exempli etc. Constat exemplo Lydiæ, piæ mulieris, quæ, dum audiret prædicationem Pauli, gratiam accepit, juxta illud: "Cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur a Paulo"[7]; (b) occasione *bonæ actionis* ab ipso peccatore peractæ; v. g. de eleemosynâ dicitur: "Peccata eleemosynis redime"[8]; (c) occasione *tribulationis*, ut patet exemplo filii prodigi, qui fame tabescens, ad patrem redire cogitavit[9]; (d) tandem *articulo mortis*,

[1] *Exod.* IX, 12. — [2] *Exod.* VIII, 15. — [3] *Exod.* IX, 27. — [4] *Sap.* XI, 5-15. — [5] *Rom.* II, 4. — [6] *Apoc.* III, 20. — [7] *Act.* XVI, 14. — [8] *Dan.* IV, 24. — [9] *Luc.* XV, 17.

nam tunc gratia actualis est absolute necessaria peccatori; atqui Deus nunquam in necessariis gratiam denegat : ergo.

84. Ex dictis intelligi datur quid censendum sit de assertione a sacris oratoribus sæpe repetitâ, certum scilicet esse peccatorum numerum quæ Deus remittere intendit, certum gratiarum numerum quas concedere decrevit, ultra quem nihil ab ipso exspectandum est; hoc enim, sensu absoluto intellectum, communi doctrinæ adversatur, juxta quam, omnes, quamdiu vivunt, salutem suam operari possunt, proindeque rejiciendum est; fatendum est tamen, ex lege Dei communi, uberioribus privari gratiis eos qui gratiâ abutuntur, conversionem deliberate postponendo, vel gravia peccata frequenter committendo, eosdemque periculo æternæ damnationis exponi, quum in peccato suo, Deo sic permittente, mori possint [1].

III. Quoad infideles adultos.

85. Infideles adulti duplicis sunt generis : alii sunt *positivi*, qui, scilicet, Evangelium sufficienter audierunt sed credere noluerunt, aut fidem acceptam propriâ culpâ amiserunt, ut apostatæ; alii autem sunt *negativi*, qui, scilicet, de fide nunquam sufficienter audierunt, ut Indi in Americâ antequam Evangelium hâc in regione prædicaretur [2].

86. 1° *Thesis :* **Omnibus infidelibus adultis, sive positivis, sive negativis, dantur aliquando gratiæ saltem remote sufficientes, ut possint ad fidem converti.** *Certum est* contra Jansenianos, rigidosque Lutheranos et Calvinistas qui contendunt infidelibus nullam gratiam concedi; et insuper contra quosdam antiquos theologos assèrentes Infidelibus negativis nullam pariter gratiam conferri.

---

[1] Quam veritatem eloquenter exponunt *Bourdaloue*, Sermon pour le Lundi de la Semaine Sainte, sur le Retardement de la Pénitence; *J. H. Newman*, Discourses to mixed Congregations, disc. II, Neglect of divine calls and warnings.

[2] De Protestantibus aliisque hæreticis *ex professo* non disputamus : veniunt enim sub nomine *Infidelium*, quum infidelitas late sumpta etiam hæreticos et apostatas complectatur; melioris tamen sunt conditionis quam Infideles, quum quasdam saltem veritates credant, sicque facilius gratiam accipere valent.

87. (A) *Script.* (a) Ex textibus ubi declaratur omnes indiscriminatim homines vocari ad gratiam et salutem : " Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi " [1] ; ex his verbis Christus satisfecit non solum pro fidelibus, sed etiam pro omnibus aliis ; atqui frustra satisfecisset pro omnibus, si infideles non haberent gratiam per quam salvari possint ; ergo. (b) Ex textibus qui specialiter infideles complectuntur : " Omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire " [2] ; quæ quidem verba manifeste infideles includunt, cum agatur de illis qui ad agnitionem veritatis venire indigent ac proinde ad fidem converti [3] ; atqui infideles sine gratiâ salvari nequeunt ; ergo. Confirmatur Apostoli verbis : " Non est distinctio Judæi et Græci (i. e., fidelis et infidelis), nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum " [4], seu paratus gratias impertiri omnibus invocantibus eum.

(B) *Traditione.* Alexander VIII (1690) sequentem damnavit Arnaldi propositionem : " Pagani, Judæi, hæretici nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum ", cujus contradictoria est : " Pagani etc. aliquem influxum (seu gratiam) accipiunt a Christo " (*Denzing.* 1162).

(C) *Rat. Theol.* Ex dictis in *Tr. de Deo* (n. 128) et de *Verbo Incarnato* (n. 202), Deus sincere vult salutem omnium hominum, etiam infidelium ; atqui sincere velle nequit eorum salutem nisi ipsis conferat gratias saltem remote sufficientes, cum tales gratiæ sint absolute ad salutem necessariæ ; ergo.

88. 2° *Modus quo gratia confertur.* (A) Quoad infideles *positivos*, facile intelligitur quomodo gratiam accipere possint : sufficit enim ut Deus in memoriam eorum revocet motiva fidei antea ipsis proposita, eorumque voluntatem pie moveat ad eisdem assentiendum.

(B) Quoad infideles *negativos*, Deus posset quidem immediate ac miraculose eos illuminare fidei lumine, sed, juxta

---

[1] *I Joa.* II, 2 ; Cf. *Sap.* XI, 24 ; *Joa.* I, 9. — [2] *I Tim.* II, 4.

[3] Quem textum fusius expositum vide in *Tr. de Deo* (n. 131) et *de Verbo Incarnato* (n. 202). — [4] *Rom.* X, 12.

communem sententiam [1], sic procedit : (a) ex dictis, infideles possunt propriis viribus faciliora legis naturalis præcepta servare ; si ita faciant, Deus, non quidem ex justitiâ, sed ex misericordiâ, ipsis dabit auxilium *gratuitum*, seu gratiam *supernaturalem quoad modum*, ut possint difficiliora legis naturalis præcepta adimplere. (b) Si autem per aliquod notabile tempus legem naturalem adimpleant, Deus, ex merâ liberalitate sed tamen certo, ipsis *gratiam fidei* dabit sive per internam illuminationem, sive per aliquem prædicatorem, ita ut cognoscere possint omnes veritates necessarias necessitate medii ad salutem [2]. Quod colligi potest ex Ep. Encyl. *Pii IX* 10 Aug. 1863 : "Notum nobis vobisque est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem

[1] Nonnulli theologi docuerunt Deum modo solum generali infidelium saluti providere, quatenus omnibus paravit media quibus vera fides, aliorum hominum ministerio, illis prædicari possit ; ita tamen ut si *per accidens* contingat veram fidem quibusdam non prædicari, nihil amplius faciat ut salvari possint. Quæ tamen opinio communissime reprobatur, quia non satis consentanea videtur esse cum sincerâ voluntate omnes salvandi. — Præter auctores jam citatos, vide *Bucceroni*, Commentarii de Auxilio sufficienti infidelibus dato, ed. 1890, p. 4-5; *E. Dublanchy*, De Axiomate *Extra Ecclesiam nulla salus*, 1895, p. 123 sq.; *Amer. Ecclesiastical Review*, Dec. 1895, p. 426.

[2] Hæc sunt *S. Thomæ* verba : "Si aliquis in sylvis nutritus, ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, certissime est tenendum, quod Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessaria, vel ad eum prædicatorem dirigeret". De Verit. q. 14, a. 11, ad 1. Quod alibi etiam docet 2 dist. 28, q. unica, a. 4, ad 4. Alias auctoritates citatas invenies apud *Bucceroni*, op. cit. p. 11-12. — Nonnulli putârunt ad salutem non requiri ipsum actum fidei, sed sufficere positivam et habitualem dispositionem ad veritates credendas quas Deus forsan revelaverit et ad servanda præcepta quæ promulgaverit ; ita *Freppel*, S. Justin, Paris, 1869, p. 324-331. Quæ opinio vix conciliari potest cum iis quæ habet *Vaticanum* (sess. III, cap. 3) de necessitate fidei, ut recte animadvertit *Dublanchy*, op. cit., p. 128. Sed dici potest, hâc existente dispositione, actum fidei jam facilem evadere ; nam imprimis multi Acatholici, ut Protestantes, Judæi, Mahumetani aliique etiam pagani aliquam revelationem admittunt, ideoque credere possunt fide supernaturali "quia Deus est et inquirentibus se remunerator sit" ; præterea ii omnes qui Supremi Numinis existentiam agnoscunt, vocem Dei interius audire possunt, eique obedire : quod sane sufficiet ad actum fidei eliciendum.

ignorantiâ laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse *divinæ lucis et gratiæ operante virtute*, æternam consequi vitam". (c) Quando autem infideles ita illuminati sunt, possunt, cum gratiâ Dei supernaturali, elicere actum contritionis perfectæ, vel amoris Dei perfecti, et in illo actu implicite continetur votum baptismi, seu baptismus desiderii, quia videlicet ea omnia suscipere volunt quæ ad salutem requiruntur; et sic justificationis gratiam consequuntur. (d) Si qui autem adulti inter infideles *sufficientem rationis usum non attingant*, quo Deum cognoscere valeant, parvulorum sortem participabunt; nam propter rationis defectum infantibus æquiparari possunt. Ex hoc sequitur nullum infidelem damnari nisi propriâ culpâ : si enim ductum rationis sequatur, gradatim perveniet ad fidem et justificationem. Fatendum est tamen gratias minus abundanter concedi infidelibus quam christianis; quamvis enim Deus non sit personarum acceptor, eo sensu quod neminis jura lædit, tamen non æqualiter distribuit bona naturalia vel supernaturalia. In quâlibet enim societate debet esse subordinatio inferiorum et superiorum; talis autem subordinatio requirit inæqualitatem in donis sive naturalibus sive supernaturalibus.

89. 3° *Corollarium.* Ex dictis intelligi datur quo sensu accipi possit axioma theologicum, "*Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*" [1].

(a) Facienti quod in se est per *vires naturæ* Deus, non quidem ex justitiâ, neque ex positivâ dispositione, sed ex

[1] Hujusmodi axioma jam quoad sensum invenitur in Patribus; ita v. g. *Isidorus Pelusiota* (f. a. 412) scribit : "Qui enim omnia quæ in se sita sunt adimplet, Deus ipse benigne annuit" (Epist. l. V, ep. 459); unanimi consensu acceptum est a theologis, et est rationi omnino consentaneum. Non tamen uno eodemque sensu ab omnibus intelligitur, quibusdam docentibus per *quod in se est* significari *ex viribus gratiæ*, aliis autem significari *ex viribus naturæ*, licet gratia non eodem modo operibus naturalibus obtineatur ac supernaturalibus : priora enim nullomodo merentur gratiam ex dictis. Circa hanc controversiam vide *Salmant.*, de Gratiâ, disp. III, n. 156 sq.; *Billuart*, disp. III, art. 7; *Suarez*, l. IV, c. 12 sq.; *Mazzella*, n. 848; *Bucceroni*, op. cit. p. 12.

gratuito beneplacito, gratias actuales concedit quibus fides obtineri potest. Opera bona mere naturalia non possunt equidem gratiam mereri, sed disponunt *negative* ad gratiam, removendo obicem, scilicet peccatum[1]. (b) Facienti quod in se est sub *influxu gratiæ actualis*, Deus certo uberiores *gratias actuales* concedet, ut possit ad justificationem sese preparare; qui enim sic agit, *de congruo* novas gratias actuales meretur, ut infra dicetur. (c) Facienti quod in se est cum *gratiâ actuali*, et *ultimam dispositionem* ad justificationem requisitam ponenti, Deus dat *gratiam justificantem* seu habitualem, quam agens in hoc casu *de congruo* pariter meretur, ex dicendis ubi de merito.

IV. Quoad parvulos.

90. 1° *Deus, quantum in se est, paravit etiam parvulis, qui in sinu materno moriuntur antequam baptizari possint, media ex se sufficientia ad illos salvandos.* Ita communiter.

Ex dictis enim in *Tr. de Verbo Incar.*, Christus mortuus est non solum pro adultis sed etiam pro parvulis; atqui frustra mortuus esset pro illis, nisi media paravisset quibus fructus ipsius passionis eisdem applicari possent; ergo.

91. 2° Difficile est autem explicare *quomodo* illa media præbeantur: (A) Certum est Deum *remote* saltem omnibus illis parvulis media salutis paravisse, dum instituit medium ad originale peccatum delendum, videlicet sacramentum baptismi sub N. Lege[2]: tale enim medium *ex se* potest omnibus applicari, et si de facto quibusdam non applicetur, illud provenit ex causis naturalibus, quarum Deus, utpote provisor universalis, vim et effectum per miraculum impedire non tenetur. Jamvero, ad ejus voluntatem salvificam exhibendam, sufficit ut media instituerit ab aliis applicanda

[1] *Molina* (Concord. lib. arbit. q. 14, a. 13, disp. 10) rem alio modo exponit, quasi videlicet pactum initum fuisset inter Deum et Christum, ut facienti quod in se est viribus naturæ infallibiliter gratia conferretur; sed talis expositio a multis rejicitur ut solido carens fundamento, et gratiæ gratuitati nociva.

[2] Ubi vero Evangelium non fuit sufficienter promulgatum, valde probabile est antiqua salutis media, ante Christum adhibita, adhuc vigere, ut dicemus in *Tr. de Baptismo* n. 39.

dependenter a legibus naturæ. Illustratur exemplo : si medicus remedium efficax inveniret ad morbum curandum, mediaque propria adhiberet ut posset ubique terrarum comparari, hic merito diceretur *omnibus* præbuisse, remote saltem, remedium contra morbum, quamvis de facto accidentaliter non omnibus applicaretur.

92. (B) Insuper quidam theologi docent salutem illorum infantium esse *in manu parentum*, eo sensu quod, si parentes ex unâ parte omnes leges prudentiæ servarent, sobrie viverent etc., et ex alterâ debite orarent, obtinere possent ut parvuli isti usque ad baptismi receptionem semper viverent. Quæ opinio nulli dogmati contradicit, sed ex altero capite nullo positivo argumento probari potest.

Pauci alii, cum *Cajetano*, addiderunt infantes salvari posse, sine baptismo, parentum fide et precibus[1] : sed illa ultima opinio tuta non est, et jussu *Pii V*, expuncta fuit ex operibus Cajetani Romæ editis.

Quidquid sit, parentes hortari oportet ut enixe pro infantibus nascituris orent, sicque baptismi gratiam pro eisdem obtineant, in quantum fieri potest.

Art. IV. De Concordiâ gratiæ cum libero arbitrio.

Post ea quæ disputavimus circa naturam, necessitatem et dispensationem gratiæ actualis, pauca adjiciamus oportet circa modum quo gratia cum libertate conciliari potest. Ut vero certa ab incertis secernamus, primum *Protestantium et Jansenistarum errores confutabimus*, postea autem præcipua *theologorum systemata exponemus*.

§ I. Protestantium et Jansenistarum errores confutantur[2].

93. *Protestantes* multi, præsertim vero *Lutherani* et *Calvinistæ*, contendunt voluntatem hominis lapsi, sub influxu

[1] Idem fere docuerunt *Bianchi*, Disputatio physico-theologica de remedio æternæ salutis pro parvulis in uteris clausis, sine baptismo decedentibus, necnon Auctor dissertationis *de Intolerantiâ catholicâ*, Taurini, 1868.

[2] Cf. *Suarez*, de Gratiâ, l. V, c. 4; *Bellarminus*, de Gratiâ et lib. ar-

gratiæ efficacis, non esse liberam, sed similem esse trunco vel statuæ vitâ carenti, quæ ab extrinseco movetur, ita ut gratia efficax sit vere necessitans. Quod naturaliter fluit ex totali corruptione humanæ naturæ quam propugnant. Unde *Lutherus* ait (Assert. art. 36) : " Liberum arbitrium est figmentum in rebus, et *titulus sine re*, quia nulli est in manu quidpiam cogitare boni vel mali ; sed omnia ... de necessitate absolutâ eveniunt ". Nonnulli tamen Lutherani hodie hoc aperte rejiciunt. Calvinistæ autem etiam hodierni tenent gratiam prorsus *insuperabilem* esse, nec proinde hominem liberum esse ab internâ necessitate, sub influxu gratiæ, licet liber sit a coactione [1]. Præterea negant ullam esse gratiam *vere* et *mere* sufficientem : quum enim voluntas nostra sit veluti res inanimis, omnis gratia, quæ non est ab intrinseco efficax, insufficiens et impotens est ad eam movendam. *Jansenistæ* idem substantialiter docuerunt; distinguentes videlicet duplicem delectationem, aliam terrenam quæ nihil aliud est nisi concupiscentia, et aliam cœlestem, quæ ex gratiâ oritur, tenuerunt hominem lapsum delectatione victrici necessario moveri, ac proinde gratiam, quæ sufficiens vocatur, esse revera *insufficientem*, imo et *nocivam*, quum sit occasio peccandi. Duplex igitur erit propositio contra illum duplicem errorem.

94. *Thesis Ia :* **Gratia efficax non est necessitans, sed homo remanet liber a necessitate etiam sub influxu gratiæ efficacis.** *De fide est ex Trident. :* " Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se agere, A. S." (Sess. VI, can. 4.)

95. 1° *Probatur* (A) *Script.* (a) De seipso dicit S. Paulus : " Gratiâ autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus *laboravi*,

bitrio, l. VI, c. 9 sq.; *Perrone*, de Gratiâ, n. 259 sq.; *Murray*, de Gratia, disp. VII, n. 1-98; *Mazzella*, n. 553; *Palmieri*, th. 39-48.

[1] *Hodge*, Systematic theol., vol. II, 687.

non ego autem [1], sed *gratia Dei mecum* "[2]; et alibi addit: "Unusquisque.. propriam *mercedem* accipiet *secundum suum laborem:* Dei enim sumus *adjutores*" [3]. Unde sic: hic certo agitur de gratiâ efficaci, scilicet de gratiâ quæ vacua non fuit, sed mercedem obtinuit; atqui, sub influxu hujus gratiæ, Paulus libere laboraverat et quidem ceteris abundantius; item apostoli active laborare debent, nam sunt Dei adjutores, seu, juxta vim græcæ vocis συνεργοί, activi cooperatores; ergo non necessitantur a gratiâ.

(b) Insuper dicitur de justo qui salvatur, ac proinde gratiam efficacem obtinuit: " Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit"[4]; ergo constat etiam illum qui bonum facit, sub influxu gratiæ efficacis, potuisse transgredi, seu liberum fuisse. Idem constat ex præceptis, monitionibus, minis quibus homines ad malum fugiendum aut opera salutaria præstanda incitantur, v. g. " Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus "[5]; nam talis loquendi modus mera irrisio esset, si illi ad quos dirigitur, liberi non essent opus præscriptum facere vel omittere. Quod confirmatur iis locis ubi gratiâ bene uti admonemur: " Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis "[6]; hoc enim manifeste supponit nos gratiâ bene vel male uti posse, prout nobis placuerit.

96. (B) *Tradit.* (a) Fatetur ipse *Calvinus* (Instit. XIV, 10) Patres ipsi contrarios esse: " Deus, inquit, voluntatem movet non qualiter multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficiendo ". (b) Quum autem adversarii contendant *Augustinum* ipsis favere, unum aut alterum ex ejus scriptis testimonium proferamus. In expositione super

[1] Illud incisum *non ego* est hebraismus quo significatur non Paulum solum laboravisse, sed gratiam Dei cum Paulo; sicut alibi idem Apostolus dicit: " Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus " (*Galat.* II, 20): quibus verbis significatur in Paulo, præter vitam propriam, fuisse insuper vitam Christi. Cf. *Corluy*, op. cit. vol. II, p. 286.

[2] *I Cor.* XV, 10. — [3] *I Cor.* III, 8. — [4] *Eccli.* XXXI, 10.

[5] *Ephes.* V, 14; cf. *Ezech.* XVIII, 31; *Act.* III, 19. — [6] *II Cor.* VI, 1.

Ps. 78, hæc verba explicans, " Adjuva nos, Deus salutaris noster ", ait : " Cum adjuvari nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit ". Et alibi (Epist. 215) : " Quantum potuimus egimus cum istis vestris et nostris fratribus, ut in fide sanâ Catholicâ perseverarent, quæ neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam : neque tantum ei tribuit, ut sine gratiâ valeat aliquid ". Proinde si quæ sint dubia loca in ejus scriptis, ex clarioribus intelligenda sunt.

97. (C) *Rat. theol.* (a) Ad sapientiam Dei pertinet entia movere in ordine sive naturali sive supernaturali, secundum uniuscujusque naturam; atqui natura hominis est libere agere, ex dictis in Philosophiâ; ergo Deus, per gratiam, homines libere movere debet[1]. (b) Insuper gratia naturam, nedum destruat, e contra perficit, nobisque conceditur ut supernaturale præmium mereri valeamus; atqui si gratia libertatem tolleret, naturalem hominis facultatem destrueret, merendique potestatem tolleret : ubi enim deest libertas, ibi meritum vel demeritum esse nequit; quomodo enim remunerari vel puniri potest qui non potuit non facere quod fecit?

98. 2° *Solvuntur diffic.* (A) Ex Scripturâ homo per peccatum est spiritualiter mortuus; atqui mortuus nullomodo cooperari potest propriæ ejus resurrectioni; ergo[2].

Resp. Distinguo majorem : homo per peccatum *partialiter* est mortuus, concedo; *totaliter*, nego; nam etiam in homine peccatore remanet vita non solum materialis, sed etiam rationalis; imo in illo qui fidem non amisit, remanet initium vitæ supernaturalis, sc. fides; jamvero fatemur quidem hominem in statu peccati nullum actum supernaturalem facere posse quin prius a gratiâ excitetur, quia vitâ spirituali saltem perfectâ privatur; sed quando jam a gratiâ actuali prævenitur et movetur, facultatibus naturalibus uti potest, aut virtute fidei, si in ipso maneat, ad elicienda opera præparatoria ad

[1] Quod sic egregie exponit *Angelicus Doctor* (1. q. 19, a. 8) : " Cum igitur voluntas Dei sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam fieri necessario, quædam *contingenter*, ut sit ordo in rebus, ad complementum universi ". Totum lege articulum.

[2] Ita *Hodge*, Systematic theology, II, 691-692.

justificationem; gratia enim actualis, et a fortiori virtus fidei facultates naturales ita elevat ut actus supernaturales elicere possint. Ergo etiam peccator, gratiâ Dei præventus, propriæ resurrectioni cooperari potest.

(B) Ex Scripturâ homo per gratiam vere trahitur: "Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum"[1]; porro qui trahitur non est liber: ergo.

Resp. Homo trahitur quidem per gratiam, quatenus movetur; sed non eo sensu quod ei necessitas infertur, nam versiculo sequenti[2] ipse Christus addit: "Omnis qui audivit a Patre, *venit* ad me", igitur ita trahimur per gratiam ut simul ad Deum libere veniamus. Revera trahit timor, trahit lætitia, trahit desiderium, trahunt delectationes, quin tamen necessitatem nobis inferant.

(C) *Instant:* S. Paulus ait: "Deus... operatur omnia in omnibus... operatur in vobis et velle et perficere"[3]; atqui si Deus operatur omnia, etiam volitiones nostras, nullus remanet locus libertati; ergo.

Resp. Deus operatur omnia, eo sensu quod omnibus actionibus nostris *cooperatur*, non autem eo sensu quod solus eas operatur; nam S. Paulus eodem loco ait: "Cum metu et tremore vestram salutem *operamini*"[4]; igitur duæ sunt causæ salutem nostram operantes, Deus et voluntas nostra, et utraque causa libere simul cooperatur. Notamus insuper priorem textum ad rem non pertinere, quum ibi agatur de gratiis gratis datis.

99. 3° *Corollarium: Hinc homo potest et debet gratiæ cooperari.* De fide est ex *Trident.*: "Si quis dixerit solâ fide impium justificari... et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, A. S."[5]

Revera ex *Scripturâ* analogice colligitur hominem cum Deo cooperari ad omnes actus salutares; nam (a) de Deo dicitur: "*Inclinet* corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus"[6]; et tamen de hominis cooperatione additur: "Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum"[7]; (b) Deus aperit quidem labia nostra ad orandum: "Domine, labia mea aperies"[8]; sed nos eadem aperimus: "Os meum aperui et attraxi spiritum"[9]; (c) Deus nos ad se convertit: "Converte nos Deus salutaris noster"[10] sed nosmetipsos pariter ad Deum convertimus: "Cogitavi

[1] *Joa.* VI, 44. — [2] *Joa.* VI, 45. — [3] *I Cor.* XII, 6; *Philip.* II, 13.
[4] *Philip.* II, 12. — [5] Sess. VI, can. 9. — [6] *III Reg.* VIII, 58.
[7] *Ps.* CXVIII, 112. — [8] *Ps.* L, 17. — [9] *Ps.* CXVIII, 131.
[10] *Ps.* LXXXIV, 5.

vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua"[1]; (d) Deus in nobis cor novum creat : "Cor mundum crea in me, Deus"[2], sed illi creationi cooperari debemus : "Facite vobis cor novum et spiritum novum"[3].

Cum *S. Augustino* igitur concludere fas est : "Qui te fecit sine te, non te justificat sine te. Fecit nescientem, justificat volentem". (Serm. 15 de Verb. Apost. n. 11.)

100. *Thesis IIa :* **Datur in præsenti statu gratia vere et relative sufficiens, quæ scilicet potentiam agendi actus supernaturales vere confert, et ex nostrâ culpâ suo caret affectu.** *De fide* contra Protestantes et Jansenistas ex damnatione propositionum Jansenii, *infra* n. 102. Dicitur, "vere et *relative* sufficiens" ut ex hoc evincatur talem gratiam sufficientem esse non solum in se, sed etiam relate ad personam cui datur aut circumstantias in quibus datur.

101. 1° *Script.* (A) Hanc veritatem illustrat *Isaias*[4] comparatione vineæ, quam Dominus exquisitâ sollicitudine plantavit et excoluit, et quæ tamen, loco uvarum, labruscas produxit; dein comparationem applicans populo judaico, Deum sic loquentem inducit, "Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ et non feci? An quod exspectavi ut faceret uvas et fecit labruscas"? Unde sic : hic analogice agitur de gratiâ mere sufficienti, quum de facto suum non sortita fuerit effectum; atqui talis gratia exhibetur non solum ut vere et relative, sed etiam ut abundanter sufficiens, ut constat tum ex comparatione vineæ quam Deus omni curâ et sollicitudine coluit, tum ex eo quod Deus ipsos Judæos veluti judices assumat ut dicant, si possint, quodnam potentius auxilium iis concedere potuerit; ergo datur gratia mere et vere tamen sufficiens. — Attamen hic textus, sicut alii quos e Vet. Test. allegamus, directe agunt de providentiâ Dei erga populum judaicum, et nonnisi indirecte ac analogice de gratiâ cuilibet individuo concessâ : citantur tamen a theologis, quia viæ Domini sub hoc respectu eædem sunt, sive pro nationibus, sive pro individuis.

(B) Nec minus cogentia sunt ipsa Christi verba : "Jeru-

[1] *Ps.* CXVIII, 59. — [2] *Ps.* L, 12. — [3] *Ezech.* XVIII, 31.
[4] *Isa.* V, 1-7. — Cfr. *Proverb.* I, 24-25.

salem, Jerusalem,... quoties *volui* congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et *noluisti*" [1]. Hic iterum agitur evidenter de gratiâ mere sufficiente, quæ suum non obtinet effectum : jamvero eadem gratia tam sufficiens exhibetur, ut comparetur auxilio certe egregio quo gallina suos pullos protegit, et inefficacia ejusdem soli resistentiæ humanæ voluntatis tribuatur " *et noluisti*"; ergo.

102. 2° *Tradit.* (A) Damnata est ut *hæretica* sequens Jansenii propositio : " Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant " ; de fide est igitur contradictoria, scilicet : non deest illis gratia, qua præcepta possibilia fiunt, etiam secundum præsentes quas habent vires ; gratia vero hujusmodi, cui de facto resistitur, est mere sufficiens. Damnata fuit pariter alia propositio : " Interiori gratiæ nunquam resistitur " ; datur proinde aliqua gratia vere interior cui resistitur, seu quæ est mere sufficiens.

(B) Item ab Alexandro VIII hæc propositio ut falsa damnata fuit : " Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut... possimus petere : a gratiâ sufficienti libera nos Domine " (*Denzing.* 1163).

103. 3° *Solv. difficultates.* (A) *Objicitur* multos in Scripturâ esse textus, ex quibus concludere licet gratiam Dei esse semper efficacem. v. g. " Voluntati ejus quis resistit " [2] ? " Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui " [3] ; ergo non datur gratia mere sufficiens, *Resp.* : Textus allegati, aliique ejusmodi probare forsan valent *quasdam* gratias esse efficaces, et Deum posse, si velit, corda nostra immutare ; sed minime probant *omnes gratias*, quas confert, suum consequi effectum ; sed e contra Scriptura manifeste supponit nos gratiæ resistere posse, " Vocavi et renuistis... volui congregare, et noluistis ". Insuper plerique textus allati non de gratiâ, sed de voluntate Dei aliquid absolute decernentis, agunt, ut clare ex contextu evincitur.

(B) *Objicitur* iterum gratiam sufficientem esse inutilem, quum nunquam suum sortiatur effectum.

Resp. : (a) Gratia sufficiens non est inutilis, sed verum *beneficium*, quum det potentiam agendi : si de facto intentum effectum non producat, id perversæ hominis voluntati solum tribuendum est.

[1] *Matt.* XXIII, 37. — [2] *Rom.* IX, 19. — [3] *Isa.* LV, 11.

(b) Insuper, quamvis non producat actum salutarem a Deo intentum, excitat tamen illuminationes in intellectu et pia desideria in voluntate, quæ sunt veluti præparatio ad conversionem, nec proinde inutilia sunt.

(C) *Insto:* Illa gratia non est sufficiens, quæ non potest in actum exire, nisi altera accedat, videlicet gratia efficax; atqui ita est de gratiâ sufficiente. *Respondent Molinistæ* non requiri novam gratiam ut prior suum sortiatur effectum, sed gratiam sufficientem fieri efficacem libero consensu voluntatis nostræ. Juxta *Thomistas* et *Congruistas*, requiritur quidem altera gratia, præter sufficientem, sed hæc offertur iis omnibus qui nullum obstaculum ei opponunt, ita ut vere sit in hominis potestate. Ergo, quodcumque systema admittatur, gratia sufficiens est vere utilis.

§ II. CATHOLICORUM THEOLOGORUM SYSTEMATA EXPONUNTUR[1].

104. *Status quæstionis.* Catholici omnes quamdam distinctionem admittunt inter gratiam sufficientem et gratiam efficacem: prior siquidem vere sufficit ut supernaturaliter agere *possimus*, sed de facto, quatenus mere sufficiens remanet, suum non obtinet effectum: posterior autem infallibiliter cum effectu connectitur. Iterum omnes concedunt voluntatem nostram, sub influxu gratiæ efficacis, liberam esse. Quæstio est igitur quomodo libertas nostra cum infallibili gratiæ efficacitate conciliari possit.

Multa hâc de re prodiere systemata, quorum præcipua sunt *Molinismus*, cui affinis est *Congruismus*, et *Thomismus*, cui affinis est *Augustinianismus*. Prima hujus controversiæ semina in Hispaniis anno 1581 jacta sunt, quum Bannez, O. P., impugnavit Prudentii de Montemajor S. J. theses theologicas; acrior evasit pugna quum Molina famosum librum anno 1588 edidit de *Liberi arbitrii cum gratiæ donis Concordiâ;* res ad S. Pontificem Clementem VIII delata fuit, qui, ad litem componendam, specialem Congrega-

[1] Hujus controversiæ historiam legere est apud *H. Serry*, O. P., Historia Congregationum de Auxiliis; *Meyer*, S. J., Historia Congregat. de divinæ grat. auxiliis; *Billuart*, O. P., de Deo, diss. V, a. 6. § 8; *Sardagna*, S. J. apud *Mazzella* de Gratiâ, p. 497 sq.; *Dummermuth*, O. P., S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ; *Schneemann*, S. J., Controv. de divinâ Gratiâ; *Gayraud*, O. P., Thomisme et Molinisme; *Régnon*, S. J., Bannésianisme et Molinisme.

tionem de Auxiliis anno 1598 instituit. Per novem annos acriter res disputata fuit coram *Consultoribus* et *Cardinalibus*[1]; Clemens VIII, antequam sententiam proferret, mortuus est, et Paulus V, secundus ejus successor, rescriptum emisit anno 1607, in quo duo præsertim declarat: (a) se debito tempore editurum esse declarationem; (b) interea vero nulli licere alterutram partem hæreseos vel alterius censuræ notâ insimulare. Sententia autem in dies dilata fuit, et S. Pontifex, antequam proferri potuerit, mortuus est. Igitur adhuc sub judice lis est, et utrumque systema potest libere propugnari.

I. Molinismus et Congruismus.

105. 1° *Molinismus exponitur:* (a) Gratia sufficiens non differt *intrinsece* a gratiâ efficaci, sed solum *extrinsece:* eadem enim gratia potest esse sufficiens vel efficax: est mere sufficiens, si voluntas humana ei resistit; erit autem efficax, si voluntas eidem consentiat. Igitur una eademque gratia potest esse mere sufficiens in uno et efficax in altero; imo minor gratia potest esse efficax in uno, dum major gratia remanebit mere sufficiens in altero.

(b) Attamen gratia efficax est *majus beneficium* quam gratia mere sufficiens; nam Deus a totâ æternitate prævidet, quod, si det talem gratiam **A** Petro, ille consentiet, si autem det gratiam **B**, Petrus non consentiet; quando igitur Deus dat Petro gratiam **A** quam prævidet fore efficacem, illa gratia est certe majus beneficium quam gratia **B** quam prævidet mere sufficientem fore. Ita *Molina*, *Lessius*, multi theologi Societatis, aliique[3].

---

[1] Brevem historiam harum Congregationum videre est apud *Montagne*, de Gratiâ, diss. X. Theol. Curs. X, p. 370 sq.

[2] Cf. *Molina*, Concordia; *Lessius*, de Gratiâ efficaci et decretis divinis; *Mazzella*, n. 658 sq.; *Hurter*, n. 124 sq.; *Palmieri*, th. 55 sq.; *Tepe*, n. 165 sq.

[3] *Tepe* (n. 188) ita contrahit doctrinam communiter a Societate propugnatam: "Gratia efficax est *a*) naturâ suâ repudiabilis; *b*) efficax efficaciâ virtutis ex se ipsâ; *c*) efficax efficaciâ connexionis secundario ex consensu; *d*) efficax efficaciâ infallibilitatis ex scientiâ mediâ; *e*) non semper entitative melior quam sufficiens; *f*) semper tamen moraliter melior quam sufficiens".

106. 2° *Congruismus exponitur :* Gratia sufficiens non differt intrinsece a gratiâ efficaci, sed ratione *modi* quo nos afficit : siquidem (a) gratia efficax, quæ vocatur etiam *congrua*, ea est quæ ita accommodatur hominis ingenio, et circumstantiis loci et temporis in quibus versatur, ut eidem voluntas certo et tamen libere consentiat.

(b) Gratia autem sufficiens ea est quæ non tam perfecte accommodatur hominis ingenio et circumstantiis in quibus versatur, ita ut voluntas de facto, sed libere ei resistat. Ita *Suarez*, *Bellarminus*, *Vasquez* multique alii theologi Societatis, qui post Congregationes de Auxiliis putarunt mitigandum esse systema Molinæ [1].

107. 3° *Utrumque systema probatur :* (A) *Script. :* (a) Legitur apud *Matt.* XI, 21 : "Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, in cinere et cilicio olim pœnitentiam egissent". Unde sic : Christus increpat Judæos, eo quod non egerint pœnitentiam sub influxu gratiæ, quæ convertisset Tyrios, si illis concessa fuisset; atqui illud manifeste supponit eamdem gratiam in uno esse sufficientem et in altero efficacem ; ergo. (b) Item S. Paulus hortatur Corinthios dicens [2] : "Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis"; atqui hoc supponit eamdem gratiam posse esse vacuam seu mere sufficientem, vel efficacem ; ergo. (c) Insuper Deus apud Isaiam (V, 4) dicit : "Quid est quod debui facere vineæ meæ et non feci? .. exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas" ; atqui talis loquendi modus ostendit Deum exspectare consensum nostrum, ac proinde gratiam non fieri efficacem nisi ex libero consensu voluntatis nostræ.

(B) *Tradit.* Ex *Trident.* quod declarat voluntatem nostram posse dissentire, si velit, etiam sub influxu gratiæ efficacis (*supra*, n. 94); hoc enim supponit efficacitatem gratiæ venire a consensu.

(C) *Rat. theologicâ :* Illud systema admittendum est quod salvat simul libertatem humanam et gratiæ efficacitatem ; atqui systema expositum (a) salvat humanam *libertatem*, nam ideo gratia est efficax quia præcise voluntas ei libere consentit ; libertatem igitur non destruit, sed potius juvat, ut comparatione ostenditur ; quando navis ad portum tendit, impellitur quidem a vento, sed determinatio motus relinquitur gubernanti, qui potest dirigere navem ad talem talemve portum. Item Deus gratiâ suâ impellit voluntatem nostram

---

[1] *Suarez*, de Gratiâ, lib. V; *Vasquez*, in 1. 2, disp. 189, c. 14 ; *Bellarminus*, op. cit. lib. I, c. 12.

[2] 2 *Cor.* VI, 1.

ad bonum in genere, sed voluntas ipsa determinat gratiam ad faciendum hoc potiusquam aliud. Nec dicatur voluntatem nostram non esse liberam, quia Deus prævidet eos esse consensuros gratiæ; illa enim prævisio, seu potius visio divina non magis libertati nostræ nocet, quam visio nostra officit libertati alicujus personæ in conspectu nostro agentis.

(b) Salvat *efficacitatem* gratiæ. Deus enim a totâ æternitate, per scientiam mediam, prævidit Petrum tali auxilio consensurum, si ipsi daretur; insuper, ex merâ misericordiâ, decrevit se daturum esse Petro illud præcise auxilium; ergo certo Petrus consentiet gratiæ illi datæ, ac proinde gratia, illi a Deo concessa, erit certo efficax.

II. Thomismus.

108. 1° *Thomismus exponitur*[1]: (a) Gratia sufficiens *intrinsece* differt a gratiâ efficaci: prior dat solum potentiam proximam agendi; posterior movet et applicat potentiam ad actum, seu brevius prior dat *posse*, posterior dat *agere*.

(b) Gratia sufficiens nos habiles facit ut bene agere possimus; attamen, ut de facto bonum agamus, requiritur alia gratia perfectior et validior, scilicet gratia efficax; illa autem gratia efficax omnibus offertur, et illis datur qui nullum impedimentum gratiæ sufficienti opponunt.

(c) Gratia efficax etiam vocatur *præmotio* physica; siquidem per illam Deus nos movet ad agendum, et quidem non moraliter tantum, sed per impulsum physicum, et dicitur *præmotio*, quia ordine logico actionem nostram prævenit.

(d) Illa præmotio physica non destruit libertatem, quia Deus movet omnes creaturas secundum uniuscujusque naturam, creaturas non liberas modo quidem irresistibili, creaturas autem liberas, ita ut libere agant. Quod illustrari potest exemplo magistri moventis manum discipuli, ut ille scribere possit: talis motio est vere physica, sed tamen libertatem discipuli non violentat, quia discipulus libere motionem accipit, eique libere cooperatur. Ita *Dominicani* fere omnes, *Salmanticenses*, non pauci *Scotistæ*, aliique.

---

[1] Cf. *S. Thomas*, 1. 2. q. 112, a. 3; 2. 2. q. 24, a. 11; C. Gent. l. III, c. 89; *Thomas de Lemos*, Panoplia Gratiæ; *Alvarez*, De auxiliis divinæ gratiæ; *Salmant.*, de Gratiâ, disp. VII, dub. 4; *Billuart*, de Gratiâ diss. V, a. 2-6; *Goudin*, q. V, a. 3-4.

109. 2° *Augustinianorum systema*[1]. Augustiniani amplectuntur quoad substantiam systema Thomisticum, saltem pro statu naturæ lapsæ; solummodo rejiciunt præmotionem physicam, et loco illius, admittunt præmotionem *moralem*, seu moralem suasionem, per quam Deus nos ad bonum allicit. Juxta ipsos, gratia est *sufficiens*, quando nobis conceditur gradus delectationis cœlestis, quo concupiscentiam vincere possumus; gratia est *efficax*, quando delectatio cœlestis tanta est, ut *certo* et infallibiliter, *non tamen necessario*, concupiscentia vincatur: distinguuntur ergo a Jansenianis, qui dicunt hanc delectationem esse necessitantem.

110. 3° *Argumenta pro utroque systemate:*

(A) *Script.* (a) *S. Paulus* ita Corinthios alloquitur[2]: "Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis"? Unde sic: ex illo textu homo nihil habet ex quo gloriari possit; atqui si gratiæ efficacitas ex consensu oriretur, homo aliquid haberet ex quo gloriari posset, scilicet proprium consensum, quem non a gratiâ sed a seipso haberet.

(b) Illa gratia est ex se et ab intrinseco efficax, quæ facit ut faciamus, quæ facit ut velimus, quæ mutat voluntatem nostram et ejus dispositiones malas in bonas convertit; atqui ita est de gratiâ efficaci, juxta Scripturam: dicitur enim: "Dabo vobis cor novum, et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum... et *faciam ut in præceptis meis ambuletis*"[3]; iterum "Deus *operatur* in vobis *velle* et perficere"[4], id est, volitiones seu consensum internum voluntatis nostræ, et deinde exsecutionem harum volitionum.

(c) Idem constat comparationibus a Scripturâ adhibitis; homo enim gratiâ motus, comparatur luto in manu figuli[5], quod figulus fingit sicut vult, et rivulo aquarum, qui dirigitur ab hortulano, sicut vult[6]; atqui illæ comparationes ostendunt efficacitatem gratiæ a voluntate Dei, non autem a voluntate nostrâ, pendere; ergo.

111. (B) *Trad.* (a) auctoritate *S. Augustini*, qui dicit: "Certum est nos velle cum volumus, sed ille (Deus) facit ut velimus bonum... ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati" (*De*

---

[1] Cf. *Berti*, de theolog. discipl. l. XIV, c. 8; *Noris*, Janseniani erroris calumnia sublata. *Thomassinus* (Tr. 3 de consensu scholæ de gratiâ) Augustinensium systema alio modo advocat, gratiæ efficaciam tribuens *multitudini* auxiliorum alicui collatorum: licet enim singula seorsim sumpta frustrari possint, universa tamen simul sumpta obstinatos ad assensum suaviter et fortiter trahunt.

[2] *I Cor.* IV, 7. — [3] *Ezech.* XXXVI, 26-28. — [4] *Philip.* II, 13.

[5] *Eccli.* XXXIII, 13. — [6] *Prov.* XXI, 1.

Grat. et lib. arbit. XVI, 32); (b) auctoritate Ecclesiæ, quæ Deum orat "ut nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates"[1]; jamvero Deus non potest compellere nostras voluntates, nisi gratia sit in se efficax; ergo.

112. (C) *Ratione:* (a) Nisi admittatur gratia ab intrinseco efficax, dicendum est esse aliquod ens, scilicet consensum voluntatis nostræ, quod non immediate a Deo causetur; atqui illud repugnat supremæ Dei causalitati: suprema enim omnium causa omnia entia debet producere; ergo.

(b) Deus, utpote primus motor, omnes causas movere debet sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali; atqui voluntatem nostram in ordine supernaturali movere nequit nisi per gratiam ex se et ab intrinseco efficacem; gratia enim, quæ est solummodo efficax ex consensu nostro, non movet vere voluntatem nostram, sed potius movetur et applicatur ad actum per voluntatem; ergo[2].

113. *Conclusio:* Utrinque igitur rationes non spernendæ in medium proferuntur, utrinque angustiæ et difficultates; ideoque unusquisque in suo sensu abundet, dummodo servetur caritas. Nec mirum est difficile admodum esse gratiæ efficaciam cum libertate conciliare, quum tam pauca cognoscamus circa utriusque operandi modum. Judicio nostro, dicere sufficit, cum Angelico Doctore, Deum in voluntates nostras efficaciter agere, quin tamen liberum tollat arbitrium, modo mirabili nobis incognito: "Deus in voluntate agit per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed movet eam non auferendo ei modum, qui in libertate ad utrumlibet existit. Et ideo, quamvis divinæ voluntati nihil resistat, tamen voluntas et quælibet alia res, exsequitur divinam voluntatem secundum modum suum; quia et ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic ejus voluntas impleretur". De Verit. q. II, a. 3, ad 3.

Nemo tamen asserat doctrinam Societatis pelagianismo

[1] Domin. IV. post Pentec.

[2] Aliud præterea systema propugnatum fuit a nonnullis theologis, ut *Ysambert, Tournely, S. Alph. Liguori,* juxta quos duplex datur gratia, alia quæ efficax est ex voluntatis consensu, et datur ad faciliora opera, præsertim orationem; alia, quæ efficax est ex se et confertur ad opera difficiliora; jamvero homo qui priori bene utitur impetrabit posteriorem. Illud systema non omni quidem probabilitate caret, sed iisdem difficultatibus laborat ac utrumque systema jam expositum, proindeque a paucis tantum advocatur.

favere, quum *Paulus V*, dum finem imponeret Congregationibus de Auxiliis, recte dixerit : " Jesuitæ discrepant a Pelagianis, qui initium salutis posuerunt fieri a nobis, illi vero tenent omnino contrarium ". Nullus pariter doctrinam thomisticam tanquam Calvini erroribus affinem condemnet; nam, ut ait idem Pontifex, " sententia Patrum Prædicatorum plurimum differt a Calvino ; dicunt enim Prædicatores, gratiam non destruere, sed perficere liberum arbitrium, et eam vim habere, ut homo operetur juxta modum suum, i. e. libere ".

Ad praxim quod attinet, quando bonum operamur, gloriari non possumus, sed gratias Deo reddere debemus, qui sive mediate sive immediate quidquid in nobis boni est suâ gratiâ operatus est, ut aperte docet S. Paulus ; aliunde, quum gratia efficax nihil agat in nobis sine nobis, totis viribus nostris ei cooperari tenemur, quasi totum a nobis penderet; gratia enim hominibus bonæ voluntatis nunquam deest.

Caput ii.

DE GRATIA HABITUALI.

114. Gratia actualis, de quâ egimus, nihil aliud est nisi præparatio ad gratiam *habitualem*, quæ vere nos sanctos et justos efficit, proindeque *sanctificans* vel *justificans* vocatur. Quia vero gratia habitualis in justificatione infunditur,

pauca de hâc præmittenda sunt. Justificare in sacris Litteris plura significat [1] : (a) alicujus prærogativas approbare seu agnoscere [2]; (b) agendi modum explicare et vindicare [3]; (c) declarare aliquem justum [4]; (d) facere aliquem justum [5] : quæ quidem duæ posteriores significationes frequentiores sunt in Scripturâ, et, quando de Deo agitur, in idem reincidunt ; nam Deus non potest declarare justum eum qui revera justus non est. Justificatio igitur *active* sumpta, est *operatio Dei quâ hominem justum declarat et facit;* justificatio vero *passive* sumpta, est *translatio a statu peccati mortalis in statum justitiæ seu gratiæ;* duplex igitur elementum complectitur, unum negativum, sc. mortalium peccatorum remissionem, alterum positivum, sc. gratiæ habitualis infusionem. Ut logico procedamus ordine, quatuor describemus, *dispositiones* ad justificationem requisitas, *naturam* et *proprietates* justificationis, tandem *virtutes et dona* quæ illam comitantur.

115. Antequam vero singula exponamus, abs re non erit ea exscribere quæ de *præparatione* ad justificationem et de ejus *naturâ* et *causis* Tridentinum habet : " Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes *a divinæ justitiæ timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, *diligere incipiunt :* ac propterea moventur adversus peccata per *odium* aliquod et detestationem, hoc est per eam *pœnitentiam* quam ante Baptismum agi oportet : denique dum *proponunt* suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. ... Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequi-

[1] Cf. *Newman*, Lectures on the doctrine of Justification, lect. III-IV, Primary sense, Secondary senses of the term *justification*.

[2] *Luc.* VII, 35 : " Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis".

[3] *Luc.* X, 29 : " Ille autem volens justificare seipsum "...

[4] *Matt.* XII, 37 : " Ex verbis enim tuis justificaberis "...

[5] *Apoc.* XXII, 11 : " Qui justus est, justificetur adhuc "...

tur; quæ non est sola *peccatorum remissio*, sed et *sanctificatio* et *renovatio interioris hominis* per *voluntariam* susceptionem *gratiæ* et *donorum*. Unde homo ex injusto fit *justus*, et ex inimico *amicus*, ut sit *hæres* secundum spem vitæ æternæ". Quibus verbis quatuor declarantur: (a) *negativum* justificationis elementum, sc. peccatorum remissio; (b) *positivum* elementum, sc. sanctificatio et renovatio vere interna; (c) *medium* ad justificationem consequendam, videlicet voluntaria susceptio gratiæ habitualis; (d) *effectus* ejusdem, quum homo justificatus sit justus, Dei amicus et heres.

"Hujus justificationis causæ sunt, *finalis* quidem, *gloria* Dei et Christi, ac vita æterna: *efficiens* vero, *misericors Deus*, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostræ: *meritoria* autem, dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster *Jesus Christus*, qui, cum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit: *instrumentalis* item, Sacramentum *Baptismi*[1], quod est Sacramentum *fidei*, sine quâ nulli unquam contigit justificatio: demum unica *formalis* causa est *justitia Dei*, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit: quâ videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, et sumus, *justitiam in nobis recipientes*, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem". (Sess. VI, cap. 7).

Art. I. De dispositionibus ad justificationem requisitis.

116. Parvuli, qui per baptismum justificantur, nullâ dispositione indigent, quum nullius actûs rationalis sint capaces. Adulti vero ad justificationem sese præparare debent per actus fidei, timoris, spei, inchoatæ dilectionis et contritionis, ut optime a *Trident.* explicatur (sess. VI, cap. 6). Protestantes autem plerique hâc de re dupliciter errant: (a) docent enim *fidem* esse *solam* conditionem ad justificationem requisitam, eo quod homo, spiritualiter per peccatum mortuus, nullam activam partem in suâ resurrectione habere potest; (b) fidem, quæ justificat, non esse directe fidem mysteriorum, sed *fiduciam*, quâ quis credit peccata esse sibi remissa,

[1] Sacramentum Baptismi hic memoratur, quia est unum et præcipuum ex causis instrumentalibus justificationis, sed non excluduntur alia sacramenta.

propter merita Christi, et illam fidem non per modum dispositionis operari, sed per modum instrumenti quo merita Christi apprehenduntur[1]. Triplicem videlicet fidem distinguunt : *fidem historicam*, quæ versatur circa res olim gestas, comminationes divinas, pœnas peccatoribus inflictas, aliaque hujusmodi in Scripturâ relata ; *fidem miraculorum*, quâ opera omnipotentiæ divinæ naturæ vires superantia credimus ; *fidem promissionum*, quæ iterum duplex est, *generalis*, quâ creditur salutem omnibus in Christum credentibus fuisse promissam ; *specialis*, quâ quis confidit sibi per imputatam Christi justitiam, peccata fuisse condonata. Hæc ultima fidei species est, juxta ipsos, fides salvificans, seu justificans[2].

Multi tamen protestantes, præsertim recentiores, addunt fidem non esse vere justificantem sine bonis operibus, licet illa opera nihil ad justificationem conferant, sed sint veluti fructus ipsius : " Pœnitentiam vero non modo fidem continuo subsequi, sed ex eâ nasci, extra controversiam esse debet "[3]. Quomodo autem hæc omnia sibi consistant nostri non est exponere.

117. *Thesis I^a*. **In adultis sola fides peccatorem non justificat, sed aliæ dispositiones ad justificationem prærequiruntur[4], scil. fides, timor, spes, initium amoris et peccati odium.** *De fide est ex Trident.*[5] : " Si quis dixerit

[1] Hanc doctrinam de *solâ fide justificante* vocavit *Lutherus* articulum stantis aut cadentis Ecclesiæ. Item *Calvinus* ait : " Dicimus hominem solâ fide justificari " (*Instit.* l. III, c. XI, 19). Quomodo autem fides justificet sic explicatur a Lutherano *Gerhard* (de *Justif.* § 153) : " Fides non justificat vel meritorie, vel per modum dispositionis, ut volunt Pontificii, sed *organice* et per *modum apprehensionis*, quatenus meritum Christi in verbo Evangelii complectitur ". Nec aliter docet Anglicanus *Faber* (Primitive doctr. of justific. XIX), ubi declarat justificationis causam esse extrinsecam Christi justitiam, quam apprehendimus ac nostram facimus per instrumentalem fidei manum. Cf. *Newman's* Lect. on Justific. lect. I.

[2] Cfr. *Calvinus*, lib. III Instit. c. 2; *Hodge*, op. cit. vol. III, p. 95.

[3] Ita *Calvinus*, Instit. lib. III, c. 3, § I; *Hodge*, Syst. theol. III, 238.

[4] Cfr. *Bellarminus*, de Justificatione, l. I, c. 12-25; *Suarez*, de Gratiâ, l. VIII, c. 15-22; *Salmant.*, de Justificatione, disp. III, dub. 1; *Billuart*, de Gratiâ, disp. VII, a. 4; *Perrone*, de Gratiâ, n. 525 sq.; *Murray*, de Gratiâ, disp. X, n. 32 sq.; *Mazzella*, n. 1067 sq.; *Newman*, op. cit. lect. XII; *Dublin Review*, oct. 1868, p. 344.

[5] Sess. VI, can. 9.

solâ fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi, A. S."

118. 1° *Script.* (A) Scriptura manifeste asserit solam fidem ad justificationem non sufficere. Ait enim *S. Jacobus:* " Ex *operibus* justificatur homo, et *non ex fide tantum*... fides sine operibus mortua est "[1]. Quæ quidem verba, præsertim quando cum contextu sumuntur (14-26), adeo clara sunt, ut Protestantes ipsi fateri debeant bona opera (supernaturalia) a S. Jacobo ad justificationem requiri. *Lutherus* quidem hanc epistolam genuinam esse dubitavit, quia cum illâ doctrinam suam conciliare nequibat, sed hodierni Protestantes ejus authenticitatem agnoscunt. Insuper *S. Paulus*, cui tam confidenter Protestantes innituntur, dicit : " Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, *caritatem autem non habuero*, nihil sum"[2] ; ex quo manifeste colligitur fidem etiam eximiam, sine caritate, justificare non posse. Alibi dicit : In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ *per caritatem* operatur "[3]; ergo non sola fides justificat, sed ea quæ caritati conjungitur.

(B) Aliunde Scriptura distincte quasdam enumerat dispositiones ad justificationem necessarias, præter fidem : dicitur enim de *timore :* " Qui sine timore est non poterit justificari "[4] ; de *spe :* "Qui.. sperat in Domino sanabitur"[5]; de *pœnitentiâ*, seu contritione : " Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis "[6]; de *dilectione :* " Qui non diligit, manet in morte "[7]. Jamvero si aliæ dispositiones, præter fidem, necessariæ sunt, certo fides sola non sufficit. Nec dicatur illas esse solum justificationis fructus, nam ex locis citatis, requiruntur tamquam conditiones sine quibus justificatio obtineri nequit.

119. 2° *Rat.* (A) Illud rejiciendum est quod *ex se* prava consectaria inducere potest ; atqui doctrina novatorum circa

---

[1] *Jacob.* II, 24-26. — [2] *I Cor.* XIII, 2. — [3] *Galat.* V, 6.
[4] *Eccli.* I, 28. — [5] *Prov.* XXVIII, 25. — [6] *Luc.* XIII, 3; *Act.* III, 19.
[7] *I Joa.* III, 14; cf. *Luc.* VII, 47; *Galat.* V, 6 etc.

sufficientiam fidei ad justificationem *ex se* ad inducenda prava consectaria tendit; si enim sola fides sufficiat, non necesse est pœnitere, bonis operibus vacare, concupiscentiam frænare. De facto *Lutherus* prava illa consectaria amplexus est, dum scripsit ad Melanchthon: "Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo"; quidam ex ejus discipulis, præsertim *Antinomiani*, eadem consectaria professi sunt. Fatemur equidem plerosque hodiernos Protestantes illa reprobare, et bona opera de facto commendare; sed hoc non impedit quin naturaliter et logice prava consectaria ex eorum systemate deduci possint.

(B) Aliunde ratio ipsa perspicere valet quam conveniens sit alias dispositiones, præter fidem, requiri ad justificationem. Nam, ut animadvertit *S. Thomas*, Deus movet omnia secundum uniuscujusque naturam, et quia homo liber est, Deus eum ad justificationem ita movet ut ipse libere sese præparet ad eam adipiscendam. Atqui talis præparatio præfatos includit actus; nam prima conversio hominis ad Deum fit quidem per fidem; sed fides generat timorem filialem, quo peccator Deo se subjicit, eumque offendere timet; fides pariter causat spem, quâ misericordiâ Dei innixi remissionem peccatorum exspectamus; ex quo sequitur peccati detestatio, nam non potest quis ad justitiam accedere nisi a peccato recedat, quum hæc duo sibi invicem opponantur; tandem quum fides perfecta non sit, nisi caritate informetur, peccator qui sincere ad Deum vult redire eum diligere incipit; ergo actus supra descripti ad justificationem adipiscendam requiruntur (*S. Th.* I. 2. q. 113, a. 3-5).

120. 3° *Solvuntur difficultates.* (A) In multis Scripturæ locis justificatio fidei ascribitur, nullâ aliâ conditione requisitâ: v. g. Christus dixit peccatrici: "Fides tua te salvam fecit"[1].

Resp. Scriptura justificationem fidei quidem ascribit, quia fides est una ex conditionibus ad justificationem requisitis, sed, nedum alias conditiones excludat, eas potius manifeste supponit; ita in casu allato, antequam Christus

[1] *Luc.* VII, 50.

præfata verba referret, de eâdem peccatrice dixerat: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum"[1]; igitur justificatio non minus dilectioni, seu caritati, quam fidei ascribitur. Ratio autem cur Scriptura tam sæpe necessitatem fidei inculcat est, quia fides est revera "humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis"[2]. Qui fidem habet, eo ipso ceteras conditiones cognoscere et assequi potest, dum qui eâ caret, alias nec novit nec habere potest; non est igitur mirum si fides, quæ inter dispositiones ad justificationem est ordine prima, ex quâ ceteræ suam efficaciam derivant, et sine quâ aliæ exsistere non possunt, tam sæpe memoretur, eidemque tribuantur omnes justificationis effectus, præsertim quum sæpe sub nomine fidei designetur non solum virtus ipsa fidei, sed *tota religio christiana*[3].

121. (**B**) Totus est S. Paulus, præsertim in epistolis ad *Rom.* et ad *Galatas*, in declarando solam fidem sufficere, absque operibus, v. g. "Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus"[4]. *Resp.* (**a**) Nullibi asseritur in S. Paulo *fidem solam* ad justificationem sufficere; vox *sola* a *Luthero* addita fuit, in Germanâ translatione, sed in textu non invenitur, ut hodie Protestantes fatentur[5]. Nec potest dici illam vocem inveniri quoad sensum, ut contendunt adversarii; nam asserit quidem S. Paulus fidem sufficere ad salutem, sed fidem a caritate formatam juxta illud: "Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ *per caritatem operatur*"[6]. Duplex igitur distingui debet fides: fides nuda et *imperfecta*, seu

[1] *Luc.* VII, 47. — [2] *Trident.*, sess. VI, cap. 8.

[3] *Rom.* I, 8. Quod eruditi Protestantes etiam admittunt, ut v. g. *Sanday*, Comment. on Romans, p. 26-28.

[4] *Rom.* III, 28.

[5] Quod jam Lutherus fateri coactus est: "Bene mihi notum erat vocem *sola* in textu latino et græco desiderari; nec Papistæ mihi opus erant ut hoc scirem. Verum est hasce quatuor literas *sola* ibi non inveniri... at hi non vident quomodo, omnibus invitis, hæc vox textus sensum optime exprimat". (*Luther*, apud *O'Connor*, Luther's own Statements, p. 26.)

[6] *Galat.* V, 6.

informis, quæ per caritatem et bona opera non perficitur, et fides *perfecta*, seu formata, quæ per caritatem perficitur, et operibus bonis manifestatur; posterior utique ad salutem et justificationem sufficit, quia in se omnes alias dispositiones continet, prior autem, seu fides imperfecta, minime sufficit. (b) S. Paulus addit "*sine operibus*", sed his verbis opera *naturalia*, aut opera *legis mosaicæ* excludit, non autem opera supernaturalia, ut patet ex *textu*, *contextu* et *locis parallelis*: ex *textu*, qui ita se habet: "Arbitramur justificari hominem sine *operibus legis*", i. e. sine operibus præscriptis a lege mosaicâ, quæ jam abrogata erat a Christo; *ex contextu*, nam in Epist. ad Rom., S. Paulus intendit probare contra Gentiles opera naturalia non mereri justificationem, et contra Judæos *opera legis* (mosaicæ) non ex se mereri gratiam, sed, præter illa opera, requiri fidem in Christum, quia talis fides, et quidem sola, opera nostra reddere potest supernaturalia; sed opera bona ut necessaria habet, nedum ea excludat; siquidem in cap. II (6-13) ait: "Reddet unicuique secundum *opera* ejus ... Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed *factores legis* justificabuntur"; *ex locis parallelis*, nam alibi S. Paulus Christianos hortatur ut in *omne opus bonum* abundent, in *omni opere bono* justificentur, ut confirmentur in *omni opere et sermone bono*[1]; atqui illa omnia ostendunt S. Paulum non opera bona, seu supernaturalia, sed solum opera naturalia excludere; ergo[2].

122. (C) Si aliæ conditiones præter fidem requirerentur, justificatio gratuita non esset, nec tribui posset Christi meritis, sed e contra hominis superbiæ faveret. *Resp.* Quamvis dispositiones ad justificationem requirantur, justificatio merito *gratuita* vocatur, quia homo ad eam sese

[1] *II Cor.* IX, 8; *Colos.* I, 10; *II Thessal.* II, 16.

[2] Quod egregie exponit *Newman*, op. cit. lect. XII, et ibidem probat nullam contradictionem esse inter S. Pauli et S. Jacobi doctrinam: prior, eos alloquens qui naturæ nimis fidebant, iterum atque iterum declarat *opera sine fide* peracta non valere ad justificationem, sed supernaturalia opera non excludit; posterior autem eos alloquens qui jam credebant, emphatice asserit *fidem sine operibus* parum prodesse, sed, dum opera commendat, fidei necessitatem non negat. Utriusque igitur doctrina simul coordinata thesim nostram optime confirmat.

disponere nequit sine gratiâ actuali, quæ gratis omnino datur; et insuper dispositiones illæ non merentur de condigno justificationem. Nec per hoc aliquid detrahitur gloriæ Christi, nam, sine ejus gratiâ, homo est radicaliter incapax sese disponendi ad justificationem, ac proinde conversio nostra Christi meritis tribuitur, nec de illâ gloriari possumus; imo quidquid agimus in ordine ad justificationem in gloriam ejus redundat, quum id sub ejus influxu fiat.

123. *Thesis 2ª.* **Fides ad justificationem requisita non est fiducia, quâ quis credit peccata sibi esse condonata, sed supernaturalis assensus omnibus veritatibus a Deo revelatis.** *De fide est ex Trident.* l. c. can. 12 : "Si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum ..." A. S.

124. 1° *Script.* (**A**) Christus enim Apostolis dixit : "Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur" [1]. Unde sic : hic certe agitur de fide justificante : "qui crediderit salvus erit"; atqui fides illa est fides, quâ creditur Evangelium, i. e. tota religio christiana quæ sub nomine Evangelii designatur, ut colligitur tum ex contextu, tum ex *Matth.* XXVIII, 20, non autem fides quâ quis putat se esse justificatum, seu fiducia; ergo.

(**B**) S. Paulus rem aperte docet dum dicit : "Sine fide autem impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit" [2]. Hic S. Paulus certo disserit de fide justificante, quum disserat de fide sine quâ nemo potest placere Deo; atqui juxta illum, illa fides consistit in credendo existentiam Dei, ejusque providentiam, non autem in fiduciâ; ergo. Objiciunt quidem Protestantes initio ejusdem capitis Paulum dicere, "Est autem fides sperandarum substantia rerum", hisque verbis *fiduciam* designari. Sed imme-

[1] *Marc.* XVI, 15.
[2] *Hebr.* XI, 6; cf. *Joa.* XX, 29, 31; *Rom.* X, 9-10.

rito; ibi enim tradit Apostolus fidem esse *spei fundamentum*, quod minime negamus, sed statim addit eamdem esse *argumentum* (i. e. convictionem) non apparentium, seu assensum rebus non visis præbitum : quod est ipsa thesis nostra. Postea varia exhibet fidei exempla, ex quibus constat fidem de quâ disserit esse firmum assensum rebus revelatis datum, quatenus generat fiduciam, obedientiam aliasque morales dispositiones : quod quidem duplicem thesim nostram confirmat, quum contendamus non solam fidem justificare, sed alias requiri dispositiones, et insuper fidem, quâ justificamur, esse etiam assensum veritatibus a Deo revelatis[1].

125. 3° *Rat. Theol.* Fides, sensu protestantico intellecta, est impossibilis. Nam fide credere non possumus nisi ea quæ a Deo revelata sunt; atqui nullibi revelatur in Scripturâ peccata uniuscujuslibet in particulari esse condonata; revelatur quidem omnes, qui sinceram pœnitentiam agunt, esse justificatos, sed nemo scire potest, certitudine fidei, se sinceram pœnitentiam egisse; confirmatur exemplo *S. Pauli*, qui de se ipso dicebat : " Nihil.. mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum "[2] ; ergo non possumus credere, fide divinâ, nostra peccata in particulari fuisse condonata.

126. 4° *Solvunt diffic.* Objiciunt Protestantes vocabula πιστεύω et πίστις non simplicem intellectus assensum, sed *fiduciam* significare, præsertim ubi agitur de fide justificante, v. g. *Matt.* IX, 2, 22; XV, 28; *Rom.* IV, 5 etc.

Resp. Præfata vocabula aliquando simplicem assensum, aliquando, licet raro, fiduciam significant, ut clare colligitur ex lexicis N. T. ab ipsis Protestantibus editis. Ita, juxta *Schleusner* (Lexicon Gr. Lat. N. T.), πίστις est " certa animi persuasio, certitudo opinionis et judicii de aliquâ re, maxime de eo quod licitum et illicitum est... *assensus qui rebus credendis* tribuitur, speciatim *assensus* qui *religioni Christianæ* tribuitur... mox nuda scientia et cognitio religionis christianæ, mox accessus et conversio ad religionem christianam, susceptio, professio externa religionis christianæ, ob assensum qui ei tribuitur "[3]. Proinde sensus ex contextu determinandus est : jam-

[1] Argumenta hujusmodi fusius evoluta invenies apud *Bellarminum*, op. cit. l. I, c. 4-11; *Suarez*, l. VIII, c. 16; *Becanum*, Manuale, l. I, c. 16; q. 5; *Perrone*, n. 554 sq.; *Murray*, de Gratiâ, l. c, n. 1-51; *Mazzella*, n. 1088 sq.; *Newman*, op. cit. lect. XI; *Dublin Review*, oct. 1868, p. 317 sq. — [2] *I Cor.* IV, 4.

[3] Ita etiam *Robinson*, *Parkhurst* in Lexicis suis. Nec aliter sentit

vero supra ostendimus, ex contextu, fidem justificantem non esse fiduciam, sed assensum veritatibus a Deo revelatis; ergo. Textus autem allati nil contra nostram thesim probant; prior in textu græco sic habet: "Confide, fili, *remissa sunt* ἀφιενται peccata tua", et sensus est paralyticum posse confidere et gaudere, quia ejus peccata jam remissa sunt; posterior agit de fiduciâ per quam mulier a fluxu sanguinis curata fuerat; in tertio textu quæstio est de fide, vel fiduciâ per quam mulier Chananæa curationem filiæ suæ obtinuit; in quarto agitur de fide quâ Abraham credidit Deo dicenti posteros suos sicut stellas cœli innumerabiles fore, seu de fide vere theologicâ. Addimus in nullo loco N. T. fidem significare *fiduciam propriæ justificationis*, sed plerosque textus a Protestantibus congestos ad illam fiduciam referri, quæ ad miracula desideratur, nec proinde ad rem pertinere.

Art. II. De Naturâ justificationis.

Ut justificationis natura melius innotescat, exponemus primo contra Protestantes *in quo consistat*, deinde quinam sint ejus *effectus formales*, tandem *quomodo definiatur gratia justificans* seu habitualis, juxta theologos.

§ I. Protestantium errores de natura justificationis confutantur.

127. Justificatio, ex dictis, essentialiter consistit in remissione peccati mortalis et infusione gratiæ. Plerique autem novatores distinctionem instituunt inter justificationem et sanctificationem. Prior siquidem est judicialis sententia quâ peccator, fiduciâ instructus, *declaratur justus*, seu immunis a pænâ peccato debitâ; posterior est renovatio quædam totius hominis, quâ homo jam justificatus, et ope divinâ adjutus, paulatim concupiscentiam ac libidines mortificat atque ad praxim sanctitatis accedit. Prior igitur est actus

Thayer, op. cit., juxta quem fides est firmus alicui veritati assensus; in Novo Testamento est assensus relationibus hominem inter et Deum, rebusque divinis, cui fiduciæ et sancti fervoris idea plerumque unitur, quæ ex fide nascitur, fideique nectitur. Relate ad Deum, πίστις est persuasio et Deum esse, eumdemque existere Creatorem et Dominum omnium rerum, qui nobis per Jesum Christum salutem æternam comparat. Relate ad Christum, πίστις firmam ac suavem persuasionem significat Jesum esse Messiam, quo mediatore, salutem æternam in regno Dei obtinemus etc."

transiens et in omnibus æqualis; posterior est opus progressivum, varios gradus in variis hominibus admittens. Quia vero putant hominem per peccatum originale fuisse totaliter corruptum, hâc de re dupliciter errant, docendo : (a) in justificatione peccata non vere deleri, sed solummodo tegi, non eradicari, sed operiri propter merita Christi nobis imputata, ita ut non imputentur ad pœnam, licet in animâ remaneant quoad maculam ; (b) sanctificationem ipsam non in verâ et intrinsecâ innovatione sitam esse, sed solum in extrinsecâ imputatione meritorum Christi ; proinde justificatio nihil aliud est nisi forensis declaratio quâ justi pronuntiamur, licet intrinsece injusti maneamus [1]. — Nonnulli tamen, præsertim moderni, hanc forensem declarationem ac extrinsecam imputationem meritorum Christi omnino rejiciunt, utpote alienam a mente Christi et Apostolorum, docentque peccata vere remitti in justificatione atque vere in animam infundi justitiam et sanctitatem, ita ut substantialiter cum Catholicis consentiant [2]. — Pauci tandem, viam mediam tenentes, putant justificationem esse meram declarationem quâ peccata nostra teguntur, sed sanctificationem esse veram et intrinsecam, licet progressivam, hominis renovationem [3].

128. *Thesis I^a :* **In justificatione peccata mortalia vere remittuntur et delentur, saltem quoad culpam, et quoad pœnam æternam ipsis debitam,** *licet aliqua pœna temporalis exsolvenda remanere possit, ut probatur in Tr. de Pœnitentiâ* [4]. *De fide est ex Trident.* [5] *:* "Si quis per Jesu

[1] Ita *Solid. Declar.* 3 de Fide justif. § 15 : "Per fidem propter obedientiam Christi justi pronuntiantur et reputantur, etiamsi ratione corruptæ naturæ adhuc sint maneantque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt". Cfr. *Calvinus*, Instit. l. III, c. 11, § 2, 3, 22; *Hodge*, Syst. theol. vol. III, p. 118, 213; *Lichtenberger*, op. cit., vocabulo *Justification*, ubi varia Protestantium systemata exponuntur.

[2] Ita *A. Sabatier*, L'Apôtre Paul, Paris, 1896, p. 321 ; *Liddon*, Analysis of Romans p. 17-18; *Vincent*, International critical Comment. on Philippians, 1897, p. 123.

[3] Ita *Sanday*, Internat. critic. Comment. on Romans, p. 36.

[4] Cf. *Bellarm.* op. cit. l. II, c. 7 ; *Suarez*, l. VI, c. 10 ; *Perrone*, n. 480 sq. ; *Murray*, disp. IX, n. 57 sq. ; *Mazzella*, n. 966 sq. ; *Hurter*, n. 185 sq. ; *Pesch*, n. 325 sq. — [5] *Trident.*, sess. V, can. 5.

Christi gratiam ... asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, A. S."

129. 1° *Script.* (**A**) Ex locis ubi *directe* asseritur peccata *deleri* per justificationem : " Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele "[1] ; " Pœnitemini igitur et convertimini ut *deleantur* peccata vestra "[2] ; quæ quidem verba falsa essent, si solummodo tegerentur peccata nostra ; vocabulum enim *delere*, sicut vox græca ἐξαλειφθῆναι, non significat tegere aut operire, sed *penitus destruere* aut *removere*, ita ut nulla amplius vestigia supersint, ut fatetur protestans *Schleusner*, op. cit.

(**B**) Ex locis ubi asseritur peccata *remitti* aut *tolli :* "Confide, fili, *remittuntur* tibi peccata tua "[3]; Ecce Agnus Dei, ecce qui *tollit* peccatum mundi "[4] ; " Aufers iniquitatem,... (Deus) projiciet in profundum maris omnia peccata nostra "[5]. Jamvero peccata quæ remittuntur, tolluntur, et veluti projiciuntur in profundum maris, non amplius remanent in animâ, nec possunt dici simpliciter tegi; ergo.

(**C**) Ex textibus in quibus justificatio describitur ut *lotio, mundatio :* " Lavamini, mundi estote... si fuerint peccata vestra ut coccinum, *quasi nix dealbabuntur* "[6]; " Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et *super nivem dealbabor* "[7]; " Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo "[8] ; porro qui lavatur, et mundatur, et fit albus sicut nix, non remanet intrinsece peccatis maculatus, sed vere et intrinsece immunis est a peccato. Confirmatur ex textibus in quibus justificati *novi homines*, et *nova creatura* vocantur[9] ; hoc enim loquendi modo significatur mutationem esse veram et intrinsecam, vetera transiisse novaque esse omnia. Merito igitur cum *Bellarmino* concludimus (op. cit. c. 6, n. 6) : "Scriptura siquidem utitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ut si quis de industriâ quærat vocabula, quibus perspicue

---

[1] *Ps.* L, 11.— [2] *Act.* III, 19; cf. *Isa.* XLIII, 25; XLIV, 22; *Dan.* IX, 24
[3] *Matt.* IX, 2. — [4] *Joa.* I, 29. — [5] *Mich.* VII, 18-19.
[6] *Isa.* I, 16-18. — [7] *Ps.* L, 9. — [8] *Apoc.* I, 5; cf. *I. Joa.* I, 7.
[9] *Ps.* L, 12; *II Cor.* V, 17; *Galat.* VI, 15; *Coloss.* III, 9-10.

declaret, peccatum aliquid vere tolli et abolcri, non posse aliquod reperire quod ipsa Scriptura divina non occupaverit ".

130. 2° *Rat.* Per justificationem homo fit vere Deo gratus, ejus filius adoptivus, et hæres vitæ æternæ, ut ipsi Protestantes fatentur. Porro qui remanet interne in statu peccati, nedum sit Deo gratus, e contra est ipsi odibilis; nedum vitâ æternâ, e contra reprobatione est dignus. " Mundi sunt oculi tui, ... et respicere ad iniquitatem non poteris" [1]. Nec dicatur illa peccata tegi : nam quomodocumque tegantur, si tamen remanent in animâ, non effugiunt oculos illius, de quo dicitur : " Scrutans corda et renes Deus " [2].

131. 3° *Solv. diff.* Dicitur in Scripturâ (Ps. XXXI, 1-2) : 'Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum *tecta* sunt peccata, beatus vir, cui *non imputavit* peccatum " ; atqui hæc verba sunt ipsissima protestantium thesis ; ergo.

Resp. Plurimos textus supra attulimus qui peccata omnino tolli diserte asserunt; igitur textus hic ita intelligi debet, ut aliis Scripturæ testimoniis non contradicat. Hoc posito, verus sensus est hic : beati quorum peccata tecta sunt, non solum *oculis hominum*, sed etiam *oculis Dei:* jamvero peccata non possunt tegi oculis Dei, nisi realiter deleantur ; quæ quidem interpretatio *contextu* fundatur, nam declaratur in primo versiculo peccata esse vere remissa, "beati, quorum *remissæ* sunt iniquitates ", et in secundo nullum dolum, ac proinde nullum peccatum remanere in animâ justi : "beatus vir cui non imputavit peccatum, nec est in spiritu ejus dolus ". Quæ quidem interpretatio jam ab ipso *Augustino* prolata fuit (Enarr. 2a in h. ps. n. 12), ubi declarat vulnera corporis duobus modis tegi posse, ab ipso vulnerato et a medico : vulneratus tegit ea pallio, non tollit, medicus emplastro et tollit. Ita fit in peccatis : peccator tegit, quando dissimulat, Deus tegit quando infusione suæ gratiæ sanat et tollit.

132. *Thesis IIa :* **Justificatio non consistit in extrinsecâ imputatione meritorum Christi, sed in interiori renovatione seu in infusione gratiæ sanctificantis intrinsece animæ inhærentis.** *De fide est ex Trident.* (Sess. VI, can. 11) : " Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione,

[1] *Habacuc*, I, 13.

[2] *Ps.* VII, 10. — Quod adeo verum est ut nonnulli Protestantes, v. g. *Sanday* (op. cit. p. 37), mirentur christianam vitam in quâdam *fictione* incipi ; et sane prorsus mirum est viros, cæteroquin mente acutos, talem christianæ vitæ conceptum admittere posse !

exclusâ gratiâ et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantum favorem Dei, A. S."

133. 1° *Script.* (**A**) Ex textu S. Pauli : " Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi : ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi "[1]. Unde sic : ex Apostolo, eodem modo constituimur justi per Christum ac constituti sumus peccatores per Adamum ; atqui per Adamum vere et intrinsece constituti sumus peccatores, ut ex græcâ voce καταστα θήσονται et Protestantium confessione colligitur[2] ; ergo per Christum justi intrinsece constituimur, eo magis quia S. Paulus infra (20) addit gratiam, quâ justificamur, super delictum abundavisse.

(**B**) Item dicitur : " Salvos nos fecit per lavacrum *regenerationis*, et *renovationis* Spiritus sancti, quem effudit in nos... ut justificati *gratiâ* ipsius, *heredes* simus secundum spem vitæ æternæ "[3]. In illo textu justificatio exhibetur uti regeneratio et renovatio, imo ut effusio Spiritus sancti in nobis. Atqui regeneratio et renovatio internam communicationem alicujus vitæ spiritualis important ; sicut enim generatio est vitæ communicatio, ita regeneratio est novæ vitæ communicatio ; et sicut in vitâ naturali renovamur per virium additionem, ita in vitâ spirituali renovamur per internæ gratiæ incrementum ; aliunde effusio Spiritus sancti supponit talem communicationem nihil aliud esse nisi infusionem gratiæ sanctificantis ; et Apostolus addit : " justificati *gratiâ* ipsius ", ut ex hoc appareat nos per gratiam in cordibus nostris diffusam justificari ; quod confirmatur voce *heredes ;*

[1] *Rom.* V, 19.

[2] Hæc enim habet *D. Alford* (Greek Test.) in hunc locum : " Multi *facti* sunt peccatores non solum ut tales habiti, vel ut tales imputatione existentes. (Dicitur etiam) : multi *fient* justi non per simplicem imputationem sicut in superiori casu, sed *realiter et actualiter* fient justi, eodem modo quo primi realiter et actualiter facti sunt peccatores ". Idem argumentum nervose exponit *Newman*, Lect. V. on Justificat, 105-106; et postea addit non solum vocabulum *justum* de christianis prædicari in Scripturâ, sed etiam multoties rem ipsam, seu sanctitatem vere justificatis tribui. Quod probat ex *Hebr.* XIII, 21; 2 *Cor.* IV, 4; *Eph.* I, 4, 6; *Rom.* VIII, 27 (op. cit. p. 106-108).

[3] *Tit.* III, 5-7.

non possumus enim esse Dei heredes quin adoptemur in filios, nec adoptari in filios, nisi interius immutemur, quum antea Deo odibiles essemus.

(C) Tandem justificatio describitur uti actus, per quem *renovamur in statu primitivæ sanctitatis*, juxta illud : " Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitiâ, et sanctitate veritatis " [1]. Atqui status justitiæ primitivæ, juxta ipsos Protestantes, erat status interioris et intrinsecæ sanctitatis; ergo.

134. 2° *Ratione.* Deus non potest declarare justum illum qui revera intrinsece remanet injustus; hoc enim opponitur tum *veritati* tum *justitiæ* divinæ ; atqui, juxta Protestantes, peccator in justificatione declaratur justus ab ipso Deo : ergo fit intrinsece justus. Accedit quod verba Dei efficacia sunt et producunt quidquid significant : v. g. quando Deus dixit " fiat lux ", revera " facta est lux " [2] ; atqui Deus in justificatione declarat hominem justum esse ; ergo eo ipso eum justum vere facit ; secus ejus verbum esset inane [3].

135. 3° *Solv. diffic.* (A) Vocabulum "justifico, δικαιόω" neque apud profanos neque apud sacros auctores significat justum facere, sed tantum justum declarare; ergo per justificationem peccator non fit intrinsece justus, sed solum extrinsece, et per modum declarationis forensis [4].

Resp. Nego antecedens; nam licet hujusmodi vocabulum primario et etymologice idem sonet ac declarare justum, tamen secundario et ex adjunctis significat etiam *facere justum*, v. g. ubi dicitur [5] : "Qui justus est, *justificetur adhuc;* et sanctus, sanctificetur adhuc", ibi

---

[1] *Ephes.* IV, 23, sq. — [2] *Gen.* I, 3.

[3] Quod argumentum diserte evolvit *J. H. Newman* (op. cit. p. 78-84); pauca ex ejus verbis referre juvat : " Res miranda ! Altera theologiæ schola, de qua locuti sumus (lutherana scilicet), autumat Deum, cum nos justos appellat, significare nos non solum non fuisse, sed et numquam justos futuros. Incredibile sane, aliquid non esse eo quod Deus id esse dicat : solemne viventis ac infallibilis Dei testimonium aliud esse a re quam testatur; Deum nostræ obedientiæ obsequium accipiendo prohiberi quominus nostram obedientiam acceptabilem reddat, atque gloriam declarandi nos justos, in hoc sitam esse ut nos injustos relinquat". — Nec aliter *Sabatier*, op. cit. p. 321-22.

[4] Ita v. g. *Morison*, Critical expos. of Romans, 1866, p. 163 sq.; *Godet*, Comment. sur Romains, 1883, p. 337.

[5] *Apoc.* XXII, 11.

enim *justificari adhuc* unum significare potest, videlicet *justior fieri* non autem declarari, quum nova declaratio priori nil addat. Sed etiamsi daretur verbum hujusmodi nihil aliud significare nisi *declarare justum*, sane attendere debemus de quo hic agatur; jamvero quando Deus, qui est *omniscius*, *omnipotens* et infinite *verax* aliquem justum esse declarat, eo ipso eumdem justum facit; secus enim falleretur vel falleret, ex jam dictis.

136. (B) Multoties in S. Script. justificatio comparatur vesti, quâ induimur; v. g. "Induite novum hominem"[1]; "Exspoliantes vos veterem hominem et induentes novum"[2]. Atqui indumentum est aliquid extrinsecum. Ergo.

Resp. Justificatio comparatur vesti quoad *aliquid*, concedo; quoad *omnia*, nego. Siquidem illa comparatio adhibetur ad ostendendum sanctitatem nostram non ex nobis, seu ex ipsâ naturâ nostrâ oriri, sed ex meritis Christi, quæ nobis applicantur, non autem ad probandum justificationem nostram esse solum extrinsecam, ut clare ex contextu apparet: nam loco cit. (*Ephes.* IV, 23-32) declaratur nos renovari debere *in spiritu*, seu intrinsece, et omnes actus malos et vitia deponere debere, ut virtutes christianas amplectamur. Atqui hoc supponit internam et veram renovationem. Confirmatur alio loco S. Pauli ubi loquitur de corpore nostro: "Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem"[3]. Atqui vox "induere" hoc loco certe intelligenda est de intrinseco immortalitatis dono nobis collato. Ergo pariter textus superior "induite novum hominem" de intrinsecâ gratiâ nobis collatâ accipi potest; aliunde contextus id exigit.

137. (C) Iterum dicitur de Christo: "Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio"[4]. Atqui hæc verba significant justitiam Christi esse nobis imputatam. Ergo.

Resp. Nego minorem: nam, ut ex contextu et locis parallelis colligitur, sensus est Christum esse *causam meritoriam* et *efficientem* et veluti *fontem* justificationis nostræ, non autem extrinsece nobis suam sanctitatem imputare. Sic cum dicitur: Deus fortitudo nostra, illuminatio nostra etc.[5], sensus est Deum nostræ fortitudinis et illuminationis esse fontem, quippe qui fortes et illuminatos nos efficit.

138. (D) Justificatio condemnationi opponitur; atqui condemnatio non facit aliquem esse reum, sed solum declarat illum reum esse[6].

Resp. Condemnatio non facit quidem hominem esse reum, sed, ut justa sit, manifeste supponit eum reum esse. Quando igitur Deus declarat aliquem esse justum, vel supponit eum jam esse justum, vel eum justum facit.

---

[1] *Ephes.* IV, 24. — [2] *Coloss.* III, 9-10. — [3] *I Cor.* XV, 53.
[4] *I Cor.* I, 30. — [5] *Ps.* XVII, 2; XXVI, 1; LXX, 5.
[6] Ita *Hodge*, System. theol. vol. III, p. 121.

§ II. JUSTIFICATIONIS EFFECTUS FORMALES DESCRIBUNTUR.

Justificatio, ex jam dictis, essentialiter consistit non solum in peccati mortalis remissione, sed etiam in gratiæ infusione. Quæritur ergo quid sit gratia justificans. Antequam scholasticam ejus definitionem exponamus, præcipuos illius *formales*, seu *essentiales effectus* describere juvat, prout ex Scripturâ et Traditione nobis innotescunt : his enim expositis, facilius erit intimam gratiæ naturam investigare.

139. *Thesis Ia :* **Gratia sanctificans seu justificans nos reddit Deo gratos, ejusque amicos.** *Certum est* [1].

1° *Explicatur.* Esse Deo gratum nihil aliud est nisi ejus benevolentiâ frui, eique placere. Jamvero omnes creaturæ aliquo sensu Deo placent, propter naturales perfectiones quæ in ipsis sunt, sed Deus justificatos speciali prosequitur benevolentiâ, quia in ipsis non solum ut servis, sed ut *amicis* complacet. Amicitia autem tria importat : (a) amorem *benevolentiæ* quo volumus alicui bonum propter ipsum, non propter nos ; (b) amorem *mutuum*, nam redamatio est de essentiâ amicitiæ ; (c) *communicationem alicujus boni*, vi cujus quædam æqualitas aut saltem similitudo inter amicos existit, nam " amicitia pares accipit aut facit ", ait *S. Hieronymus* (in *Mich.* II, 7).

140. 2° *Probatur :* (A) *Script.* Christus enim de illo qui caritatem, ac proinde gratiam habitualem habet, dicit : " Si quis *diligit* me, sermonem meum servabit, et Pater meus *diliget* eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus "[2] ; hic agitur de amore *benevolentiæ*, nam agitur de illo amore quo quis voluntatem Dei facit ; hic etiam adest *mutua redamatio*, nam Pater diligit eos qui diligunt ipsum ; cum *communicatione bonorum*, nam Deus non potest ad nos venire, et in nobis manere quin sua bona nobis largiatur.

(B) *Tradit.*, sc. ex *Trid.* declarante : " Sic ergo justificati,

[1] Cf. *Suarez*, l. VII, c. 1 ; *Mazzella*, n. 1008 sq. ; *Hurter*, n. 201 sq. ; *Egger*, n. 384 ; *Scheeben*, The Glories of divine grace, l. II, c. 7. p. 146.
[2] *Joa.* XIV, 23.

et amici Dei ac domestici (i. e. familiares) facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur "[1].

(C) *Rat. theol.* Gratia justificationis tria præstat quæ, ex dictis, ad amicitiam requiruntur : (a) nam nunquam a *caritate* separatur, quâ diligimus Deum amore benevolentiæ; (b) *mutuum amorem* importat, nam si diligimus Deum, ipse nos diligit, juxta illud " Ego diligentes me diligo "[2]; et revera gratia, propter pulchritudinem supernaturalem quâ animam nostram adornat, nos reddit Deo amabiles; (c) in *communicatione alicujus boni* fundatur, sc. gratiæ in præsenti vitâ et gloriæ in futurâ : ergo justificatio Dei amicos nos reddit.

141. *Thesis II*[a] *:* **Gratia justificans filios Dei adoptivos ejusque heredes nos efficit.** *Certum est*[3].

1° *Explicatur.* Adoptio in genere est gratuita assumptio personæ extraneæ in filium, cum jure ad hereditatem. Adoptio autem divina *perfectior* est quam adoptio humana[4]; siquidem homines aliquem adoptant ex quâdam indigentiâ, quia propriis filiis carent, saltem beneplacitis; Deus autem *voluntarie* nos genuit, quum filium habeat perfectum ac beneplacitum. Præterea in humanis, adoptans in adoptatum specialem qualitatem, quâ fiat similis ipsi infundere nequit; Deus autem, nos adoptando, in animam nostram *specialem qualitatem* infundit, scilicet gratiam quâ ipsi similes reddimur; unde actus, quo adoptamur, spiritualis nativitas vocatur, seu regeneratio, quia talis actus aliquomodo veram generationem imitatur. Insuper, inter homines, filii adoptivi non participant hereditatem nisi post mortem patris, dum nos, *Patre* nostro cœlesti semper ac in æternum *vivente*, hereditatem divinam participamus.

---

[1] *Trident.* sess. VI, cap. 10; cfr. cap. 7. — [2] *Prov.* VIII, 17.

[3] Cf. *S. Thom.* 3, q. 23, a. 1; *Suarez*, l. cit. c. 2-4; *Mazzella*, n. 1011 sq.; *Hurter*, n. 213 sq.; *Scheeben*, op. cit. p. 118 sq.; *Terrien*, op. cit. t. I, p. 34-46.

[4] Ad rem *S. Thomas* (l. c.) : " Hoc autem plus habet adoptatio divina, quam humana; quia Deus hominem quem adoptat, *idoneum facit* per gratiæ munus ad hereditatem cœlestem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum quem adoptat; sed potius eum jam idoneum eligit adoptando ".

142. 2° *Probatur.* (A) *Script.* (a) Dicitur enim : " Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut *filii Dei* nominemur et simus "[1] ; " Non accepistis spiritum servitutis .., sed accepistis *spiritum adoptionis filiorum* "[2]. In præfatis textibus, thesis nostra aperte declaratur, sed deducitur etiam ex illis in quibus dicitur nos esse *ex Deo natos*, ab ipso *regeneratos*, v. g. " Omnis qui *natus est ex Deo*, peccatum non facit " [3]; ille enim qui ex Deo spiritualiter nascitur, eo ipso filius adoptionis est. (b) Quoad hereditatem divinam, S. Paulus ait [4] : " Si autem filii et heredes, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* ".

(B) *Tradit.* Ex Conc. *Trid.* declarante [5] per gratiam nos transferri " in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei ", et effici " heredes secundum spem vitæ æternæ ".

(C) *Rat. Theol.* Ad adoptionem duo requiruntur et sufficiunt : (a) similitudo inter adoptantem et adoptatum, (b) assumptio adoptati in familiam adoptantis cum jure ad hereditatem ; atqui gratia sanctificans illa duo nobis confert : (a) nobis dat quamdam similitudinem cum Deo, quum sit participatio divinæ naturæ, ex dicendis ; (b) insuper nos in Dei familiam introducit ; nam Deus, infundendo in animam justi divinæ vitæ participationem, eo ipso, nos specialiter generat, et in ordine spirituali Pater noster efficitur ; tandem gratia verum jus ad hereditatem divinam nobis confert ; nam, ut recte ait *S. Thomas*,[6], " homo consors factus divinæ naturæ adoptatur in filium Dei, cui debetur hereditas ex ipso jure adoptionis " ; ergo.— Quantâ autem sollicitudine, quanto amore Deus filios suos adoptivos foveat, ex his verbis patet : " Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui "[7]. Si vero filii Dei sumus, ejus sanctitatem ac dilectionem imitari debemus : " Estote ergo imitatores Dei, sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis "[8].

---

[1] *I Joa.* III, 1. — [2] *Rom.* VIII, 15-16. — [3] *I Joa.* III, 9.
[4] *Rom.* VIII, 17. — [5] Sess. VI, cap. 4 et 7. — [6] 2. 2æ, q. 114, a. 3.
[7] *Isa.* XLIX, 15. — [8] *Ephes.* V, 1-2.

143. *Thesis IIIa:* **Gratia justificans divinæ consortes naturæ nos efficit.** *Certum est* [1].

1° *Explicatur.* Illud consortium in speciali et supernaturali *assimilatione* cum Deo consistit. Omnes siquidem creaturæ, etiam irrationales, *vestigia* quædam divinarum perfectionum præ se ferunt, quia divinum esse aliquomodo imitantur; creaturæ intellectuales sunt veluti *imagines* Dei, quia vitam ejus intellectualem modo analogo participant; sed per gratiam divina *similitudo* animæ nostræ imprimitur vi cujus non quidem æquales, sed *similes* Deo reddimur, quippe qui apti efficimur ad Deum cognoscendum eodem modo, licet non eodem gradu, ac seipsum cognoscit, juxta illud [2]. "Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est". Utrum vero illud consortium sit physicum et formale, infra declarabitur.

144. 2° *Probat.* (A) *Script.*, in quâ thesis nostra totidem verbis exprimitur [3]: "Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini *divinæ consortes naturæ*". Confirmatur alio loco [4]: "Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam *semen ipsius* in eo manet"; ibi gratia dicitur *semen Dei*, seu semen divinitatis, ac proinde sicut semen virtualiter continet novam plantam priori similem, ita pariter gratia in se habet virtutem nos efficiendi Deo similes.

(B) *Rat. theol.* Ex dictis, per gratiam filii Dei adoptivi efficimur; atqui adoptio, quæ naturalem generationem, in quantum fieri potest, imitatur, aliquam similitudinem importat inter adoptatum et adoptantem; ergo Deus, nos in filios adoptando, aliquam similitudinem suî in animâ nostrâ imprimere debet.

145. 3° Hinc per gratiam anima supernaturali *pulchritudine* exornatur. Etenim gratia est quædam assimilatio cum Deo; atqui Deus est fons totius pulchritudinis; ergo. Quod sic optime declarat *S. Ambrosius* [5]: "Pictus es ergo,

---

[1] Cf. *S. Thom.* 2, q. 23, a. 3. *Jungmann*, de Gratiâ, n. 258; *Scheeben*, op. cit. p. 41 sq.

[2] *I Joa.* III, 2. — [3] *II Petr.* I, 4. — [4] *I Joa.* III, 9.

[5] In hexam. l. VI, c. 8, 47.

o homo, et pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed gratiâ". Aliunde pulchritudo est *splendor ordinis;* jamvero, vi gratiæ, ordo perfectus in animâ regnat : inferiores enim facultates voluntati subduntur, voluntas autem Deo; splendet etiam anima gratiâ ornata, quia fit veluti speculum divinæ naturæ. Res comparatione illustratur : "Quemadmodum purissimi crystalli globus lucet atque resplendet veluti sol, dum solis radii atque lux in eo colliguntur, ita et anima ornata gratiâ divino fulgore resplendet et deificatur"[1].

146. *Thesis IVa :* **Per gratiam sanctificantem justus efficitur templum Spiritus S. totiusque Trinitatis.** *Certum est*[2].

1° *Explicatur.* Ad intelligentiam hujus propositionis, sciendum est Deum esse ubique per præsentiam, operationem et essentiam, ac proinde in omnibus creaturis aliquomodo inhabitare; sed, præter illam communem præsentiam, est alia Dei inhabitatio in animâ justi, quæ est omnino specialis, et quæ consistit in eo quod Deus in animam veniat, et in eâ maneat, *per modum amici intime dilecti*, ut ejus præsentiâ et amicitiâ frui possit; tunc anima fit vere templum totius Trinitatis, quia est locus sanctus, in quo tres divinæ personæ inhabitant, ipsisque laudes ac sacrificia persolvuntur. Illa inhabitatio communis est tribus SS. Trinitatis personis, sed tamen speciali modo Spiritui Sancto appropriatur, quia, ut diximus in *Tr. de Trinitate*, opera sanctificationis, quæ tribus personis communia sunt, specialiter ei tribuuntur, cujus specialis missio est animas sanctificare.

147. 2° *Probatur.* (A) *Script.* (a) Constat imprimis Patrem et Filium in animâ justi inhabitare; Christus enim dixit : "Si quis diligit me,... et Pater meus diliget eum, et

[1] Ita *Jungmann*, de Grat. n. 258.

[2] Cfr. *S. Thomas*, I, q. 43, a. 5-6; *Suarez*, de Trinit. l. XII, c. 4 sq.; *Franzelin*, de Deo trino, th. 44; *Mazzella*, n. 1025 sq.; *Oberdoeffer*, De Inhabitatione Spiritus S.; *Terrien*, I, p. 216 sq.

ad eum *veniemus*, et *mansionem* apud eum faciemus "[1]. (b) Constat insuper Spiritum Sanctum inhabitare pariter in animabus justorum : " An nescitis quoniam membra vestra *templum* sunt Spiritus Sancti qui in vobis est "[2]? " Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis "[3]?

(B) *Rat. Theol.* Ex dictis, gratia sanctificans constituit veram amicitiam inter Deum et hominem; atqui, amicitia tendit ad unionem, et amicorum non solum moralem, sed etiam, in quantum fieri potest, physicam præsentiam postulat; ergo gratia sanctificans unionem intimam animæ nostræ cum Deo, ejusque præsentiam in nobis postulat. Hinc Christus, in ultimâ Cœnâ, a Patre postulat ut ejus discipuli non solum sint unum inter se, sed etiam unum in Patre et Filio, " ut et ipsi in nobis unum sint "[4].

148. Addunt insuper quidam theologi Spiritum sanctum non solum in animâ justi inhabitare cum duabus aliis personis, sed speciali modo eidem conjungi, non quidem per unionem hypostaticam, sed eodem fere modo ac corpus Christi corpori nostro in sacrâ communione unitur. Ita *Petavius*, *Scheeben*[5], aliique pauci præsertim inter modernos. Quod probare conantur ex iis locis in quibus illa inhabitatio speciatim Spiritui sancto tribuitur, vel præsertim ex iis in quibus missio Spiritûs describitur, v. g. " Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum "[6]. Ibi enim est antithesis inter Christum et Spiritum sanctum : " Christus fuit prior Paracletus, Spiritus est posterior, et sicut prior personaliter nobis datus est, ita et posterior". Hæc sententia non omni probabilitate caret, admittique potest ut pia opinio, dummodo tamen simul teneatur unionem illam non esse sub-

[1] *Joa.* XIV, 23. — [2] *I Cor.* VI, 19. — [3] *I Cor.* III, 16.
[4] *Joa.* XVII, 21.
[5] *Petav.* de Trin. VIII, 6; *Scheeben*, Mysterien des Christenthums § 28-30. Argumenta præcipua in gratiam hujus opinionis refert confutatque *Oberdoeffer*, op. cit., c. 3 et 5. Cf. *R. P. Froget*, De l'habitation du St-Esprit dans les âmes justes, ap. *Revue Thomiste*, 15 juil. 1896 etc.
[6] *Joa.* XIV, 16.

stantialem, sed accidentalem. Contraria tamen opinio communior est, quia textus allati melius intelliguntur de inhabitatione tribus divinis personis communi, quæ Spiritui *appropriatur* propter rationem superius datam.

§ III. Scholastica definitio gratiæ justificantis [1].

Expositis tum naturâ, tum formalibus gratiæ justificantis effectibus, jam ejus *essentiam* ntimius investigare licet; hic agitur tantum de gratiâ *creatâ* (supra, n. 6), non autem de gratiâ *increatâ*, seu de Spiritu S. quatenus animam justi inhabitat.

I. Definitio traditur et explicatur.

149. Gratia habitualis seu justificans potest definiri : *qualitas supernaturalis, intrinsece et permanenter animæ inhærens, per quam divinæ efficimur participes naturæ.*

Dicitur 1° *qualitas*, ac proinde non substantia, neque actus, sed *accidens* quoddam creatum et finitum, quod ad genus *habituum* pertinet, et animam perficit directe in ordine ad *esse*, indirecte in ordine ad operationem; dicitur *creatum in sensu lato*, i. e. productum; nam creatum proprie de solis substantiis dicitur. Quod quidem asseritur contra quosdam theologos, ut *Petrum Lombardum*, qui olim contenderunt gratiam nihil aliud esse nisi personam Spiritus Sancti, inhabitantem in nobis; illud autem non potest admitti, quia præter præsentiam Spiritûs S., gratia aliquid ponit in animâ, quamdam scilicet qualitatem.

150. 2° *Supernaturalis*, et quidem absolute et simpliciter supernaturalis, ut sic distinguatur a qualitatibus naturalibus aut etiam a donis præternaturalibus (*De Deo Creante* 164 sq.); proinde etiam est qualitas *divinitus infusa*, quia solus Deus nobis communicare potest qualitatem entitative supernaturalem.

151. 3° *Intrinsece inhærens;* quæ quidem verba contra Protestantes diriguntur, qui contendunt gratiam habitualem esse extrinsecam imputationem sanctitatis Christi; juxta

[1] Cfr. *S. Thomas*, 1. 2. q. 110; *Suarez*, de Gratiâ. l. VI, c. 1, 2, 11-13; *Salmant.* disp. IV, dub. 1, 3-5; *Billuart*, disp. IV, a. 1-4; *Mazzella*, n. 955 sq.; *Terrien*, op. cit. t. I, p. 75.136.

doctrinam catholicam, gratia est qualitas divinitus infusa, quæ substantiam animæ nostræ vere adornat, eique inhæret, ut supra probatum est (n. 132 sq.).

152. 4° *Permanenter :* per illud verbum gratia habitualis a gratiâ *actuali* distinguitur; gratia enim actualis est transitoria, dum gratia habitualis est ex naturâ suâ permanens, sicut habitus, eo sensu quod in animâ nostrâ manet donec per peccatum mortale expellatur.

153. 5° Per quam efficimur *participes divinæ naturæ.* In hoc præcise consistit vera gratiæ essentia, ac proinde illud est sedulo explicandum. Participatio divinæ naturæ, quæ per gratiam obtinetur, (**A**) non est *substantialis*, sed *accidentalis* tantum; id est divina natura non communicatur nobis *substantialiter*, sicut communicatur Verbo per veram et propriam generationem, aut *personaliter*, sicut fit in Incarnatione; nam si participatio esset substantialis, vere dii essemus. Est autem *accidentalis*[1], eo sensu quod divina qualitas et similitudo in animâ nostrâ imprimitur, quod potest explicari comparatione : sicut ferrum in fornacem projectum, ita pervaditur ab igne ut fiat non quidem ignis substantialiter, sed simile igni, igneum, igniforme, pariter anima nostra ita per gratiam Deo unitur et ab ipso penetratur ut ejus substantia non fiat quidem Deus substantialiter, sed similis Deo, deiformis, deifica. Hinc Patres animam gratiâ exornatam comparant *ceræ* sigillo regio ornatæ, *crystallo* radiis solaribus illustrato, vel *speculo* nitidissimo in quo divina essentia elucet[2].

---

[1] Ad rem *S. Thomas* (1ª 2æ. q. 110, a. 2 ad 2) : " Et quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse quod sit substantia aut forma substantialis; sed est forma accidentalis ipsius animæ. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in animâ participante divinam bonitatem, ut de scientiâ patet ".

[2] *S. Bonaventura* (II, dist. 26, a. 1, q. 2) gratiam comparat lumini, quod a sole egreditur et aerem pervadit : " Unde et Scriptura vocat Deum, sive Christum, solem justitiæ; quia sicut ab isto sole materiali influitur lumen corporale in aere per quod aer formaliter illuminatur, sic a sole spirituali, qui Deus est, influitur lumen spirituale in animam, a quo anima formaliter illuminatur, et reformatur, et gratificatur, et vivificatur ". — Cf. *Scheeben.* Glories of divine grace, pp. 44, 66 et alibi passim.

154. (B) Illa participatio non est *moralis* tantum, sed *physica; moralis* esset tantum, si anima nostra Deo esset conformis et similis solummodo per imitationem ejus perfectionum: quo sensu omnes imitatores Abrahæ ejus vitæ moraliter participes sunt; *physica* est, si vere nobis communicatur realis perfectio nos reddens Deo similes. Jamvero res ita se habet; nam, ut probabimus, gratia habitualis est qualitas realis, nostram naturam ad ordinem superiorem elevans, eique communicans novum gradum vitæ intellectualis; describitur ut nova *generatio*, nova *nativitas*, ut *semen* Dei; atqui hæc omnia aliquid physicum redolent. Comparatione res illustrari potest; si alicui arbori inseratur ramus melioris speciei, prior fit physice particeps vitæ quæ erat in posteriori; adest novus succus, adsunt nova folia, novi melioresque fructus; ita fit in animâ nostrâ per gratiam, quæ est divina qualitas animæ nostræ inserta, ad ordinem divinum nos elevans, nosque efficiens physice participes vitæ divinæ.

155. (C) Proinde illa participatio non est solum *virtualis*, sed *formalis; virtualis* est, quando res participata invenitur in participante modo diverso ac in exemplari, sic ratio humana est solum participatio virtualis intelligentiæ Dei, quia est modus cognoscendi diversus ab eo qui in Deo existit; *formalis* est, quando res participata est in participante eodem modo ac in exemplari, licet gradu diverso. Jamvero gratia est participatio formalis naturæ divinæ, quia nos aptos efficit ad Deum cognoscendum *eodem modo*, licet *non eodem gradu*, ac Deus seipsum cognoscit. Ad hoc intelligendum sciendum est triplicem esse gradum vitæ intellectualis: (a) vitam *rationalem*, quæ est homini propria, et per quam nonnisi *deductive* cognoscimus res immateriales; (b) vitam *angelicam*, angelis propriam, per quam res cognoscuntur ope idearum infusarum: (c) tandem vitam *divinam*, Deo propriam, per quam Deus seipsum et omnia alia videt *directe et immediate*, seu facie ad faciem. Jamvero homo per gratiam sanctificantem ita elevatur, ut *remote* saltem fiat aptus ad videndum Deum facie ad faciem: dicitur *remote*, quia dum in viâ peregrinamur, Deum adhuc non videmus, sed jam apti efficimur ad eum videndum, quum gratia sit *se-*

men gloriæ, ac virtualiter eam contineat, sicut semen arborem jam continet. Per gratiam igitur homo fit physice et formaliter particeps naturæ et vitæ divinæ, quum habilis fiat ad cognoscendum Deum sicut Deus seipsum cognoscit.

156. (D) Attamen illa participatio est *analoga tantum* et *inadæquata*, quia justis non communicatur eadem identice vita quæ in Deo est, sed solum vita similis et analoga; item non communicatur eodem gradu ac in Deo est, sed gradu finito, capacitati creaturæ proportionato, et sic vitatur Pantheismus.

II. Definitio probatur.

Jam demonstratum est gratiam habitualem esse quid supernaturale (*De Deo Creante*, n. 164), intrinsece inhærens animæ (*supra*, n. 132); remanet igitur ut probemus eamdem esse donum *creatum*, ex se *permanens*, in consortio *physico et formali* divinæ naturæ consistens.

157. 1ª *Thesis:* **Gratia justificans non est donum increatum, seu ipsa Spiritus S. persona, sed donum creatum in cordibus nostris ab ipso diffusum.** Ita communiter contra *P. Lombardum.*

(A) *Scriptura* enim inter Spiritum S. et gratiam distinguit sicut inter causam et effectum, seu inter diffundentem et diffusum: "Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S."[1]; atqui causa ab effectu, diffundens a diffuso realiter distinguitur; ergo.

(B) *Trident.* (sess. VI, cap. 7) declarat unicam formalem causam justificationis nostræ esse justitiam Dei "non quâ ipse justus est, sed quâ justos nos facit", justitiam (seu gratiam) in nobis recipi secundum mensuram "quam Spiritus S. partitur singulis prout vult", eamdem gratiam nobis inhærere, et in nobis augeri (can. 24); atqui hæc omnia intelligi possunt de dono creato, non autem de ipsâ personâ Spiritus S.; nam Spiritus est ipsa justitia quâ Deus justus est, non potest seipsum justis mensurate partiri, nec in nobis proprie inhærere aut augeri; ergo.

[1] *Rom.* V, 5.

158. 2ª *Thesis :* **Gratia sanctificans est qualitas physica et permanens, ab animâ et ejus potentiis realiter distincta, per modum habitus animæ inhærens.** Ita communiter.

(A) *Script.* Gratia dicitur " semen Dei, quod in nobis manet[1], pignus hereditatis..., signum quo signantur credentes "[2]; " regeneratio et renovatio "[3], vi cujus transformamur " in imaginem Dei "[4]; atqui hæc omnia non congruunt nisi qualitati ex se stabili, quæ superadditur animæ nostræ ejusque facultatibus, ibique manet, donec per aliquid contrarium expellatur : non autem conveniunt actibus ex se transeuntibus vel ipsis animæ potentiis; ergo.

(B) Juxta *Trident.* (sess. VII, can. 7) gratia etiam parvulis infunditur, et consistit non in solâ peccatorum remissione aut Christi justitiæ imputatione (supra, 132), sed in interiori renovatione quâ homo vere justus efficitur, et quæ animæ inhæret; atqui gratia hujusmodi nequit consistere in actibus, cujus parvuli sunt incapaces, et qui non possunt dici inhærere; ergo consistit in qualitate ex se permanente.

159. 3ª *Thesis :* **Gratia habitualis essentialiter consistit in participatione physicâ et formali, sed tamen accidentali et inadæquatâ naturæ divinæ.** Ita communiter.

(A) *Script.* (a) Dicitur enim de *gloriâ :* " Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est "[5]; "Videmus nunc per speculum, in ænigmate, tunc autem facie ad faciem "[6]. Unde sic : Ille vere, physice et formaliter naturam Dei participat, qui fit habilis ad videndum Deum facie ad faciem, sicut seipsum videt; sic enim ejus vitam intellectualem participat; atqui, ex textibus allatis, homo per gloriam, fit vere habilis ad videndum Deum intuitive, facie ad faciem; ergo gloria est participatio physica et formalis naturæ divinæ. Sed gratia habitualis est ejusdem naturæ ac gloria, cum sit medium ad illam attingendam; ergo.

(b) Insuper S. Petrus aperte declarat per *gratiam* nos fieri participes naturæ divinæ : " Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini *divinæ con-*

[1] *I Joa.* III, 9. — [2] *Ephes.* I, 14; IV, 30. — [3] *Tit.* III, 5.
[4] *II Cor.* III, 18. — [5] *I Joa.* III, 2. — [6] *I Cor.* XIII, 12.

sortes naturæ"[1]; atqui hæc verba intelligenda sunt de participatione physicâ et formali, ut constat ex Patrum communi interpretatione, et ex voce græcâ κοινωνοί, quæ in aliis Scripturæ locis manifeste significat physicam et formalem participationem, v. g. apud *I Cor.* X, 16, ubi dicitur : "panis quem frangimus, nonne participatio (græce κοινωνία) corporis Domini est"?

(c) Tandem, juxta Christum, Deo conjungimur per gratiam sicut palmites viti uniuntur :[2] "Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum"; atqui palmites recipiunt participationem physicam et formalem succorum qui in ipsâ vite sunt; ergo per gratiam physice et formaliter participamus vitam Dei, licet tamen inadæquate.

160. (B) *Trad.* (a) *S. Cyrillus Alexandrinus*, de modo quo Spiritus S. nos sanctificat per gratiam disserens, hæc habet : "Transformans in seipsum quodammodo hominum animas, divinam eis similitudinem imprimit, et supremæ omnium substantiæ effigiem insculpit" (in Joa. lib. XII); quibus verbis infertur nos per gratiam transformari, et fieri physice similes Deo, seu divinæ consortes naturæ.

(b) Idem constat ex precibus Ecclesiæ, præsertim ex verbis, quæ recitat sacerdos, dum aquam in calicem infundit : "da nobis per hujus aquæ et vini mysterium ejus *divinitatis esse consortes*, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps"; atqui Christus vere et physice fuit nostræ humanitatis particeps; ergo postulamus ut et nos physice ejus divinæ naturæ efficiamur participes.

III. Corollaria.

161. 1° *Gratia habitualis, cum virtutibus infusis quæ eam comitantur, et gratiis actualibus quibus servatur et augetur, novam vitam, seu vitam supernaturalem constituit.* Etenim ad vitam tria requiruntur et sufficiunt : principium vitale, facultates operativæ et actus vitales; atqui hæc tria invenire est in infusione gratiæ habitualis; siquidem (a) *gratia habitualis* est veluti novum *principium vitale*,

[1] *II Petr.* I, 4.— Ad fusiorem hujus textus expositionem vide *Corluy*, op. cit. vol. II, p. 319 sq.

[2] *Joa.* XV, 1-10. Cf. *Corluy*, op. cit. p. 301.

nos elevans ad novum gradum vitæ intellectualis, qui vitam nostram rationalem longe excedit, et est participatio ipsius vitæ intellectualis Dei; (b) *virtutes infusæ*, quæ gratiam habitualem comitantur (*infra*, n. 174), sunt veluti *novæ facultates*, quibus potentiæ naturaliter nobis insitæ perficiuntur et elevantur ita ut actus supernaturales, actus deiformes elicere valeant; (c) tandem *gratiæ actuales*, quæ justis conceduntur, nos excitant et adjuvant ut de facto *actus supernaturales* et meritorios eliciamus. Merito igitur cum S. Leone concludere possumus : "Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis et cujus corporis sis membrum. Reminiscere quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei lumen et regnum"(Serm. XXI, *M.* LIV, 192).

Hæc cum pio theologo addamus : "Cum ergo te caro sollicitat, cum te mundus pertentat, cum te dæmon invadit, responde : Filius Dei sum, æterno regno natus, paradisi candidatus, et a præcelsis filiorum Dei cogitationibus, sanctoque ambitu noli degenerare. Justificatus acceptam gratiam serva, peccator ad illam totis viribus enitere, lacrymis suspira, precibus contende"[1].

162. 2° *Controvertitur* inter Theologos utrum gratia habitualis, quam supra descripsimus, sit *realiter* distincta a virtute caritatis. Juxta *Scotistas*[2], non datur distinctio realis inter utramque, quia Scriptura sacra eosdem effectus assignat gratiæ et caritati; atqui habitus producentes eosdem effectus non distinguuntur realiter ab invicem; ergo.

Juxta *Thomistas*[3], et plerosque alios theologos omnium scholarum, gratia realiter differt a caritate, quia gratia est habitus *entitativus*, perficiens ipsam essentiam animæ, dum caritas est habitus *operativus*, perficiens unam ex facultatibus animæ, scilicet voluntatem. (a) *Scriptura* enim sedulo distinguit gratiam a caritate; et de illis loquitur tanquam de rebus distinctis, v. g. "Gratia Domini nostri J. Christi, et caritas Dei, et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis"[4]. Item : "Caritas diffusa est in cordibus vestris per *Spiritum* S., qui datus est vobis"[5]. Jamvero in illis textibus distingui videtur caritas tum a gratiâ, tum a Spiritu S. inhabitante in nobis per gratiam; ergo caritas et gratia realiter distinguuntur. (b) *Tridentinum* pariter[6] distinguit gratiam et caritatem tanquam res diversas, et, quamvis nihil hac de re definiat, verba adhibet, quæ Thomistarum sententiæ magis favent : "exclusâ *gratiâ* et *ca-*

[1] *Contenson*, Theol., de Deo primo motore, diss. IV, c. I, spec. 3 reflex.

[2] Cfr. *Scotus*, in 2. dist. 26 q. unica; *Bellarminus*, de Gratiâ, l. I, c. 6.

[3] Cfr. *S. Thomas*, 1. 2. q. 110, a. 3-4; *Suarez*, l. VI, c. 12; *Salmant.* disp. IV, n. 177 sq.; *Billuart*, diss. IV, a. 4; *Terrien*, op. cit., 171 sq.

[4] *II Cor.* XIII, 13. — [5] *Rom.* V, 5. — [6] Sess. VI, can. 11.

ritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat ".

(c) *Rat. theol.* Illud quod residet in essentiâ animæ et est habitus entitativus, non potest esse idem ac illud, quod residet in unâ ex facultatibus et est habitus operativus; atqui caritas residet tantum in voluntate, dum gratia sanctificans residet in essentiâ animæ, cui inhæret, et quam pervadit et deificat; sicut enim intellectus deificatur per virtutem fidei, et voluntas per caritatem, ita pariter decet ut ipsa essentia animæ divinam similitudinem participet per gratiam habitualem. Aliunde gratia est habitus entitativus, seu principium essendi supernaturaliter, dum caritas est habitus operativus ad actionem tendens; ergo. Nec valet ratio a Scotistis allata. Nam, quum gratia et caritas sint inseparabiliter unitæ, mirum non est in S. Scripturâ eosdem fere effectus utrique tribui : hoc probat caritatem simul cum gratiâ existere, non autem esse quid unum et idem cum eâ.

163. 3° *Gratia habitualis ita mortali peccato opponitur ut cum eo in eodem subjecto subsistere nequeat*[1].

Hoc quidem certum est et ab omnibus catholicis admittitur, quum manifeste sequatur ex thesi superius (n. 128 sq.) demonstratâ de naturâ justificationis. Sed controvertitur inter theologos utrum hæc incompossibilitas inter gratiam et peccatum sit absoluta vel non, et ex quo fonte oriatur. Juxta *Scotistas*, hæc repugnantia non existit ex naturâ rei, sed solum ex favore Dei gratuito; juxta *Suarez*, hæc non ex institutione Dei, sed ex intrinsecâ gratiæ ac peccati naturâ fluit, ita ut peccatum mortale et gratia sine miraculo simul in eodem subjecto existere nequeant; *Thomistæ* tandem contendunt illam repugnantiam tam essentialem esse ut gratia et peccatum mortale non possint etiam *divinitus* in eâdem animâ simul sociari.

Quam ultimam sententiam ut multo probabiliorem amplectimur.

(a) Teste enim *Scripturâ*, gratia et peccatum opponuntur ut *vita* et *mors*, *lux* et *tenebræ*, *justitia* et *iniquitas*, *Christus* et *Belial*, *Deus* et *idola* : " Et vos cum *mortui* essetis in delictis... *convivificavit* cum illo "[2]; " Nos scimus quoniam translati sumus de *morte* ad *vitam* "[3]; " Quæ est enim participatio *justitiæ* cum *iniquitate?* Aut quæ societas *luci* ad *tenebras?* Quæ autem conventio *Christi* ad *Belial*...? Qui autem consensus templo Dei cum idolis "[4]? Porro inter hæc omnia est repugnantia essentialis ex ipsâ naturâ rei, ita ut nec etiam divinitus conciliari possint, quum sese mutuo destruant. Ergo idem dicendum est de gratiâ et peccato mortali.

(b) Aliunde formæ quæ habent effectus formales essentialiter oppositos, non possunt etiam miraculose simul in eodem subjecto so-

[1] *S. Thom.* I. 2æ, q. 113, a. 1-2; *Suarez*, l. VII, cap. 20; *Mazzella*, n. 973 sq.; *Tepe*, n. 297-316.

[2] *Coloss.* II, 13. — [3] *I Joa.* III, 14. — [4] *II Cor.* VI, 14-16.

ciari; atqui ita est de gratiâ et peccato mortali; nam gratia, ex dictis, nos reddit Deo acceptos, ejus filios adoptivos ac vitæ æternæ heredes, necnon divinæ vitæ participes; dum peccatum mortale nos facit Deo odibiles, servos diaboli, ac æternæ damnationis reos; ergo nec etiam possunt simul in eodem subjecto subsistere.

Art. III. De proprietatibus justificationis[1].

164. Hâc de re Novatores tripliciter errant : 1° *Lutherani* et *Calvinistæ* asserunt hominem esse certum *certitudine fidei* se esse justificatum : quum enim sola fides seu potius fiducia ad justificationem sufficiat, et homo sit conscius illius fidei, potest et debet credere se esse justificatum; nisi hanc fiduciam habeat, justificari nequit. Hinc legitur in Apologiâ Augustanæ Confessionis ; " Nos præter illam fidem (fidem generalem) requirimus ut credat sibi quisque remitti peccata "[2]. 2° Iidem hæretici tenent gratiam justificantem esse in omnibus æqualem, nec illam gratiam crescere, quum nihil aliud sit nisi justitia Christi nobis imputata : " Omnes Christiani, ait *Lutherus*[3], æque magni sumus sicut Mater Dei, et æque sancti sicut ipsa ". 3° Tandem *Calvinistæ* dicunt fidem et gratiam semel vere acceptas non posse amitti, quia Deus, juxta ipsos, solos electos regenerat : " Solos electos, inquit *Calvinus*[4], semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nusquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum ". Lutherani autem affirmant per solam fidei seu fiduciæ amissionem justitiam amitti posse. Contra illos errores, *incertitudinem*, *inæqualitatem*, et *amissibilitatem* justificationis seu gratiæ demonstrabimus.

165. *1ª Thesis :* **Nemo potest esse certus certitudine fidei se esse justificatum, absque speciali revelatione.** *Certum est ex Trident. :* " Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum " (Sess. VI, cap. 9; can. 13, 14).

---

[1] *Bellarminus*, de Justific. l. III ex integro; *Suarez*, l. XIX, c. 1; l. X, c. 1; l. XI, c. 1-4; *Murray*, de Gratiâ, disp. XI; *Jungmann*, de Gratiâ, n. 303 sq.; *Mazzella*, n. 1092 sq.; *Tepe*, n. 424 sq.

[2] Apud *Hodge*, Systematic theol. vol. III, p. 101.

[3] Serm. de Nativ. B. M. V. — [4] Instit. l. III, c. 2, 11.

1° *Dicitur :* (A) *Certus certitudine fidei*, nam si agatur de certitudine naturali, communiter docent theologi justos posse scire *conjecturaliter*, et cum morali certitudine late sumptâ, se esse in statu gratiæ; imo dantur signa, quibus cognoscere possumus utrum simus in statu gratiæ; præcipua sunt : (a) *testimonium conscientiæ*, quando quis scilicet nullius peccati mortalis conscius est; (b) item *amor sincerus erga Deum*, fervor in oratione, propositum vitandi peccatum, zelus ad convertendum animas; hæc enim omnia caritatem ac proinde gratiam habitualem supponunt; (c) tandem contemptus rerum mundanarum, et praxis mortificationis, nam " qui .. sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis " [1].

(B) Sine *speciali revelatione;* nam aliquando Deus revelare potest aliquibus ipsos esse justificatos; ut contigit B. Virgini, quando gratiâ plena ab Angelo salutata fuit; item paralytico et mulieri peccatrici, quibus Christus dixit : Remittuntur tibi peccata tua.

166. 2° *Probatur* (A) *Script.* (a) Dicitur enim in libro *Prov.* [2] : " Quis potest dicere : mundum est cor meum "? Quæ quidem verba ostendunt nullum posse affirmare cum certitudine se esse mundum, seu in statu gratiæ. Citatur etiam generatim textus *Ecclesiastæ* [3] : " Nescit homo utrum amore an odio dignus sit "; nec tamen illo utimur, quia in hebraico codice sensus alius esse videtur ab eo qui in Vulgatâ invenitur. (b) *S. Paulus* de se ipso dicit : " Nihil .. mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum " [4] ; cujus sensus est : quamvis bonam conscientiam habeam, tamen de mea justificatione certus non sum, quia solus Deus hoc judicare et scire potest et addit : " Qui autem judicat me Dominus est; itaque nolite ante tempus judicare ". Jamvero si Paulus de suâ justificatione dubitare poterat, quis mortalium poterit esse certus se esse justificatum?

(B) *Rat. theol.* Ut aliquis de suâ justificatione certus esse

[1] *Galat.* V, 24. — [2] *Prov.* XX, 9; cf. *Job.* IX, 20-21.

[3] *Eccles.* IX, 1. — Sensus hujus textus est, non posse judicari ex hujus vitæ bonis ac malis utrum quis a Deo ametur vel non, eo quod hæc æque eveniant justo ac impio.

[4] *I Cor.* IV, 4.

posset, cum certitudine cognoscere deberet se adimplevisse omnes conditiones ad justificationem requisitas, aut experiri in se præsentiam gratiæ sanctificantis ; atqui neutrum cum absolutâ certitudine cognosci valet, nam (a) omnino difficile est aliquem scire se illas conditiones adimplevisse, cum Protestantes ipsi fateantur non omnem fidem justificare, sed veram fidem, et multos esse qui putent se veram habere fidem, dum illâ revera carent ; (b) aliunde gratia, cum sit res omnino *supernaturalis* et *abscondita*, non cadit directe sub testimonio conscientiæ, nec proinde cum certitudine percipi potest : spiritualis autem dulcedo, aut pax animi, aliaque hujusmodi, quæ in justis communiter reperiuntur, sunt signa nimis incerta ut ex eis cognosci possit cum absolutâ certitudine aliquem esse in statu gratiæ.

167. (C) *Solv. diff.* Obj. Protestantes : (a) "Ipse enim Spiritus *testimonium reddit* spiritui nostro quod sumus filii Dei"[1]. *Resp.* S. Paulus hic *hypothetice* loquitur, ut ex contextu colligitur, et sensus est : quando in statu gratiæ versamur et clamamus "Abba, Pater", tunc Spiritus sanctus simul cum nobis clamat, et sic una nobiscum testatur nos esse filios Dei. Sed difficile admodum est scire quandonam in statu gratiæ versemur, et excepto revelationis casu, testimonium conscientiæ vel Spiritus incertum manet.
(b) Apostolus alibi[2] aperte declarat se non posse separari a caritate Christi ac cum firmâ certitudine exspectare coronam justitiæ sibi paratam ; ergo. *Resp.* In priori textu S. Paulus pariter *hypothetice* loquitur, declarans neque mortem neque vitam etc. posse justos separare a caritate, sed non dicit se esse certo justum; in posteriori, exspectat quidem *confidenter* æternam retributionem, quia, in quantum judicare potest, bonum certamen certavit, sed minime asserit hoc esse objectum fidei. Imo alibi[3] addit : "Castigo corpus meum... *ne forte*, cum aliis prædicaverim, *ipse reprobus efficiar*". Si quis autem contendat Apostolum certum fuisse certitudine fidei de propriâ salute, concedere debet ipsi concessam fuisse specialem revelationem, quæ communiter fidelibus non datur, quum, teste Paulo[4], *cum metu et tremore* suam salutem operari debeant.

168. 3° *Corollarium.* Erravit igitur *Catharinus* asserendo propriam justificationem cognosci posse cum certitudine conclusionis theologicæ ; nam, licet de fide sit Deum justificare illos omnes qui proprias dispositiones habent, mi-

[1] *Rom.* VIII, 16. — [2] *Rom.* VIII, 38; *II Tim.* IV, 8.
[3] *I Cor.* IX, 27. — [4] *Philipp.* II, 12.

nime certum evadit hunc vel illum hominem certo omnes illas dispositiones in se habere. Jamvero ex dictis in *Tr. de Fide* conclusio theologica ea est quæ ex præmissâ revelatâ et ex aliâ propositione certâ deducitur.

169. *2ª Thesis :* **Gratia justificationis non est in omnibus æqualis, sed est inæqualis in diversis justis, et in eodem justo crescere potest.** *De fide est ex Trident.* dicente : (**a**) " Justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. (**b**) Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri ... per bona opera, A. S." (Sess. VI, Cap. 7; Can. 24).

1° *Script.* (**a**) S. Paulus declarat gratiam nobis donari secundum mensuram quæ pendet a voluntate Christi : " Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi " [1] ; atqui quod datur mensurate, secundum liberam Christi voluntatem, non datur semper et necessario in mensurâ æquali. (**b**) Christus declarat gratiam justificationis proportionari dispositionibus subjecti : " Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum " [2] : atqui non semper æquales sunt subjecti dispositiones ; ergo. (**c**) Pariter expresse declaratur justum in justitiâ semel acceptâ crescere posse : " Qui justus est justificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc " [3]. Frustra igitur Protestantes inter justificationem et sanctificationem distinguunt; nam in præfato textu utrumque commemoratur ut incrementi capax.

2° *Rat. theol.* Valde *convenit* ut in societate spirituali varietas adsit, sicut in ipsâ societate civili ; atqui ad illam varietatem requiritur ut gratia justificans non omnibus æqualiter detur, sed secundum Dei liberam voluntatem, qui bona sua distribuere potest, prout vult, et recipientis dispositiones dispensetur, ut sic ad melius agendum moveatur ; ergo. (Cf. *S. Th.* 1. 2. q. 112, a. 4).

---

[1] *Ephes.* IV, 7; cf. *Matt.* XXV, 15-20, ubi hæc doctrina comparatione talentorum declaratur.

[2] *Luc.* VII, 47. — [3] *Apoc.* XXII, 11; cf. *Prov.* IV, 18; *II Petr.* III, 18.

170. *3ª Thesis :* **Gratia justificationis est amissibilis, et de facto amittitur per quodlibet peccatum mortale.**

171. 1º *Script.* (**A**) Hoc aperte declaratur in quibusdam textibus, v. g. "Justus non poterit vivere in justitiâ suâ in quacumque die peccaverit"[1]; ex quo duo colliguntur, justum peccare posse, et per peccatum justitiam, seu gratiam amitti.

(**B**) Idem deducitur ex textibus in quibus admonemur ne a statu gratiæ excidamus : "Qui se existimat stare, videat ne cadat"[2]; "Vigilate et orate ut non intretis in tentationem"[3]; "Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet"[4]; nam illæ admonitiones omnino vanæ essent, si gratiam semel acceptam amittere non possemus. Ergo.

(**C**) Confirmatur exemplis Davidis, Salomonis, S. Petri, aliorumque, qui, post habitam justificationem, illam amiserunt ; unde ait S. Paulus[5] : "Quidam circa fidem naufragaverunt" ; ex quo constat quosdam veram fidem habere, eamdemque postea amittere posse.

2º *Trad.* "Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse ; neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, ... A. S." (*Trident.* loco cit. can. 23, 27).

172. 3º *Rat.* Ex dictis circa naturam gratiæ sanctificantis, constat illam in animâ simul cum peccato mortali coexistere non posse; nam gratia habitualis necessario importat secum caritatem, seu amorem Dei, et ex adverso peccatum mortale est aversio a Deo; atqui quamdiu in vitâ manemus, mortaliter peccare possumus, ut exemplis supra allatis, et lugendâ experientiâ constat; ergo justificationis gratiam amittere possumus. Quod optime *S. Th.* (2. 2. q. 24, a. 12) comparationis ope declarat : "Caritas, quum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione caritatis, sicut sol in illuminatione aeris... Et ideo sicut lumen statim cessaret esse in aere per hoc quod aliquod obstaculum poneretur illu-

[1] *Ezech.* XXXIII, 12-13. — [2] *I Cor.*, X, 12. — [3] *Matt.* XXVI, 41.
[4] *Joa.* XV, 6. — [5] *I Tim.* I. 19.

minationi solis, ita etiam caritas statim deficit esse in animâ, per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ caritatis a Deo in animam ".

173. 4° *Solv. diff.* (a) Sæpe sæpius Scriptura asserit caritatem esse *inexstinguibilem*, *insuperabilem*, *nunquam excidentem*[1]: atqui hæc omnia indicant justitiam esse inamissibilem; ergo.

Resp. Nego minorem, nam illa verba significant, virtutem caritatis neque vi externâ neque per visionem beatificam esse destruendam sicut fidem et spem, sed perseveraturam in justis, qui in statu gratiæ moriuntur, ut S. Paulus ipse disertis verbis rem alibi[2] explicat.

(b) Dicitur: "Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare quia ex Deo natus est"[3].

Resp. Sensus est: qui natus est ex Deo non potest peccare mortaliter *dum* remanet filius Dei, quoniam semen illius, scilicet caritas sive gratia in eo manens peccatum excludit: seu aliis verbis declaratur aliquem non posse simul caritatem retinere et peccare mortaliter, ut explicatur etiam a Protestantibus, v. g. *D. Alford*, in h. l.; nihil igitur ex his verbis contra thesim nostram deduci potest.

Art. IV. De virtutibus et donis in justificatione infusis[4].

Gratia habitualis est veluti principium vitale illius supernaturalis vitæ, quam a Deo, intuitu meritorum Christi, accipimus: cui principio addi debent habitus operativi, vi quorum actus supernaturales, Deo per gratiam actualem movente, elicere possimus: illi habitus sunt virtutes infusæ, et dona Spiritûs sancti.

I. De virtutibus infusis.

174. 1° *Natura.* (A) Virtus *in genere* definitur habitus perficiens animæ facultates, easque disponens ad operationem rectam. Virtus autem *infusa* definitur *habitus super-*

[1] *Cant.* VIII, 7; *Rom.* VIII, 35; *I Cor.* XIII, 8.

[2] *I Cor.* XIII, 8-10.

[3] *I Joa.* III, 9.

[4] Videantur theologi qui de virtutibus infusis expresse disputârunt: *S. Thomas*, 1. 2. q. 55-70; *Ripalda*, disp. 118-131; *Gonet*, Clypeus theol., De virtutibus et donis; *Lequeux*, de Virtutibus, diss. I, c. 3; *Mazzella*, de Virtutibus infusis, disp. I, a. 1-8; *Terrien*, I, p. 139 sq.

naturalis a Deo inditus, disponens animæ facultates ad eliciendos actus supernaturales. Dicitur (a) habitus *supernaturalis*, seu tendens ad finem supernaturalem, ut sic ab habitibus mere naturalibus distinguatur ; (b) *a Deo inditus*, ut sic distinguatur ab habitibus, qui per actus repetitos acquiruntur; (c) *disponens*... etc.; his verbis indicantur duo : tum *subjectum* illarum virtutum sc. non essentia animæ, sed ejus facultates; tum *natura* earumdem, quæ consistit in eo quod conferant potentiam actus supernaturales efficiendi; et ita virtus infusa distinguitur tum ab habitibus acquisitis, qui non solum potentiam, sed facilitatem agendi conferunt; tum a gratiâ sanctificante quæ perficit ipsam essentiam animæ, sed non dat immediate potentiam agendi ; seu aliis verbis, virtus infusa est habitus *operativus*, dum gratia habitualis est habitus *entitativus*.

175. (B) Virtutes infusæ duplicis generis sunt :
(a) *Theologicæ*, quarum objectum *materiale* primarium est Deus supernaturaliter cognitus, et objectum *formale*, seu motivum, est aliquod ejus attributum. Tres sunt : *fides*, *spes*, et *caritas*, de quibus alibi dicitur.
(b) *Morales*, quarum objectum *materiale* est aliquod bonum creatum, et objectum *formale* ipsius actûs supernaturalis honestas. Illæ virtutes morales ad quatuor reducuntur quæ vocantur cardinales, a voce *cardo (hinge)*, quia sunt veluti cardines circa quos volvuntur omnes aliæ virtutes morales. Quatuor sunt : *prudentia, justitia, fortitudo* et *temperantia*, de quibus agitur in *Tr. de Virtutibus*.

176. 2° *Thesis :* **Virtutes supernaturales, sive theologicæ, sive morales, infunduntur in ipsa justificatione.** *Certum est* (imo de *fide* juxta quosdam) quoad *virtutes theologicas*, propter declarationem Tridentini infra relatam; *communiter* admittitur pro *virtutibus moralibus*.

(A) *Scripturâ* non probatur quidem, sed insinuatur, ubi dicitur : " Et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum : ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum "[1] ; atqui, sicut nomine

[1] *Ezech.* XI, 19-20.

cordis lapidei intelliguntur pravæ dispositiones seu habitus mali, ita pariter nomine cordis *carnei* intelligi debent habitus boni; ergo Deus in justos habitus bonos seu virtutes infundit.

177. (B) *Tradit.* (a) Ait enim *Trident.* (sess. VI, cap. 7): " In ipsâ justificatione ... hæc omnia simul infusa accipit homo ... fidem, spem, et caritatem ". Quæ quidem verba rem aperte declarant quoad virtutes theologicas. (b) *Catechismus Conc. Trident.* idem asserit pro omnibus virtutibus, ac proinde etiam pro moralibus [1]: " Huic autem (gratiæ) additur nobilissimus *omnium virtutum* comitatus; quæ in animam simul cum gratiâ divinitus infunduntur ".

178. (C) *Rat. Theol.* Per gratiam sanctificantem accipimus novam vitam, vitam omnino supernaturalem ; atqui, ad vitam exercendam, requiruntur facultates supernaturales, aut saltem facultates naturales elevatæ ad statum supernaturalem per virtutes divinitus infusas; natura enim non est immediate operativa, sed nonnisi mediantibus facultatibus operatur : ergo. (Cfr. *S. Th.* 1. 2. q. 110, a. 2).

179. 3° *Corollarium.* Ex dictis, virtutes infusæ non dant facilitatem, sed solum potentiam agendi : sed quando hujusmodi virtutes exercentur, eo ipso acquiritur facilitas actus earumdem virtutum exercendi. Quod quidem ex duplici præsertim capite oritur : (A) Ex *remotione* impedimentorum; virtutis enim infusæ exercitio passiones moderantur, præjudicia deponuntur, difficultates superantur : atqui, remotis obstaculis, eo ipso faciliores fiunt actus virtutum : (B) Ex ipsa *consuetudine :* sicut enim, per frequentem actuum naturalium repetitionem, major acquiritur facilitas ad eosdem efficiendos, ita pariter, indirecte saltem, per actuum supernaturalium repetitionem, augetur facilitas eosdem efficiendi : sic enim potentia melius disponitur et veluti inclinatur ad actum. Hinc peccator recens conversus difficile quidem actus temperantiæ, castitatis, fortitudinis etc. operatur ; sed, dummodo gratiâ adjutus harum virtutum actus eliciat, gradatim facilius et delectabilius eosdem perficiet.

[1] Part. II, de Baptismo, n. 42.

II. De donis Spiritus sancti[1].

180. 1° *Natura.* (**A**) *Definitio.* Dona Spiritus S. sunt *habitus supernaturales, quibus animæ facultates disponuntur ad prompte obediendum motionibus Spiritus sancti.* A virtutibus differunt : (**a**) ratione *actuum*, nam virtutes nos habiles reddunt ad actus supernaturales *ordinarios* efficiendos, dum dona ad actus *extraordinarios* et *heroicos* disponunt; (**b**) *et diverso agendi modo*, nam opera virtutum ordinariis supernaturalis *prudentiæ* legibus regulantur : dum opera donorum speciali *divino instinctu*, seu inspiratione divinâ regulantur. Ita, ex. gr., S. Apollonia, aliique martyres, qui sese injecerunt in ignem, sub influxu specialis inspirationis Spiritus S., et doni *fortitudinis* egerunt.

181. (**B**) *Numerus.* Septem sunt dona Spiritus sancti, quorum quatuor virtutibus theologicis, tria autem virtutibus moralibus respondent[2].

(**a**) Virtuti fidei correspondent duo dona, sc. donum *intellectus* et donum *scientiæ*. *Prius* est habitus supernaturalis, quo veritates fidei penetramus, et veluti intus legimus. *Posterius*, seu donum scientiæ, est habitus supernaturalis, quo recte judicamus de rebus creatis, quatenus nos ducere possunt ad Deum.

(**b**) Virtus spei perficitur per donum *timoris* filialis, quo Deum reveremur propter ejus majestatem, et inclinamur ad vitanda ea omnia quæ ipsi displicent.

(**c**) Virtus caritatis perficitur per donum *sapientiæ*, quo inclinamur ad contemplandum Deum, resque divinas, et ad contemnendas res humanas.

(**d**) Virtus prudentiæ per donum *consilii*, quo prompti red-

---

[1] Præter auctores citatos, vide *Dionysium Carthus.*, de Donis Spiritûs S. ; *H. E. Manning*, The Internal mission of the H. Ghost, VII-XIV, ubi dilucide simul et practice exponuntur ea omnia quæ ad dona Spiritûs S. spectant; *L. Barré*, Tr. de Virtutibus, Parisiis, 1886, n. 103 sq.; *Terrien*, I, p. 186 sq.

[2] Hic sequimur Doctoris Angelici divisionem. Quidam theologi dona dividunt in duas species : quatuor priora *intellectum* perficiunt, videlicet *intellectus, sapientia, scientia et consilium;* tria posteriora voluntatem, scil. *pietas, timor* et *fortitudo.*

dimur ad bene judicandum in rebus difficilioribus, præsertim inopinatis, ad salutem pertinentibus.

(e) Virtus justitiæ completur per donum *pietatis*, quo inclinamur ad exhibendum cultum Deo, ut Patri nostro, et omnibus sanctis, quatenus ad Deum pertinent.

(f) Virtus fortitudinis perficitur per donum *fortitudinis*, quo disponimur ad actus heroicos, et ad vincenda pericula imminentia vel prementia.

(g) Tandem virtus temperantiæ completur per donum *timoris*, de quo jam dictum fuit, quatenus nos incitat ad abjiciendas omnes voluptates, castamque vitam ducendam, ne pœnas æternas incurramus.

182. 2° *Existentia. Dona Spiritus sancti infunduntur simul cum justificatione, et quidem tamquam distincta a virtutibus infusis.* Ita communiter contra quosdam Scotistas qui dicunt dona Spiritus sancti non esse a virtutibus distincta.

(A) *Scripturâ* innuitur; etenim omnes justi recipiunt gratiam habitualem ejusdem generis ac ipse Christus, juxta illud : " De plenitudine ejus non omnes accepimus " ; atqui gratiam Christi comitantur septem dona Spiritus sancti, ut docet *Isaias* [1] : " Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini ". Ergo.

(B) *Ratione Theol.* Ad providentiam Dei pertinet ut in animam infundantur habitus diversi pro diversis actibus; atqui actus, sub influxu donorum peracti, sublimioris sunt ordinis quam actus sub influxu virtutum eliciti : ergo convenit ut, præter virtutes, infundantur alii habitus superiores qui vocantur dona Spiritus sancti [2].

Appendix : de Gratiis gratis datis.

183. Gratiæ gratis datæ, quæ directe et immediate dantur *ad aliorum utilitatem*, novem a S. Paulo [3] numerantur

[1] *Isa.* XI, 2. — Cfr. de *Verbo Incarnato*, n. 148, not. 1.
[2] Cf. *S. Th.* 1ª. 2æ. q. 68 et 2ª. 2æ. q. 19, 45 etc.
[3] *I Cor.* XII, 8-10.

quarum ratio optime a *S. Thomâ* (1. 2. q. 111, a. 4) exponitur : Gratiæ hujusmodi ordinantur ad hoc ut homo in aliorum salutem cooperetur, exterius docendo et persuadendo. Atqui tria ad hoc requiruntur : *plenitudo cognitionis* divinorum, *potestas miraculis confirmandi* ea quæ docentur, *modus res exponendi* auditoribus conveniens. (**A**) *Plenitudo cognitionis* divinorum, ad quam pariter tria desiderantur : (**a**) *fides*, seu certitudo mentem prædicatoris interius firmans circa fidei principia, et exterius se manifestans ut ipsi auctoritatem conciliet : (**b**) sermo *sapientiæ*, i. e. cognitio conclusionum ex principiis fidei deductarum ; (**c**) sermo *scientiæ*, seu rerum humanarum cognitio ad explicandam sacram doctrinam ; (**B**) *potestas* miraculis confirmandi ea quæ docentur ; ad quod quatuor spectant (**a**) *gratia sanitatum*, i. e. virtus sanandi corpora ; (**b**) *operatio virtutum*, i. e. potestas mira patrandi ; (**c**) *prophetia*, seu virtus futura contingentia cognoscendi et manifestandi ; (**d**) *discretio* spirituum, seu virtus occulta cordium cognoscendi ; (**C**) *modus res exponendi* auditoribus conveniens, qui duo involvit : (**a**) *gratiam linguarum*, seu facultatem varias linguas loquendi, et (**b**) *interpretationem* sermonum ad recte explicandum sensum eorum quæ dicuntur.

Caput iii.

DE MERITO.

Post dicta de gratiâ actuali et habituali, dicendum superest de merito, quod est veluti fructus ab utrâque productus.

Art. I. De naturâ et conditionibus meriti[1].

I. De naturâ meriti.

184. 1° *Definitio :* Meritum, seu *opus* meritorium[2] in *genere*, est opus bonum libere factum in obsequium alterius, ex quo oritur aliquod jus ad mercedem. Meritum autem supernaturale, de quo hic agitur, est *opus bonum et supernaturale propter Deum factum, ex quo, positâ divinâ ordinatione, oritur jus ad supernaturalem retributionem.*

Dicitur (**a**) opus *bonum et supernaturale*, ut sic distinguatur a merito naturali ; opus autem meritorium debet esse supernaturale tum ratione *principii*, quatenus fit sub influxu gratiæ, tum ratione *finis*, quatenus fit propter finem supernaturalem, ut infra declarabitur. (**b**) *Propter Deum ;* si enim aliquod opus propter Deum non fiat, nulla est ratio cur retributio ab ipso exspectetur. (**c**) Ex quo oritur *jus... ;* in hoc consistit essentia meriti, et distinguitur ab *impetratione ;* siquidem meritum dat jus quoddam ad retributionem, dum impetratio non dat jus, sed favorem obtinet ex merâ misericordiâ. Attamen additur, *positâ divinâ*

---

[1] *S. Thomas*, 1. 2. q. 114; *Suarez*, l. XII, c. 2 sq.; *Salmant.* disp. I-II; *Ripalda*, de Ente Supernaturali, disp. 71 sq.; *Bellarminus*, de Justificat. l. V, c. 1 sq.; *Billuart*, diss. VIII, a, 1; *Perrone*, n. 620 sq.; *Murray*, de Gratiâ, n. 1-5, 93 sq.; *Mazzella*, n. 1119 sq.; *Pesch*, n. 381 sq.; *Terrien*, op. cit. t. II, p. 15 sq.

[2] Theologi, dum meritum definiunt, illud tanquam *opus* meritorium spectant ; meritum *proprie* est *jus* aliquod ad mercedem, oriens ex opere bono libere facto in obsequium alterius.

ordinatione, nisi enim Deus voluisset nobis dari supernaturalem retributionem propter bona opera nostra, nullum jus ad illam haberemus, nam omne quod habemus vel facimus a Deo est et Deo debetur, nec proinde ullum jus habere possumus relate ad Deum, nisi ipse tale jus nobis conferat.
(d) Ad *supernaturalem retributionem ;* in hoc distinguitur meritum a *satisfactione ;* satisfactio enim compensat injuriam Deo illatam, dum meritum ad præmium obtinendum ordinatur [1].

185. 2° *Species :* (a) Meritum de condigno illud est cui debetur præmium ex *justitiâ*, vel saltem ex *fidelitate :* ex justitiâ, quando opus *ex se* adæquat præmium ; ex fidelitate, quando adest *promissio*, vi cujus præmium, etsi superans opus, infallibiliter tamen conceditur. Meritum de condigno est verum meritum seu meritum simpliciter, ideoque theologi de illo loqui intendunt quotiescumque aliud expresse non significant.
(b) Meritum de *congruo* illud est cui debetur præmium non ex justitiâ, aut fidelitate, sed *ex merâ decentiâ.* Ad explicandam differentiam inter utrumque, quidam theologi hâc utuntur comparatione : miles qui valde strenue se gessit in bello, duplex habet meritum : meretur de condigno stipendium militantibus promissum ; meretur autem de congruo, præter ordinarium stipendium, ut ad aliquam dignitatem promoveatur.

II. De conditionibus meriti.

1° *Ex parte operantis :* Explicabimus conditiones requisitas ad meritum de condigno ; conditiones ad meritum de congruo eædem sunt, duabus exceptis, scilicet statu gratiæ

1 Triplex igitur valor operibus nostris inesse potest : *impetratorius*, qui ex *petitione* oritur debitis vestitâ conditionibus, et partim *misericordiâ* Dei, partim ejus promissionibus fundatur ; *meritorius*, qui oritur ex ipso opere supernaturali propter Deum facto, et partim *justitiâ*, partim *promissione* divinâ fundatur ; *satisfactorius*, quatenus est opus *pœnale*, quod a Deo accipitur ut compensatio injuriæ ipsi illatæ. In oratione justi triplex hujusmodi valor inveniri potest : quatenus decentia a Deo postulat, eadem *impetrare* potest ; quatenus opus supernaturale Deo acceptabile perficit, gratiam *mereri* potest ; quatenus vero opus difficile et laboriosum agit, pro peccatis suis *satisfacit.*

et promissione Dei, quæ non requiruntur ad meritum de congruo.

186. (**A**) *Status viæ; ad meritum requiritur ut homo sit adhuc in statu probationis, seu in terrâ degens.* Certum est.
(**a**) *Script.* Imprimis directe asseritur post mortem non dari ullum tempus merendi: "Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos" [1], i. e. loco ubi degebant animæ Judæorum post mortem. Quod illustratur deinde comparatione: "Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit" [2], i. e. si homo ceciderit ad partem electorum vel reproborum, ibi immutabiliter manebit. Accedit quoque testimonium Christi dicentis [3]: "Venit nox quando nemo potest operari". Jamvero nox hic significat mortem, ut aperte constat ex contextu. Quod cæteroquin Christus ostendit exemplo Lazari mendici, qui, statim post mortem, in sinum Abrahæ defertur, et divitis qui statim in inferno sepelitur [4]. Iterum S. Paulus dicit [5]: "Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium". Atqui judicium, sive particulare, sive generale (quum posterius nihil aliud nisi prioris manifestatio sit) finem probationis importat, ac proinde illius temporis per quod mereri aut demereri possumus; quæ quidem interpretatio confirmatur alio loco [6] S. Pauli, ubi dicitur: "Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis" i. e. ea quæ in corpore, seu durante vitâ mortali, peracta sunt.
(**b**) *Tradit.* sc. ex unanimi Patrum et theologorum omnium scholarum consensu, qui semper hoc docuerunt ut unam ex primariis veritatibus: ita v. g. *S. Hieronymus* [7]: "Viventes possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere quod semel secum tulere de viâ". Huc etiam pertinent sæpe repetitæ exhortationes ad bene agendum in præsenti vitâ, eo quia post mortem nulla est redemptio.
(**c**) *Ratione convenientiæ.* Necesse est enim ut tempus probationis, per quod homo mereri vel demereri potest,

[1] *Eccles.* IX, 10. — [2] *Eccles.* XI, 3. — [3] *Joa.* IX, 4. — [4] *Luc.* XVI, 22.
[5] *Hebr.* IX, 27. — [6] *II Cor.* V, 10. — [7] In Eccles. IX, 4.

finem accipiat ; atqui omnino convenit ut illud tempus finem accipiat in puncto mortis : quamdiu enim anima est conjuncta corpori corruptibili, ex unâ parte non est capax visionis beatificæ, et ex alterâ est in statu aptissimo ad merendum, quia corpore uti potest ad perfectionem acquirendam, et in miseriis hujus vitæ ampliores invenire opportunitates ad merendum ; ergo. Fatemur tamen illud argumentum esse solum argumentum *convenientiæ*, quia tempus probationis ex solâ voluntate Dei pendet.

187. (B) *Requiritur insuper status gratiæ sanctificantis.* Certum est (a) *Script.* Dicit enim Christus : " Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis "[1] ; atqui nemo manet in Christo nisi per gratiam habitualem ; ergo. Item S. Paulus :[2] " Si caritatem (ac proinde gratiam habitualem) non habuero, nihil mihi prodest ".
(b) *Trad.* Ex decreto *Trident.*, in quo declaratur *hominis justificati* opera vere mereri ; homo enim justificatus dicitur qui gratiâ habituali ornatur ; et ex damnatione propositionis *Baii* negantis gratiam sanctificantem esse necessariam ad meritum (*Denz.* 882, 892, 895).
(c) *Rat. theol.* Repugnat sane aliquem mereri de condigno apud Deum, quando aliunde est inimicus Dei, et dignus pœnâ æternâ ; atqui peccator, nondum justificatus, est Deo odibilis, et pœnâ æternâ dignus ; ergo, non potest eodem tempore vitam æternam mereri. Insuper quædam proportio inter opus et præmium esse debet ; atqui præmium de quo agitur, est intra ordinem filiationis supernaturalis ; ergo in tantum vitæ æternæ heredes esse possumus in quantum filii Dei adoptivi sumus, " si filii, et heredes "[3] ; atqui nonnisi per gratiam habitualem filii Dei adoptivi efficimur ; ergo[4].

188. 2° *Ex parte operis.* (A) *Opus meritorium debet esse liberum, tum a coactione tum a necessitate. De fide* est contra Jansenianos. Nam sequens propositio ut hæretica damnata est : " Ad merendum vel demerendum in statu naturæ

[1] *Joa.* XV, 4. — [2] *I Cor.* XIII, 3. — [3] *Rom.* VIII, 17.
[4] *S. Thom.* 1. 2. q. 114, a. 3.

lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione" (*Denz.* 968). Et revera nemo remuneratur aut punitur nisi sit dominus actuum suorum; atqui homo non est dominus suorum actuum nisi sit vere et intrinsece liber. Ergo. Hoc tamen non impedit quin opera præcepta meritoria esse possint; nam Deus, pro bonitate suâ, mercedem etiam illis operibus *de præcepto* promisit; ita v. g. dilectio inimicorum præcipitur, et est tamen opus valde meritorium, juxta illud: "Diligite inimicos vestros, ... et erit merces vestra multa"[1]; imo, præceptum, ceteris paribus, auget meritum, operi addendo meritum obedientiæ.

189. (B) *Insuper debet esse honestum, seu naturaliter bonum, ex parte objecti, finis, et circumstantiarum;* nam malum opus non potest evidenter remunerari, sed e contra est pœnâ dignum; opus autem indifferens, si aliquod sit in individuo, ex se nihil meretur aut demeretur; ergo solum opus bonum remunerari potest. Attamen opus *ex se* indifferens, bonum reddi potest per intentionem supernaturalem; imo opus materialiter malum potest, juxta communem sententiam, fieri bonum et meritorium, si sit honestum in mente agentis: Deus enim intuetur cor.

190. (C) *Supernaturale* (a) ratione *principii*, eo sensu quod fieri debeat sub influxu gratiæ; quod ab omnibus admittitur. Sed quænam gratia requiritur? Quidam theologi[2] dixerunt ad meritum in justis gratiam habitualem sufficere, absque gratiâ actuali, quia actus sub influxu gratiæ habitualis et virtutum infusarum elicitus, satis jam supernaturalis est ratione principii. — Communis tamen sententia est requiri gratiam actualem; nam Christus Apostolis, jam gratiâ sanctificante ornatis, dixit: "Sine me nihil potestis facere"[3]; quæ quidem verba non solum de gratiâ habituali, sed etiam de gratiâ actuali interpretantur a Patribus. Huc etiam veniunt omnes textus supra allati, ex quibus constat hominem etiam justum nil facere posse

[1] *Luc.* VI, 35.
[2] Ita *D. Soto*, De nat. et grat. l. III, c. 4; *Terrien*, II, 56-62.
[3] *Joa.* XV, 5.

in ordine supernaturali sine gratiâ. Item *Trid.* declarat (sess. VI, cap. 16) opera justorum non esse meritoria sine virtute Christi quæ antecedit, comitatur, et subsequitur illa ; atqui gratia antecedens, comitans etc. est gratia actualis, ergo.

(b) Ratione *finis* seu motivi, eo sensu quod fieri debeat non ex motivo humano, sed cum relatione ad Deum aut ad vitam æternam, juxta illud : " Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem "[1] : idem probant omnia loca ubi dicitur nos propter Deum agere debere. Imo, juxta *Thomistas*, requiritur ut opus illud sub influxu *caritatis* fiat ; sufficit tamen *virtualis* influxus, qui permanet quamdiu actus caritatis, erga Deum semel elicitus, non fuit retractatus. Sic enim arguunt[2] : ut actus alicujus virtutis sit vitæ æternæ meritorius, debet a gratiâ habituali procedere ; sed a gratiâ nullus actus procedit nisi mediante caritate : nam omnis motus et influxus gratiæ in Deum tendit finem ultimum supernaturalem ; ergo nullus actus vitæ æternæ meritorius esse potest quin caritate virtualiter saltem referatur in Deum finem ultimum supernaturalem. — Quod tamen a theologis non paucis negatur, præsertim *Suarez* et *Vasquez*[3]; nam, teste Scripturâ, vita æterna non solum caritatis actibus, sed etiam aliis supernaturalibus promittitur operibus, videlicet obedientiæ, paupertati, mansuetudini, ceterisque bonis operibus in genere[4]. Aliunde quodlibet opus supernaturale, in statu gratiæ peractum, sufficientem proportionem habet cum vitâ æternâ. — Controversia est magis speculativa quam practica ; nam Thomistæ tenent omnes actus ab eo elicitos qui habet caritatem, seu est in statu gratiæ, *virtualiter* fieri sub influxu caritatis, ac esse meritorios, nisi id impediatur per aliquam inordinationem actûs[5]. Aliunde melius est, juxta omnes, sæpe actiones nostras ex motivo caritatis Deo offerre : sic enim valde augetur meritum.

[1] *Coloss.* III, 23. — [2] *Salmantic.*, disp. IV, n. 7.
[3] *Suarez*, l. XII, c. 9-10 ; *Vasquez*, 1. 2. disp. 127.
[4] *Marc.* III, 35 ; *Matt.* V, 3-6 ; *Rom.* II, 6 ; *I Tim.* VI, 17.
[5] *S. Thom.* de Malo, q. II, a. 5 ; de Carit. q. un. a. 11 ad 2.

191. 3° *Ex parte Dei.* Ut opera nostra sint vere meritoria requiritur positiva Dei ordinatio. Nam per meritum *de condigno* verum acquirimus *jus* ad præmium; atqui creatura nullum jus acquirere potest erga Deum, nisi suppositâ aliquâ Dei positivâ ordinatione[1]: omnes enim actus nostri jam Deo debentur multiplici titulo dependentiæ, gratitudinis etc.; hinc, juxta *Trid.* (sess. VI, cap. 16), vita æterna est "tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis justorum operibus et meritis reddenda". Quod quidem illustrari potest comparatione: si quis operarius sponte suâ in agro extraneæ personæ laboraverit, quin ab eo conductus fuerit, strictum jus ad mercedem non habebit; si autem hoc ex pacto fecerit, ad præmium jus strictum habebit. Ita et nos, dum in vineâ Domini laboramus, jus habere nequimus ad præmium, nisi Deus prius nos miserit in vineam suam, mercedemque tali labori adnexam esse declaraverit. Convenit tamen Deum ita agere, quia dignus est operarius mercede suâ, et decet ut virtus felicitatem consequatur.

192. III. *Corollarium.* Ex hoc intelligi datur quænam circumstantiæ meritum augere possint: 1° operis *longa duratio*, nam, ceteris paribus, magis meretur quis precando per horam quam per quadrantem; 2° major *excellentia* ipsius actûs, quæ desumitur tum ex *objecto formaliter sumpto;* v. g. actus caritatis objective melior est actu humilitatis; tum ex *quantitate* operis, v. g. in casu eleemosynæ, tum ex ejus *difficultate:* sic magis meritorium est gravi quam levi tentationi resistere; 3° major *intensitas*, seu fervor, quia supponit majorem affectum et conatum in agendo; 4° major *libertas*, quum meritum ex liberâ procedat voluntate; 5° *finis* operantis, sic magis meretur qui ex motivo caritatis quam qui ex motivo spei aut timoris agit; 6° *major gradus gratiæ* sanctificantis, saltem probabilius, nam amicorum opera eo magis placent quo amici gratiores sunt; ceterum qui majorem gratiam habet, generatim cum majori fervore agit; 7° *major conjunctio cum Christo;* nam qui se intimius cum

[1] Hinc merito *Augustinus* (Serm. CLVIII, n. 2, *Migne*, XXXVIII, 863): "Debitor enim factus est, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo."

eo unitum servat, ab illo majorem merendi virtutem derivat, quum ipse sit *omnium meritorum* fons et origo: "Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum"[1].

Art. II. De existentiâ et objecto meriti[2].

I. Existentia.

193. Existentiam meriti proprie dicti absolute negant Protestantes. Multi inter ipsos olim docere non erubuerunt opera justi non solum non esse meritoria, sed etiam totidem esse peccata, saltem venialia: "Opus bonum optime factum est veniale peccatum... hoc veniale peccatum non naturâ suâ, sed misericordiâ Dei tale esse. Omne opus justi damnabile est et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur"[3]. Opus meritorium esse nequibat, juxta ipsos, nisi esset *indebitum, proprium*, omnino *perfectum*, præmio *æquale*, ita ut merces ex *justitiâ*, non ex merâ promissione deberetur. Ex quo sequebatur nullum actum alicujus creaturæ meritorium esse. Hodie vero plerique Protestantes admittunt necessitatem bonorum operum ad salutem, imo docent bona opera justi a Deo remunerari, sed nihilominus declarant opera illa non esse meritoria, quia salus nostra est omnino gratuita, et Christi meritis tribuenda[4].

Thesis: **Justi bona opera, debitis vestita conditionibus, vere merentur augmentum gratiæ et vitam æternam.** *De fide est ex Trident.*: "Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et J. Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non *vere mereri* augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratiâ Dei decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, A. S." Ut apparet ex illo decreto, *Trid.* non adhibuit verbum "*de condigno*", ne condemnaret opiniones aliquot an-

[1] *Joa.* XV, 5.

[2] Cfr. *S. Th.* 1. 2. q. 114, a. 3-10; *Ripalda*, disp. 85 sq.; *Bellarminus*, op. cit., l. V, c. 2 sq.; *Murray*, l. c. n. 11 sq.; *Mazzella*, n. 1131 sq.

[3] *Lutherus*, Ass. omn. artic. op. tom. 2, fol. 235.

[4] *Hodge*, op. cit. p. 244.

tiquorum theologorum ; attamen vox "*vere mereri*", juxta communem interpretationem, meritum de condigno designat.

194. 1° *Scripturâ* (**A**) S. Paulus, loquens de mercede, sibi aliisque sanctis reservatâ in cœlo, hæc habet : [1] " Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi *corona justitiæ*, quam reddet mihi Dominus in illâ die *justus judex*, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus " ; atqui illa verba clarissime indicant vitam æternam vere et proprie mereri a nobis : nam vita æterna exhibetur uti corona *justitiæ*, seu debita eodem titulo ac corona vincenti in ludis debebatur, et tribuitur a *justo judice*, non igitur ex merâ misericordiâ, sed tanquam *præmium* quo judicamur digni propter opera supernaturalia, his verbis descripta : " bonum certamen certavi " etc.

(**B**) Insuper in multis locis, vita æterna exhibetur ut *merces*, *remuneratio*, *retributio*, quia propter bona opera datur : " Gaudete et exsultate, quoniam *merces* vestra copiosa est in cœlis " [2] ; " Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet *remunerationem* " [3] ; " Scientes quod accipietis a Deo *retributionem* hereditatis " [4] ; atqui merces, remuneratio et retributio supponunt verum meritum : non potest enim dari merces, etc. sine opere mercede digno, seu meritorio, eo magis quia græca vox μισθός significat quidquid pro operâ paciscitur [5] ; ergo.

(**C**) Confirmatur comparatione quæ fit inter pœnam damnatis irrogatam et mercedem justis concessam. Sicut enim reprobis dicetur : " Discedite a me, maledicti... esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ", ita pariter bonis : " Venite benedicti... esurivi enim, et dedistis mihi manducare " [6]. Unde sic : eodem modo se habent opera bona ad vitam æternam ac opera mala relate ad damnationem ; atqui hæc vere merentur æternam damnationem, secus Deus justus non esset ; ergo illa vitam æternam vere merentur.

[1] *II Tim.* IV, 7 ; cfr. *I Cor.* IX, 24 sq.
[2] *Matt.* V, 12 ; cfr. *Apoc.* XXII, 12. — [3] *Hebr.* X, 35.
[4] *Colos.* III, 24. — [5] Vide, inter alios, *Schleusner*, Lexicon, in h. verb. *Matt.* XXV, 34 sq. ; cf. *Rom.* II, 6 sq.

195. 2° *Ratione.* In omni communitate bene ordinatâ, convenit ut membra ad bonum incitentur per præmia, operibus suis proportionata. Atqui Christiani efformant communitatem spiritualem, cujus Deus ipse rector est, et quæ proinde optime est ordinata. Ergo convenit ut membra illius societatis præmiis incitentur ad bonum, ac proinde mereri possint. Nec dicatur, cum Protestantibus, nullam proportionem esse inter opera nostra et vitam æternam; hoc enim verum est quidem si opera nostra *in seipsis* spectentur; sed si considerentur prout procedunt ex gratiâ *actuali* Spiritus S., nos moventis in vitam æternam, virtutem supernaturalem habent vi cujus ad æternum præmium proportionem habent, juxta illud: "Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam"[1]; iterum si attendatur dignitas gratiæ *habitualis*, ex quâ pariter procedunt, idem intelligitur; nam per eam divinæ efficimur consortes naturæ, in filios adoptamur, nobisque debetur hereditas æterna ex ipso jure adoptionis: "Si filii, et heredes" (*S. Th.* 1. 2. q. 114, a. 3).

196. *Solvuntur difficultates.* (A) Vita æterna sæpe sæpius in Scripturâ vocatur hereditas; atqui hereditas non datur ex merito, sed ex solo jure filiationis. Ergo. *Resp.* Vita æterna vocatur quidem hereditas, sed vocatur etiam *merces*, ut supra ostendimus; dicitur hereditas, quia non datur nisi filiis Dei saltem adoptivis, sed vocatur etiam merces, quia Deus, nos adoptando in filios, expresse exigit ut hereditatem illam bonis operibus mereamur: "Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, *si* tamen compatimur ut et conglorificemur"[2].

197. (B) Vita æterna datur ex misericordia: "Qui coronat te in misericordiâ"[3]. Ergo non ex merito. *Resp. nego conseq.;* nam vita æterna datur simul ex misericordiâ, et ex justitiâ: ex *misericordiâ*, quatenus Deus ex merâ bonitate concedit nobis gratiam quâ mereri possumus, et insuper ex bonitate promittit remunerationem æternam pro opere momentaneo; sed datur ex *justitiâ*, quatenus Deus, positâ promissione suâ, tenetur ex virtute fidelitatis opera nostra supernaturalia remunerare.

198. (C) Qui servus inutilis est, non potest mereri. Atqui justus, etiam quando præcepta adimplet, servus est inutilis, juxta illud: "Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus"[4].

---

[1] *Joa.* IV, 14. — [2] *Rom.* VIII, 17. — [3] *Ps.* CII, 4. — [4] *Luc.* XVII, 10

Resp. Justus est servus inutilis, eo sensu quod Deus bonis operibus nostris non indigeat, quum ex se nihil utilitatis Deo afferre possint, sed non est inutilis sub omni respectu, nam, adimplendo præcepta, Dei gloriam externam, juvante gratiâ, promovet, et sic consequi meretur mercedem libere promissam fidelibus servis, juxta illud Christi ipsius : " Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam "[1].

199. (D) Si justus posset vitam æternam mereri, illud detraheret de meritis Christi, quæ tunc insufficientia esse viderentur. Atqui talis affirmatio impia est. Ergo.

Resp. Merita justorum nullo modo detrimentum afferunt meritis Christi, sed potius in ejus laudem redundant; nam mereri nequimus nisi per Christum et in Christo, ipse est vitis, nos palmites, et sicut nihil detrahitur de gloriâ vitis, si palmites ejus multum fructum afferant, ita nihil detrahitur de gloriâ Christi, si ejus discipuli, per gratiam ejus, et sub influxu caritatis ab ipso inspiratæ bona opera faciant; imo illa opera meritoria in honorem Christi redundant, quum sint effectus gratiæ ejus, et ostendant efficacitatem et abundantiam ejus redemptionis.

II. De objecto meriti.

Ut logice procedamus, inquiremus quid mereri possimus *pro nobis* quoad gratiam *actualem* et *habitualem*, necnon quoad *gloriam ;* quid tandem *pro aliis.*

200. 1° Quoad *gratiam actualem.* (A) *Certum est hominem non posse mereri pro se primam gratiam actualem sive de congruo, sive de condigno,* ut jam supra (n. 70) probatum est. Hinc *Trident.* declarat (sess. VI, cap. 5) : " ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur ".

(B) *Certum est hominem non posse mereri de condigno gratiam efficacem :* talis enim gratia nullibi promittitur in Scripturâ tanquam infallibiliter danda.

(C) *Certum est hominem, agentem sub influxu gratiæ actualis, posse mereri de congruo gratias actuales sive sufficientes, sive efficaces;* siquidem omnes conditiones recensitæ ad meritum de congruo adesse possunt in hoc casu.

(D) *Communiter asseritur hominem justum posse mereri de condigno gratias actuales sufficientes;* etenim, ex dicendis,

[1] *Matt.* XXV, 23.

justus de condigno potest mereri vitam æternam. Atqui ille qui potest mereri de condigno vitam æternam, eodem modo mereri potest media necessaria ad illam, ac proinde gratias actuales sufficientes, quæ sunt medium absolute necessarium ad salutem. Ergo. Ex quibus sequitur gratias actuales ita concatenari, ut, si cum primâ cooperemur, secundam saltem de congruo mereamur, et sic de ceteris; quod certe nos impellere debet ut gratiâ bene utamur.

201. 2° *Quoad gratiam habitualem.*

(**A**) *Peccator non potest mereri de condigno primam gratiam habitualem, seu justificationem, sed eam mereri potest de congruo*; certum est: (**a**) constat *prius*, nam dicit Apostolus de justificatione: "Justificati gratis per gratiam ipsius" [1]. Atqui quod quis meretur de condigno non obtinetur gratis; ergo. Unde *Trident.*[2] ait: "Gratis justificari dicimur, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur". Insuper ad meritum de condigno requiritur gratia habitualis; atqui talis gratia non existit in casu præsenti, ut patet. (**b**) Constat *posterius*, quia opera supernaturalia, a peccatore effecta, omnes conditiones habere possunt ad meritum de congruo necessarias; hinc S. Scriptura de operibus supernaturalibus ita loquitur ut vera moralis causalitas ipsis tribuatur relate ad gratiæ collationem: "Timor Dei expellit peccatum" [3]; "Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam" [4]. atqui illa moralis causalitas nihil aliud esse potest nisi meritum de congruo; ergo. Quod sic declarat *Augustinus* [5]: "Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori; et descendit justificatus merito fidelis humilitatis".

(**B**) *De fide est justum posse mereri augmentum gratiæ habitualis;* hoc enim aperte declarat *Trid.* (can. 32): "Si quis dixerit ipsum justificatum... non vere mereri augmentum gratiæ, ... A. S." *Ratione convenientiæ* confirmatur:

[1] *Rom.* III, 24. — [2] Sess. VI, cap. 8. — [3] *Eccli.* I, 27.
[4] *Tob.* XII, 9. — [5] *Epist.* 194, n. 9.

nam qui meretur de condigno ultimum terminum, eodem modo terminum intermedium mereri potest; atqui justus, supernaturaliter operando, de condigno vitam æternam meretur, quæ est ultimus meriti terminus; ergo eodem modo meretur medium necessarium quo attingi potest, sc. gratiam, ejusque augmentum; ergo [1].

Solummodo disputatur inter theologos *quandonam* detur tale augmentum [2]: quando actus meritorius est *intensus*, id est, cum fervore sufficienti elicitus, augmentum gratiæ habitualis immediate confertur; quando autem actus ille est *remissus*, seu parum fervens, tunc, juxta *Thomistas*, non datur augmentum illud nisi post aliquod tempus, quando sc. anima est sufficienter disposita, vel differtur usque ad ingressum gloriæ. *Suarez* [3] autem contendit omnes gradus gratiæ, quos justus meretur, etiam per actus remissos, statim ei conferri. Quum res a voluntate Dei pendeat, quæ non clare nobis manifestata fuit, controversia dirimi nequit.

(C) *Justus non potest de condigno sibi mereri reparationem post lapsum;* dicitur enim: "Si autem averterit se justus a justitiâ suâ et fecerit iniquitatem... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur" [4]; imo, juxta *Thomistas*, hoc mereri nequit de congruo, licet alii non pauci contradicant, inter quos *Suarez;* quidquid sit, justus orare potest ut, si cadat, resurgat, et sic, per modum impetrationis suam reparationem consequi [5].

(D) *Perseverantia finalis in gratiâ sanctificante non potest mereri de condigno;* quia nulla promissio circa hoc legitur in Scripturâ, sed e contra dicitur: "Qui se existimat stare videat ne cadat" [6]; potest autem mereri *de congruo fallibili*,

---

[1] Cfr. *S. Thom.* 1. 2. q. 114, a. 8; *Salmant.* disp. VI, n. 81 sq.

[2] Hujusmodi quæstio a theologis communiter expenditur in *Tr. de Caritate.* Cf. *S. Th.* 1. 2. q. 114, a. 8 ad 3; 2. 2. q. 24, a. 6; *Billuart*, de Caritate, diss. II, a. 3; *Becanus*, Summa P. III. tr. I, c. 22, q. 3.

[3] *Suarez*, lib. IX, cap. 3, n. 23; *Tepe*, n. 514.

[4] *Ezech.* XVIII, 24.

[5] *Thomistarum* argumenta lege apud *S. Th.* 1. 2. q. 114, a. 7; *Salmant.* disp. VI, n. 71; *Scotistarum* apud *Suarez*, l. XII, c. 38; *Mazzella*, n. 1205

[6] *I Cor.* X, 12.

seu impetratione, juxta illud S. Augustini: [1] "Supplicibus precibus emereri potest"; recte tamen animadvertit *Suarez* finalem perseverantiam non unicâ oratione, sed sæpe repetitis precibus obtineri.

202. 3° *Quoad gloriam* (**A**) *de fide est hominem justum vere mereri posse gloriam, seu vitam æternam;* hoc probant textus Scripturæ citati ubi de existentiâ meriti, et aperte declaratur a *Trident.:* "Si quis dixerit ipsum justificatum non vere mereri... vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ consecutionem ... A. S."

(**B**) *Controvertitur* autem inter theologos utrum prima gloria, seu primus gradus gloriæ possit cadere sub merito de condigno; quidam negant, quia primus gloriæ gradus primæ gratiæ habituali respondet, quæ, ex dictis, non potest mereri de condigno, sed solum de congruo. Communiter alii affirmant, nam actus, quo primam gratiam habitualem accipimus, est meritorius de condigno. Jamvero ille actus non potest quidem mereri primam gratiam habitualem, quæ jam habetur, sed nihil prohibet quin mereri possit primum gloriæ gradum: "talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur" (*S. Th.* 1. 2. q. 112, a. 2 ad 1).

203. 4° *Quoad gratias pro aliis.* (**A**) *Nullam gratiam pro aliis de condigno mereri possumus;* hoc est privilegium Christi, utpote capitis nostri, mereri de condigno pro aliis; etenim, ex dictis, homo non potest mereri de condigno, seu ex justitiâ, nisi ordinatio vel pactum intercesserit, quod præmium promissum fuerit; atqui nullum adest pactum hujusmodi, quo Deus promiserit gratiam alicui dare in præmium meritorum alterius justi, sed potius ex Scripturâ colligitur Christum solum esse aliorum caput, et posse pro illis gratiam de condigno mereri. Ergo. (*S. Th.* l. c. a. 6.)

(**B**) *Sed possumus mereri de congruo pro aliis omnes gratias, etiam primam gratiam actualem;* in hoc sensu dicit S. Jacobus [2]: "Orate pro invicem ut salvemini". Revera pie creditur S. Stephanum Pauli conversionem, S. Monicam Augustini conversionem de congruo meruisse. Et merito; nam, ut ait *S. Thomas* (l. c.), "quia homo in gratiâ constitutus implet Dei voluntatem, *congruum est* secundum amicitiæ proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in

[1] De dono persev. cap. 5, n. 10. — [2] *Jac.*, V, 16.

salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat ".

204. 5° Quoad *bona temporalia*, si considerentur prout *utilia sunt ad salutem* et ad opera virtutum, directe et simpliciter cadunt sub objecto meriti, sicut ipsum augmentum gratiæ ; si vero considerentur *secundum se*, non cadunt sub merito, quum similiter bonis ac malis concedantur.

Corollarium practicum[1].

205. Quæ quum ita sint, dum tempus habemus, operemur bonum, quia nox venit in quâ nemo meritorie operatur. Per mare, per terras, per innumeras difficultates mercator currit ad aurum, ambitiosus ad honorum fastigia, nec semper datur pervenire; pro modicâ præbendâ magna curritur via, pro vitâ æternâ vix pes a terrâ levatur! Attamen non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis : siquidem momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis ; imo quilibet actus propter Deum a justo factus novum et æternum gratiæ et gloriæ gradum obtinet.

Ne frangamur igitur laboribus; in pressuris, in virtutum praxi, in arctâ salutis viâ animum ne despondeamus ; cœlum aspiciamus, Christumque nobiscum in viâ crucis deambulantem : tristem solabitur, infirmo medebitur, fatigatum reficiet, cadenti manum supponet.

Remanet igitur ut per *bona opera*, ferventes *orationes* et *sacramentorum* assiduam receptionem quotidie in gratiâ crescamus, ut sic ad fruendum gloriâ nosmetipsos præparemus : " Qui justus est, justificetur adhuc : et sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce venio, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua "[2].

[1] Cf. *Contenson*, Theolog. l. 8 de Deo primo motore diss. IV, c. 2. spec. 3.

[2] *Apoc.* XXII, 11-12.

De Sacramentis.

Auctores consulendi.

Patres nullum Tractatum de Sacramentis in genere scripserunt, sed, sive obiter, sive in specialibus tractatibus, de variis sacramentis successive disputârunt. Ita, inter alios : *sæc. II*, **Justinus**, et **Irenæus**, qui duo sacramenta commemorant, Baptismum et Eucharistiam; — *sæc. III*, **Tertullianus** ac **Cyprianus**, qui his duobus Confirmationem addunt; *sæc. IV*, **Cyrillus Hierosol.**, Catecheses; **Gregorius Nyssenus**, Oratio catechetica magna; **Ambrosius**, de Mysteriis. Quibus addi possunt præcipua *Sacramentaria*, Leoninum, Gelasianum et Gregorianum, *sæc. VI-VIII* conscripta, in quibus inveniuntur ordinationum ritus. *Sæc. XI*, **Petrus Damianus**, De Sacramentis per impios administratis.

Inter **Theologos** : *Sæc. XII*, **Anselmus**, De Sacramentorum diversitate; **Hugo a S. Victore**, de Sacramentis, ubi non solum de sacramentis proprie dictis, sed de mysteriis christianæ fidei; **P. Lombardus**, Lib. IV Sententiarum. — *Sæc. XIII*, **Thomas Aq.**, O. P., Sum. theol., 3 p., q. 60 sq.; Contra Gent., lib. IV, c. 56 sq.; ejusque Commentatores, præsertim *Cajetanus* et *Ferrariensis;* **Bonaventura**, O. Min., Comment. in IV lib. Sentent; **Gulielmus Parisiensis**, De Sacramentis. — *Sæc. XIV*, **J. D. Scotus**, O. Min., In lib. IV Sentent. — *Sæc. XV*, **J. Capreolus**, O. P., Comment. in lib. IV Sentent. — *Sæc. XVI*, **J. Fisher**, Assertio septem Sacramentorum; Defensio ejusdem assertionis; **J. Maldonatus**, S. J., Disputat. ac Controv. circa septem Sacramenta; **Sebastianus Perez**, De Sacramentis in genere. — *Sæc. XVII*, **Gregorius de Valentia**, S. J., In 3 part. S. Thom.; **F. Suarez**, S. J., De Sacramentis; **Vasquez**, S. J., in 3 part. S. Thom., **R. Bellarminus**, S. J., Controv. de Sacramentis in genere; **J. de Lugo**, S. J., de Sacramentis in genere; **M. Becanus**, Summa et Manuale Controversiarum; **Joannes a S. Thoma**, O. P., Theologia, de Sacramentis; **Martinez de Prado**, O. P., De Sacramentis in genere; **J. B. Gonet**, O. P., Clypeus theol. thomisticæ, De Sacramentis in communi; **Salmanticenses**, De Sacramentis in communi; **Petrus de Cabrera**, O. S. Hier., Comment. et disp. in 3 p. S. Thom., de Sacramentis; **Joa. de Carthagena**, De Sacram. in genere; **M. A. Vibaldus**, Candelabrum aureum Ecclesiæ s. Dei, in

quo de 7 sacram. etc.; **Mauritius Centinus**, O. Min., Disput. theolog. de Sacramentis; **Sylvius**, In 3 part. S. Thomæ; **Joannes Bosco**, O. Min., Theologia sacramentalis ad mentem Scoti; **Arcudius**, De Concordiâ Ecclesiæ Occident. et Orient. in 7 Sacrament. administratione. — *Sæc. XVIII*, **Juenin**, De Sacramentis Commentarius historicus et dogmaticus; **Raphael Jacobatus**, O. P., Doctrina dogmatica de Sacramentis; **Billuart**, O. P., Summa, de Sacramentis; **Gotti**, O. P., Theologia scholastico-dogmatica, de Sacramentis; **Drouin**, O. P., Tr. de re sacramentariâ; **Wirceburgenses**, S. J., de Sacramentis; **Alex. Bekanowsky**, S. J., Quæstiones canonico-morales de 7 Sacramentis; **C. Merlin**, S. J., Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des Sacrements de l'Eglise (*Migne*, Theol. Curs., XXI); **Chardon**, Histoire des Sacrements (Migne, op. cit. XX); **Tournely**, Prælectiones, de Sacramentis; **d'Argentré**, Explication des Sacrements; **M. Gerbert**, Principia theologiæ sacramentalis. — *Sæc. XIX*, **Liebermann**, Institut. theol., de Sacramentis; **Perrone**, S. J., Prælectiones, de Sacramentis; **Franzelin**, S. J., de Sacramentis; **de Augustinis**, S. J., de *Re Sacramentariâ;* **Billot**, S. J., De Ecclesiæ Sacramentis; **Pesch**, S. J. t. VI, **J. B. Sasse**, S. J. Instit. theolog. de Sacramentis Ecclesiæ, Friburgi, 1896-98; **Haine**, Principia dogmatico-moralia universæ theol. sacramentalis; **Berlage**, Die dogmatische Lehre von den Sacramenten; **Oswald**, Die dogmatische Lehre von den heiligen Sacramenten; **Morgott**, Der Spender der heiligen Sacramenten; **Kenrick**, **Hurter**, S. J.; **Bonal**, S.S., **Knoll**, **Vincent**, S.S., **Egger**, aliique Compendiorum auctores. Pro parte *morali* cfr. **Gury**, **Konings**, **Marc**, **Ballerini-Palmieri** **Sabetti**, **AErtnys**, præsertim vero **Lehmkuhl** ac **Müller**.

Inter **Protestantes** : **Calvinus**, De re sacramentariâ; **Bingham**, Origines ecclesiasticæ, seu Antiquities of the Christian Church, 1708-22; **Baumgarten**, De Sacramentis, 1753; **Wersndorf**, De naturâ et indole Sacramentorum, 1755; **Glœckler**, Die Sacramente der Christl. Kirche theoretisch dargestellt, 1832; **R. Halley**, An Inquiry into the nature of the Symbolic Institutions of the Christian Religion, usually called the Sacraments, 1854; **J. Blunt**, The Sacraments, London, 1868; **Morgan Dix**, The Sacramental system, New-York, 1893; **Lichtenberger**, Encyclop. des Sciences Relig., t. XI, Paris, 1881, voce *Sacrements;* **Stanley**. Christian Institutions. New-York, 1881.

Decreta et Canones de sacramentis in genere.

Decretum pro Armenis in Bullâ Eugenii IV "Exsultate Deo" [1].

Quinto ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum tam præsentium quam futurorum faciliori doctrinâ, sub hâc brevissimâ redigimus formulâ.

[1] Hujusmodi decretum in Conc. *Florentino* confectum fuit, et septem

Novæ legis septem sunt sacramenta: videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratiâ, et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam et corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.

Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, et personâ ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum, imprimunt in animâ indelebile. Unde in eâdem personâ non reiterantur... Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt.

Canones C. Tridentini de sacramentis in genere. (*Sess. VII.*)

Can. 1. Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; A. S.

2. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi; A. S.

3. Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius; A. S.

4. Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam

---

constat partibus: hic solam instructionem de sacramentis exscribimus. "Quâ de instructione præmittendum est eam non esse definitionem de ministro, materiâ et formâ sacramentorum, ut multi putabant, sed instructionem tantummodo practicam, quæ tamen ut talis plenam habet auctoritatem" (*Denz.* 590).

fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci; licet omnia singulis necessaria non sint; A. S.

5. Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; A. S.

6. Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; A. S.

7. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; A. S.

8. Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere; A. S.

9. Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi caracterem in animâ, hoc est, signum quoddam spiritale et indelebile, unde ea iterari non possunt; A. S.

10. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; A. S.

11. Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; A. S.

12. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere sacramentum; A. S.

13. Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; A. S.

Objectum, utilitas et divisio Tractatus[1].

1. In hoc Tractatu disputandum habemus de *Sacramentis*, i. e. de mediis externis, de signis sensibilibus, quibus

[1] Sacramenta considerari possunt tripliciter; *dogmatice*, *moraliter* ac *liturgice:* hæc ultima consideratio ad Institutiones liturgicas spectat; quia vero in re sacramentariâ regulæ morales intime cum dogmate ipso connectuntur, utrumque simul complectemur in *Tr. de Sacramentis*, si excipias tamen *Tr. de Pœnitentiâ* ac *de Matrimonio*, ubi doctrina moralis ampliorem expositionem postulat; hanc inveniet benignus lector in *Synopsi Theologiæ Moralis*, quam, si Deo placuerit, publici juris facere intendimus.

gratia, quam Christus nobis promeruit, in animas nostras effunditur. Exinde nexus cum præcedenti Tractatu apparet: in illo siquidem de gratiâ disputavimus; in hoc autem de mediis quibus gratia dispensatur disseremus. Media præcipua sunt *oratio* et *sacramenta* : de priori alibi disputatur, de posterioribus hic agemus : primum quidem in Tract. *de Sacramentis in genere* exponemus ea quæ omnibus sunt communia; deinde de *quolibet Sacramento in specie* sermo fiet.

2. *Utilitas* desumitur (A) *Ex dignitate objecti:* sacramenta enim sunt: (a) Dominicæ Incarnationis *reliquiæ;* vasa pretiosa in quibus Christi sanguis et merita continentus; (b) sauciatæ animæ *medicamenta;* (c) *causæ instrumentales gratiæ*, seu fontes aquæ vivæ, et de illis prædicari potest quod *Isaias* dicit[1]: "Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris"; siquidem in sacramentis haurimus illas gratiæ aquas, quæ ex aperto Christi latere in universam Ecclesiam effluxerunt. Multum igitur interest ut illa pretiosa gratiæ media cognoscamus. (B) *Ex ipsâ sacramentorum necessitate:* sane fideles, et a fortiori sacerdotes instrui debent de mediis ad salutem necessariis aut etiam valde utilibus; atqui sacramenta alia sunt necessaria ad salutem, alia autem valde utilia; nam, ut ait *Trid.* (sess. VII, Procem.), per ea "vera justitia vel incipit (ut in Baptismo) vel cœpta augetur (ut in Confirmatione et aliis vivorum sacramentis), vel amissa reparatur (ut in Pœnitentiâ)". (C) *Ex erroribus confutandis:* moderni siquidem *Rationalistæ* nostra sacramenta irrident, tanquam superstitioni faventia; *Protestantes* autem plerique duo tantum sacramenta admittunt, et insuper circa eorum modum operandi multipliciter errant; illorum errores confutare absque momento non erit.

3. *Divisio.* Dicemus: 1° de *naturâ* et *existentiâ* sacramentorum; 2° de elementis quibus constituuntur, seu de *materiâ* et *formâ;* 3° de *effectibus* quos producunt; 4° de eorum *causâ* sive instituente sive ministrante; 5° de *subjecto* quod eadem recipere potest.

---

[1] *Isa.* XII, 2-3.

- CAPUT I. Natura et Existentia.
  - ART. I. Natura.
    - Definitio.
    - Species.
    - Convenientia.
  - ART. II. Existentia.
    - Ante Christum.
    - Post Christum.
- CAPUT II. Materia et forma.
  - ART. I. Notio et existentia.
  - ART. II. Mutationes vitandæ.
  - ART. III. Unio inter materiam et formam.
  - ART. IV. Iteratio materiæ et formæ.
- CAPUT III. Effectus.
  - ART. I. Gratia.
    - Quomodo producatur?
    - Qualis?
    - Quanta?
    - An impedita reviviscat?
  - ART. II. Character.
    - Existentia.
    - Natura.
    - Dotes.
- CAPUT IV. Causa.
  - ART. I. Instituens.
    - An Sacr. a Xto instituta sint?
    - A Christo Deo vel homine?
    - In genere vel in specie?
  - ART. II. Ministrans.
    - Ejus qualitates.
    - Ejus obligationes.
- CAPUT V. Subjectum.
  - ART. I. Dispositiones.
  - ART. II. Obligatio ab indignis non suscipiendi.
- APPENDIX : de Sacramentalibus.



Caput I.

DE NATURA ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

Art. I. De sacramentorum naturâ [1].

Ut sacramentorum natura melius innotescat, eorum *definitionem*, *species* et *convenientiam* explicabimus.

I. Definitio.

4. 1° *Quoad nomen.* Vox sacramentum (a *sacro* derivata), aliquid sacrum designat. (A) *Apud profanos auctores*, significat vel *pecuniam*, a litigantibus apud pontificem depositam, eâ lege ut qui vicisset suam reciperet, victus autem suam relinqueret, ut in sacros usus impenderetur, vel *juramentum* a militibus coram tribunis præstitum ; vel quodlibet *juramentum* in genere, quia juramentum, Deo factum, est aliquid sacrum. (B) *Apud sacros auctores*, sacramentum (græce μυστήριον [2]) tria præsertim designat : (a) *rem occultam*, seu secretam : " Sacramentum (i. e. secretum) regis abscondere bonum est " [3]. (b) *Signum*, seu *symbolum rei sacræ :* " Ego dicam tibi sacramentum mulieris et bestiæ " [4] : quo sensu cæremoniæ cultus externi passim a Patribus sacramenta dicuntur. (c) *Signum rei sacræ* et *simul sanctificantis ;* quo ultimo sensu vox illa in præsenti tractatu adhibetur.

5. 2° *Quoad rem*, sacramentum in genere, prout de sacramentis utriusque Legis prædicatur, definitur : *Signum sen-*

---

[1] Cfr. *S. Th.* 3 p. q. 60 ; *Suarez*, de Sacramentis, disp. I ; *Salmant.* de Sacrament. disp. I ; *Drouin*, q. 1, c. 1 ; *de Augustinis*, p. 1, a. 1.

[2] Hæc vox, in N. Test., significat quamvis rem et doctrinam occultam et hominibus ignotam, omne quod est novum et inauditum, aut ita profundum et sublime ut facile intelligi nequeat. (*Schleusner*, Lexicon.)

[3] *Tob.* XII, 7. — [4] *Apoc.* XVII, 7.

sibile a Deo permanenter institutum, ad significandam gratiam, et sanctitatem aliquam conferendam.

Dicitur, (a) *Signum*, i. e. res cognita quæ in cognitionem alterius rei minus cognitæ ducit, v. g., fumus ex domo oriens est signum quod ignis sit in illâ.

(b) *Sensibile*, i. e. sensus aliquo modo afficiens, vel immediate ut aqua in Baptismo, vel mediate, ut contritio, verbis vel gestu expressa, in sacramento Pœnitentiæ.

(c) *A Deo institutum*, quibus verbis designatur Auctor sacramentorum, qui solus Deus est, sive immediate ea instituat, sive mediate, alteri concedendo potestatem ea instituendi; solus enim Deus signo sensibili gratiam alligare potest.

(d) *Permanenter*, eo sensu, ut perseverare debeat quamdiu perseverat forma religionis pro quâ institutum fuit; hinc manna et serpens æneus, quamvis signa gratiæ futuræ, non fuerunt sacramenta, quia non perenniter instituta.

(e) *Ad significandam gratiam*, quibus verbis ostenditur sacramentum esse signum *sacrum*, et ita a quolibet profano signo distingui; significat enim rem omnino supernaturalem, unde a S. Augustino vocatur: "invisibilis gratiæ visibilis forma".

(f) *Et sanctitatem conferendam:* hic præcipuus effectus sacramenti designatur; sacramentum enim non est signum *mere speculativum*, sed *practicum*, seu aliquid vere producens. Sanctitas autem, per sacramenta collata, duplex esse potest: una *legalis* et exterior, quæ consistit in externâ deputatione ad cultum divinum, qualis a sacramentis Veteris Legis conferebatur; altera autem *interior*, quæ consistit in infusione gratiæ sanctificantis, qualis a sacramentis Novæ Legis confertur [1].

6. Exinde colligitur quomodo sacramentum a *sacrificio*

[1] Triplicis generis signa distinguuntur: *naturalia*, quæ *ex se* aliquid aliud significant, sicut fumus ex se ignem indicat; *arbitraria*, quæ nonnisi *ex conventione* aliquid determinatum significant, sicut olivæ ramus est pacis symbolum; *mixta*, quæ partim ex se, partim ex positiva institutione aliquid designant. Jamvero sacramenta sunt signa hujusmodi; v. g. ablutio in baptismo *ex se* internæ ablutionis similitudinem gerit, sed nonnisi ex divinâ institutione signum est efficax internæ mundationis.

distinguatur; sacramentum siquidem cum sacrificio convenit in eo quod utrumque sit signum sensibile, et sacrum; sed differunt: (a) ratione *finis:* sacrificium primario et directe ad Dei cultum, sacramentum autem ad hominis sanctificationem directe ordinatur; (b) ratione *essentiæ:* sacrificium essentialiter in *actione* consistit, sacramentum in *receptione;* (c) ratione *subjecti:* sacrificium ex se et directe *pluribus* prodest, sacramentum vero directe *soli suscipienti.*

II. Species.

7. Duplicis generis sunt sacramenta: (a) sacramentum *Veteris Legis* est signum sensibile, permanenter a *Deo* institutum, ad conferendam sanctitatem *externam*, et *significandam internam* gratiam; (b) sacramentum *Novæ Legis* est signum sensibile, a *Christo* permanenter institutum, ad *gratiam* sanctificantem *significandam* et *conferendam.* Tria igitur ad sacr. Novæ Legis requiruntur: *signum sensibile; gratiæ productivum;* a *Christo permanenter institutum.*

Sacramenta Vet. Legis a sacramentis Novæ Legis differunt: (a) ratione *institutionis:* priora a Deo, posteriora a Christo, Deo-Homine, instituta sunt; (b) ratione *causalitatis:* priora significabant tantum, posteriora vero internam gratiam producunt; (c) ratione *perfectionis:* priora erant *figura* tantum melioris rei, posteriora vero sunt *realitas*, quum gratiam vere contineant.

Hinc sacramenta N. Legis sunt signa non speculativa, sed *practica*, gratiam non solum significantia sed *conferentia.* Iterum tria simul significant; sunt *rememorativa passionis* Christi, vi cujus gratia nobis confertur; *demonstrativa* ipsius *gratiæ* quæ nobis datur, et *prognostica* seu prænuntiativa futuræ gloriæ, ad quam gratiâ jus conceditur. Quod quidem maxime apparet in sacramento Eucharistiæ, in quo, ut Ecclesia canit, "recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur".

III. Convenientia.

8. *Sacramentorum institutio maxime convenit, tum ex parte hominis, tum ex parte Ecclesiæ*[1]. Certum est contra

[1] Cf. Catechis. Roman. pars 2ª de Sacram. n. 13; *Drouin*, g. III, c. 1.

Rationalistas qui dicunt non decere ut a rebus sensibilibus hominum salus pendeat.

1° *Ex parte hominis.* (A) *Ex ipsâ hominis naturâ.* Ea enim est natura hominis ut ad spiritualia per sensibilia perducatur; ita, v. g. per corporalia, hominis intellectus velut manuducitur in intelligibilium cognitionem; atqui convenit ut Divina Providentia in gratiarum dispensatione, naturæ cujuslibet entis sese accommodet; ergo convenit ut Deus per sensibilia media homini gratiam dispenset [1].

(B) *Ex virtutibus quæ exinde foventur;* illud siquidem convenit quod ad *virtutes* hominem promovet, eumque a *vitiis* avertit; atqui ita est de sacramentis; nam per ea: (a) *fides* promovetur, dum credimus, propter verbum Dei, gratiam signis sensibilibus alligari; aut etiam dum sacramenta publice recipientes in hominum conspectu fidem nostram profitemur; (b) *spes* erigitur, quum sacramenta sint pignora divinæ erga nos bonitatis, viam salutis faciliorem efficientia; (c) *caritas* erga Deum augetur, dum videmus Christum nobis præbuisse tam multa sanctificationis media nostræ infirmitati optime accommodata; caritas autem fraterna inflammatur, cum ex sacramentorum receptione recordamur nos arctissimo vinculo colligatos et unius corporis membra effectos esse; (d) tandem *superbia* edomatur, dum necessitas nobis incumbit ad signa sensibilia, per sacerdotes confecta, recurrendi, ad nostram sanctificationem obtinendam.

9. 2° *Ex parte Ecclesiæ.* Ecclesia, utpote externa societas, externis indiget symbolis, quibus unio inter fideles servari possit; atqui illud optime a sacramentis præstatur, quæ fideles ab infidelibus distinguunt, et eos stricto nexu inter se coadunant; dum enim eadem participant sacramenta, unius et ejusdem corporis membra se agnoscunt. Hinc *S. Augustinus* ait [2]: "In nullum nomen religionis seu veræ seu falsæ coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur".

---

[1] *S. Thom.* 3, q. 61, a. 1.
[2] Cont. Faust. l. XIX, c. 11.

Art. II. De sacramentorum existentiâ.

Expositâ notione et convenientiâ sacramentorum, jam ad eorum existentiam accedere licet. Dicemus 1° de Sacramentis *ante Christum;* 2° de Sacramentis *ab ipso Christo* institutis.

§ I. Ante Christum [1].

I. In statu innocentiæ.

10. Communiter docent theologi, contra paucos, nullum fuisse sacramentum in statu innocentiæ. (a) Imprimis, tum Scriptura, tum Traditio hâc de re prorsus silent; nec dici potest matrimonium inter Adamum et Evam fuisse sacramentum proprie dictum; matrimonium enim ad sacramenti dignitatem elevatum non fuit nisi per Christum; antea erat solummodo contractus religiosus et signum rei sacræ, seu "quædam Incarnationis Verbi Dei adumbratio" [2], non autem signum sanctitatis productivum.

(b) Insuper, in statu innocentiæ, homo perfectâ rectitudine fruebatur, nec ex rebus sensibilibus sanctificari indigebat; aliunde ille status brevissimo tempore duravit, et instituere sacramenta tam cito abolenda conveniens non erat.

II. In statu legis naturæ.

11. Status legis naturæ ille est qui a lapsu Adami usque ad legem scriptam, per Moysen datam effluxit, et pro Gentibus usque ad legis evangelicæ promulgationem perduravit [3]; qui status vocatur *legis naturæ*, non quia legem supernaturalem excludebat, sed ut distinguatur a statu *legis scriptæ*. Ut certa ab incertis secernamus, tria inquiremus: utrum in hoc statu exstiterit remedium pro peccato originali; utrum tale remedium sacramentum fuerit; utrum alia exstiterint sacramenta.

12. (A) *Certum est fuisse aliquod remedium pro parvulis contra peccatum originale.* Probatur:
(a) *Auctoritate* Patrum ac Theologorum, qui unanimiter illud docent, ita ut sine temeritate negari non possit; ait siquidem *S. Au-*

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 61, a. 2-3; *Suarez*, disp. III-V; *Salmant.* disp. III, dub. 1-4; *Drouin*, q. II; *Billuart*, diss. II, a. 1-3; *de Augustinis*, th. 1-4; *Pesch*, n. 37 sq.

[2] *Leo XIII* in Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880.

[3] Lex enim mosaica solos Judæos ligabat, ut animadvertit *S. Thomas* (1. 2. q. 98, a. 5): "Quantum ad illa quæ lex vetus superaddebat, non tenebantur aliqui ad observantiam veteris legis, nisi solus populus Judæorum".

gustinus (Contra Jul. lib. V, c. 11, n. 45) : " Nec credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scriptura latere voluerit ". Confirmatur unanimi consensu theologorum omnium scholarum.

(b) *Ratione Theolog.* Ex dictis in *Tract. de Gratiâ* et de *Incarnatione*, Deus sincere vult salutem omnium hominum, etiam post originale peccatum ; atqui voluntas illa sincera non esset, nisi Deus instituisset pro omnibus temporibus, et etiam pro tempore legis naturæ, remedium contra originale peccatum ; nam, sine tali remedio, impossibile erat ut illi parvuli salvarentur, ex dictis ubi de originali peccato ; ergo.

13. (B) *Controvertitur* autem utrum tale remedium fuerit sacramentum ; Scriptura enim de hujus remedii naturâ tacet. Ab omnibus tamen admittitur illud remedium non fuisse positum in actione propriâ, cujus parvuli incapaces erant, sed in aliquâ actione parentum, quâ videlicet natos suos Deo offerebant, et insuper illam actionem fuisse aliquam protestationem fidei in futurum Redemptorem, juxta illud : " Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri "[1]. (a) Juxta *S. Bonaventuram*[2] paucosque alios, illa protestatio fidei poterat esse *interna* tantum, sine ullâ exteriori ceremoniâ, ac proinde non erat sacramentum, quia sacramentum est signum sensibile. (b) Econtra, juxta *D. Thomam*, *Scotum*, *Suarez*[3], aliosque, illa fidei protestatio extrinsecus manifestari debebat, proindeque verum erat sacramentum ; nam omnes conditiones habebat ad sacramentum requisitas ; erat siquidem signum *sensibile*, nam per illud infans non solum Deo consecrabatur, sed etiam Ecclesiæ Dei visibili coadunabatur ; quod sine sensibili signo fieri nequit ; signum *gratiæ productivum*, nam tollebat originale peccatum, quod sine gratiæ effusione fieri nequit ; a *Deo institutum*, quia solus Deus gratiam signo sensibili adnectere potest ; *permanenter*, quia illud signum toto legis naturæ tempore perdurare debebat ; ergo.

14. (C) Utrum vero alia fuerint sacramenta, incertum est ; in Scripturâ mentio fit quidem sacrificiorum Abel, Noe et Melchisedech : sed de sacramentis nil dicitur ; nonnulli tamen theologi docent adfuisse aliquod sacramentum ad actualis peccati deletionem, licet de illius naturâ nil certum dici possit[4].

---

[1] *Act.* IV, 12.

[2] *S. Bonavent.* dist. I, a. 2. q. 1 et 2.

[3] *S. Thom.*, 3, q. 70, a. 4, ad 2 ; *Scotus*, in 4 dist. 1, q. 3 et 7. ; *Suarez*, disp. IV, sect. 3-4.

[4] *S. Thom.* 4 Sent. dist. 1, p. 1, q. 1, a. 2.

III. Sub lege Mosaica.

15. (A) *Certum est adfuisse quædam sacramenta sub lege mosaicâ.* Probatur ex S. Paulo, qui de purificationibus legalibus ait[1] : "Sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos *sanctificat* ad emundationem carnis" : quibus verbis ostenditur ritus, de quibus agitur, sanctitatem legalem produxisse, atque proinde sacramenta fuisse. Insuper *Florentinum* et *Tridentinum* de antiquæ legis sacramentis manifeste loquuntur, eorumque existentiam supponunt (infra, n. 16).

(B) Præcipua autem sacramenta fuere : (a) *Circumcisio*, quæ figura erat Christiani Baptismi, homines ad cultum divinum deputabat, et juxta communem doctrinam, insuper ab originali peccato mundabat[2] ; (b) *Agnus Paschalis*, Eucharistiæ sacramento respondens ; item *propositionis panes* qui a ministris edebantur ; (c) *Expiationes* multæ quæ sacr. Pœnitentiæ figurabant ; (d) *Leviticorum* sacerdotum consecratio, quæ sacr. Ordinis adumbrabat. Sacramentum autem Confirmationis nullomodo existebat in Antiquâ lege, quia gratiæ plenitudinem confert, quæ nondum advenerat ; nec Extr. Unctio, quæ immediate ad introitum gloriæ præparat, quia talis introitus usque ad Christi mortem differebatur ; tandem Matrimonium, licet religiosus contractus, non erat sacramentum, quia, propter polygamiam et divortium, quæ tunc temporis vigebant, unionem Christi cum Ecclesiâ perfecte significare nequibat.

IV. De modo quo sacramenta Veteris Legis suum producebant effectum.

16. 1° **Quoad adultos.** (A) *Sacramenta V. Legis gratiam ex opere operato non producebant, saltem in adultis.* Certum est.

Prob. (a) *Scriptura.* Sacr. V. Legis vocantur "infirma et egena elementa"[3] ; munera et hostiæ antiquæ legis dicuntur non potuisse "juxta conscientiam perfectum facere servientem"[4] ; et lex antiqua reprobatur "propter infirmitatem ejus et inutilitatem"[5] ; atqui

---

[1] *Hebr.* IX, 13.

[2] Circumcisio ante Moysen instituta fuerat (*Gen.* XVII, 10-14) ut signum fœderis inter Deum et Abrahæ semen, imo inter ipsos Ægyptios vigebat. Communiter tenetur masculos infantes hujusmodi cæremoniâ ab originali peccato fuisse mundatos ; quod deducitur ex his verbis : "Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit" (*Gen.* XVII, 14); quibus verbis significatur parvulum hebraicum non circumcisum ab æternâ vitâ exclusum iri, juxta plerosque interpretes. Feminæ autem alio modo justificabantur, probabiliter ope medii jam sub Lege naturæ instituti. Cf. *S. Th.*, q. 70, a. 4 ; *de Augustinis*, th. 3.

[3] *Galat.* IV, 9. — [4] *Hebr.* IX, 9. — [5] *Hebr.* VII, 18.

quod est infirmum et vacuum, quod conscientiam mundare nequit, et inutile seu insufficiens vocatur, gratiam ex opere operato non producit. Ergo.

(b) *Traditione. In Decreto ad Armenos* legitur: "Antiquæ legis sacramenta gratiam non causabant, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant".

(c) *Ratione convenientiæ.* Sub V. Lege, gratiæ pretium per Christum solutum nondum fuerat; atqui, pretio nondum soluto, non decebat ut sacramenta, quæ virtutem ex Christi passione habent, ex se gratiam conferrent; quod illustratur comparatione: chirographus, exhibens solummodo futurorum laborum promissionem, *ex se* ad obtinendam mercedem et pecuniam non sufficit; jamvero sacr. A. Legis erant solummodo chirographus exhibens Christi meritorum promissionem; ergo *ex se* gratiam causare non valebant.

17. (B) *Sacramenta V. Legis producebant gratiam ex opere operantis, scilicet directe fidem, contritionem, caritatem etc., excitando, et mediantibus illis dispositionibus, gratiam operando.*

(a) Nam illa sacramenta erant Christi venturi, ejusque Redemptionis præfigurativa, juxta illud S. Pauli[1]: "Umbram habens lex futurorum bonorum"; atqui signa Redemptionis præfigurativa omnino apta erant ad producendum fidem, spem, et caritatem in suscipientibus; ergo.

(b) Insuper sacr. V. Legis legalem sanctitatem directe producebant. Jubetur enim princeps, qui peccaverit, offerre pro peccato arietem, et additur[2]: "Rogabitque pro eo sacerdos, et pro peccato ejus et dimittetur ei"; in hoc loco agitur de remissione *peccati legalis*, per quod legalis immunditia incurrebatur, non autem de *remissione culpæ* coram Deo; nam, per expiationes legales, de quibus agitur, unum tantum peccatum remittebatur, et variæ pro variis peccatis expiationes præcipiebantur, ut ex eodem loco constat; atqui si peccatum remissum fuisset *quoad culpam*, omnia alia peccata fuissent remissa, quum unum peccatum mortale coram Deo remitti non possit, quin alia remittantur.

18. 2° **Quoad parvulos.** Circumcisio, vel aliud remedium a Deo institutum pro originalis peccati remissione, gratiam parvulis vere conferebat, et quidem sine ullo eorum actu; de hoc omnes concordant theologi. Circa modum rem explicandi differunt; alii dicunt hoc remedium *ex opere operato passive* gratiam contulisse; alii *ex opere operato per accidens;* alii *præter opus operantis.* Quidquid sit, res ita explicari potest: per hujusmodi sacramentum, parvuli *directe* aggregabantur populo Dei, et *indirecte* sanctificabantur, quatenus Deus non quidem directe per sacramentum illud, sed illius occasione, et vi promissionis suæ ac Christi meritorum, parvulis, independenter a ministri aut suscipientis merito, gratiam conferebat. (*S. Thom.*, 3, q. 70, a. 4.)

[1] *Hebr.* X, 1. — [2] *Levit.* IV, 26.

§ II. A TEMPORE CHRISTI [1].

19. *Protestantium errores.* (**A**) Initio reformationis, Protestantes, modo duo, modo tria aut quatuor admiserunt sacramenta, videlicet Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam et Ordinationem. (**B**) Hodie vero, si excipiantur Ritualistæ, qui generatim septem admittunt sacramenta, videlicet duo majora, et quinque minora, plerique Protestantes duo tantum, sc. *Baptismum* et *Cœnam*, retinent [2]. Ratio fundamentalis illius erroris est quia sacramenta, juxta Protestantes, non sunt vere gratiæ productiva, sed solum media ad fidem excitandam, et pignora quibus de peccatorum remissione certiores reddimur; hinc Matrimonium et Ordo non sunt sacramenta, quia nullum peccatum remittunt; Confirmatio et Extrema Unctio meræ sunt ceremoniæ, quia prior est renovatio promissionum baptismi, posterior autem oratio pro infirmis facta; Pœnitentia autem non fuit a Christo instituta ut medium gratiæ aut fidei excitandæ; remanent igitur duo solum sacramenta.

20. *Thesis catholica:* **Sacramenta N. Legis, a Christo instituta, septem sunt, nec plura, nec pauciora.** De fide est ex *Tridentino* definiente (sess. VII, can. 1): "Si quis dixerit sacramenta N. Legis non fuisse omnia a Jesu Christo D. N. instituta; aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ex. Unctionem, Ordinem et Matrimonium; aut

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 75; *Salmant.* disp. IX; *Bellarminus*, de Sacram. l. II, c. 23-27; *Drouin*, q. III, c. 2; *Franzelin*, de Sacram. th. 18-20; *de Augustinis*, th. 7; *Pesch*, n. 67 sq.; *Sasse*, th. 26.

[2] "Quot in Ecclesia sua Christus instituit sacramenta? Duo tantum, quæ ad salutem generatim sunt necessaria, scilicet Baptismum et Cœnam". (Ita Anglicani ap. *Book of Common Prayer*). "Duo majora adsunt sacramenta evangelica ab ipso Domino nostro instituta, in universum necessaria ad salutem; ast lato sensu sacramenti vocem fas est applicare ad omne quod rem sanctam significat, et ideo ad omnes ritus qui de more Sacramenta vocantur". (*Morgan Dix*, ritualista, Sacramental System, p. 83-84). "Unitarii generaliter duo maxima instituta, Baptismum nempe et Cœnam retinent... quæ uti symbola habent naturalia et signa externa affectuum et intentionum quæ in corde resident". (Manual of Unit. Belief, p. 47).

etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, A. S."

Prænotamus thesim non posse Scripturâ solâ apodictice demonstrari pro omnibus sacramentis, quum nullibi dicatur sive implicite, sive explicite, septem et septem solum esse sacramenta; quænam autem sacramenta ex Scripturâ probari possint, infra exponetur, ubi de quolibet sacramento. *Traditio* monumentalis et oralis priorum sæculorum existentiam quorumdam, non autem septem sacramentorum probat; sed unanimis theologorum consensus a sæculo XII usque ad nos, necnon præscriptionis argumentum rem plene demonstrant.

21. 1° *Trad. monum* [1]. Quatuor vel quinque sacramenta repræsentata vel descripta inveniuntur in antiquis *Catacumbarum* picturis vel inscriptionibus; (a) *Baptismi* collatio duplici modo figuratur: per piscatorem, qui pisciculum ex aquâ extrahit, quod a *Tertulliano*, de Baptismo interpretatur [2]; et apertius per sacerdotem qui aquam super parvuli caput effundit; (b) *Confirmatio*, per impositionem manus super caput baptizati figuratur: hæc enim sacramentum Confirmationis designat, ut ex hâc Damasianâ inscriptione, in antiquo Ecclesiæ Vaticanæ baptisterio repertâ, colligi potest:

"Istic insontes cœlesti flumine lotas
Pastoris summi dextera signat oves;
Huc undis generate veni quo Sanctus ad unum
Spiritus ut capias te sua dona vocat".

(c) Sacramentum *Pœnitentiæ*, juxta multos, repræsentatur per *paralyticum*, qui grabatum suum tollit, postquam ei dictum est, "Remittuntur tibi peccata tua" [3]; alii tamen dicunt hic agi tantum de *Baptismo*, quia ibi describitur pa-

[1] Cf. *P. Allard*, Rome souterraine, c. VI, ubi brevi exhibentur compendio ea quæ fusius exponit *de Rossi*, Roma sotterranea; *Northcote*, The Roman Catacombs, c. 3; *Martigny*, Dictionnaire des Antiquités chrétiennes, vocabulis *Baptême*, *Confirmation*, *Eucharistie*, *Ordination*; *Armellini*, Lezioni di Archæologia Christiana, Roma, 1898.

[2] "Nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum Jesum Christum, in aquâ nascimur, nec aliter quam in aquâ permanendo salvi sumus" (de Baptismo, c. 1).

[3] *Matt.* IX, 2.

ralyticus prope probaticam piscinam curatus. (d) *Eucharistia* repræsentatur per vas lacte plenum et nimbo adornatum : nimbus enim est divinitatis symbolum et Christi præsentiam indicat; aut per *piscem* a fidelibus receptum; piscis enim Christum designat, quia vox græca ἰχθύς (piscis) primas litteras continet ejus nominis : "Ἰησοῦς Χριστός Θεοῦ υἱός, Σωτήρ", i. e. Jesus Christus, Dei Filius, Salvator". (e) *Ordinatio* tandem significatur per Pontificem, qui in cathedrâ sedens, duobusque ministris circumdatus, dextram super caput ordinandi extendit.

22. 2° *Trad. orali.* Quoad auctores ecclesiasticos, duo tempora distinguere licet : (A) *Ante sæc. XII*, nullus invenitur qui directe et explicite docuerit septem et septem tantum esse sacramenta. Plerique nonnisi *obiter* ea commemorant, alii magis diserte de eis disputant, præsertim in suis orationibus ad Catechumenos [1] ; sed iis in locis non recensent nisi *Baptismum*, *Chrisma*, seu *Confirmationem*, *Eucharistiam*, cui aliquando addunt *Ordinationem*, vel manuum impositionem, quo nomine apud Orientales ordinatio, apud Latinos autem, saltem frequenter, pœnitentium reconciliatio designabatur. Attamen aliis locis reliqua sacramenta singillatim plus minusve clare describunt [2], ita ut sat evidenter constet ea non omnino ab ipsis fuisse ignorata. Quomodo igitur factum est ut non magis diserte de eis disputaverint? (a) Hoc prohibebat aliquando *arcani disciplina*, quæ vetabat ne, propter irrisionis et profanationis periculum, quædam dogmata, et præsertim mysteria practica sacramentorum,

[1] Ita v. g. *S. Justinus*, *S. Irenæus* duo commemorant, Eucharistiam et Baptismum ; *Tertullianus*, *S. Cyprianus*, *S. Basilius*, *S. Cyrillus Hieros.*, *S. Ambrosius* tria, Baptismum, Confirmationem et Eucharistiam ; *S. Augustinus* et *Pseudo-Dyonisius* quatuor, tribus præfatis Ordinationem addentes. Imo Augustinus inter sacramenta recenset Matrimonium et Ex. Unctionem, ita ut nullum sit sacramentum cujus mentio non fiat apud Patres, ut infra demonstrabitur ubi de Sacramentis in specie. (Cf. *Franzelin*, th. 19; *de Augustinis*, l. cit. p. 108 sq.

[2] Ita *S. Augustinus*, qui in uno loco duo tantum sacramenta describit, Baptismum et Eucharistiam (Epist. 54, 15), alibi commemorat *Ordinationem*, *Matrimonium*, *Pœnitentiam*, *Extr. Unctionem* (Contra ep. Parmen. II, c. 12, n. 28; De bono Conjug. VII, 15; De Baptismo, V, 20; De conjug. adulter. lib. II, c. 16. etc.)

coram Infidelibus et Catechumenis exponerentur; ita *S. Cyrillus Hier.* ait [1]: "De mysteriis (sacramentis) neque apud Catechumenos palam verba facimus"; sic et *Theodoretus* [2]: "Obscure de mysteriis divinis loquimur propter non initiatos, his vero semotis perspicue initiatos docemus". (b) Huc accedit quod, prioribus sæculis, sacramenti notio clare et scientifice elucidata non fuerit; sub nomine sacramentorum, seu mysteriorum, omnia complectebantur quæ aliquid sacri et sanctificantis præ se ferebant; hinc etiam, sæc. XII, *Hugo a S. Victore* tractatum de *sacramentis* scripsit, in quo de omnibus fidei mysteriis, sacris ritibus etc. disserit, quasi totidem sacramenta essent; idem auctor inter *majora* et *minora* sacramenta distinguit, et inter minora aquam aspersionis, susceptionem cineris, benedictionem ramorum, signaculum crucis etc. recenset [3]. Item *S. Petrus Damianus* († 1072) duodecim sacramenta enumerat, inter quæ regis inunctionem, ecclesiæ dedicationem, monachorum et sanctimonialium benedictionem etc. *S. Bernardus* [4] († 1153) pariter dicit multa esse sacramenta, et inter hæc ponit baptismum, eucharistiam et *pedum ablutionem*, quæ fit in Cœnâ Domini; nec mirum, nam sacramentum definit "sacrum signum, sive sacrum secretum". (c) Tandem, licet omnia sacramenta aliquid commune habeant, inter se valde differunt, et ab Antiquis in duplicem classem distributa fuerant: alia *consecrantia* seu *perficientia* vocabantur, *Baptismus* sc., *Chrisma* seu Confirmatio, *Eucharistia* et *Ordinatio;* alia vero *medicinalia* dicebantur, *Pœnitentia*, *Ex. Unctio* et *Matrimonium;* hinc intelligitur cur Patres tria vel quatuor priora frequentius connumerent, quia, ex scopo quem sibi præfixerant, nonnisi *consecrantia* enumerare intendebant [5]. Ex his omnibus patet doctrinam de sacramentis in genere nonnisi post multa sæcula scientifice per analysim et synthesim expolitam fuisse; nec

[1] *Catech.* VI, 29. — [2] *In Num.* q. 15. Cfr. de *Eucharistiâ*, n. 32, not. 2. — [3] De Sacr. l. II, p. IX, c. 1. — [4] Serm. in Cœna Domini, n. 1-4.

[5] *S. Ambrosius*, de Mysteriis, et *S. Cyrillus Hier.* in Catechesibus de tribus tantum disserunt, Baptismo, Confirmatione et Eucharistiâ, quia catechumenos et recenter baptizatos alloquebantur, quibus hæc tria simul tradi solebant.

mirum est igitur si Patres explicite et diserte de illis non disputaverint, præsertim quum eorum existentiam nemo negaret. (B) Sed jam *a sæc. XII*, præsertim vero a tempore quo *Petrus Lombardus* sacramenti accuratam definitionem tradidit, theologi, licet de multis ad sacramenta pertinentibus dissenserint, unanimiter docuerunt septem et septem tantum esse sacramenta, nullis Pastoribus aut Fidelibus usque ad Reformationis tempus contradicentibus [1]. Ex quo duplex confici potest argumentum : consensus tam unanimis explicari nequit, nisi antea in Ecclesia septem sacramenta fuerint publico usu frequentata : secus enim nonnullæ saltem reclamationes et dissensiones certo ortæ fuissent. Sed insuper unanimis consensus omnium theologorum, Pastorum et Fidelium per plura sæcula de re dogmaticâ simul et morali, ad praxim quotidianam pertinente, est infallibile criterium veritatis ; nam, ex dictis in *Tr. de Ecclesiâ*, Spiritus S. totam Ecclesiam in materiâ fidei et morum errare permittere nequit. (Cf. *de Fontibus theol.*, n. 25-30).

23. 3° *Præscriptionis* argumento. Certum est tempore quo Novatores prodierunt, sæc. XVI, dogma de septem sacramentorum existentiâ, in universâ Ecclesiâ sive Romanâ, sive Græcâ, per plura sæcula jam creditum fuisse ; atqui illa fides universalis explicari nequit nisi a traditione apostolicâ oriatur ; ergo.

---

[1] *S. Otto Bambergensis* (circa. an. 1125) primus esse videtur qui, in Sermone ad Pomeranos, septem et septem tantum sacramenta enumeraverit : "Ista ergo septem sacramenta quæ iterum vestri causa enumerare libet, Baptismum, Confirmationem, infirmorum Unctionem, Eucharistiam, lapsorum Reconciliationem, Conjugium et Ordines... Quapropter omni honore ac reverentiâ eadem Sacramenta servate, diligite et veneramini ; docete ea filios vestros, ut memoriter teneant et diligenter observent in omnes generationes" (*Migne*, Patrol. t. 173, p. 1360). Critici quidam putant *Herbordum*, qui vitam S. Ottonis scripsit, auctorem esse hujus Sermonis ad Pomeranos ; sed cum sit S. Ottoni coævus († 1168), certum est jam a sæc. XII septem sacramenta enumerata fuisse. Hæc pariter recensentur in opere de Officiis ecclesiasticis, auctore *Roberto Paululo*, P. L., t. 177, p. 388. — Connumerantur etiam in *statutis synodalibus* S. Sonnacii, ep. Remensis (s. VII) ap. *Migne*, t. 80, p. 443; sed dubia est genuinitas hujus documenti.

24. (A) Probatur *major:* pro Ecclesiâ *Romanâ* constat (a) ex *Decreto ad Armenos* (sæc. XV), in quo septem numerantur sacramenta; (b) ex Conc. Œcum. *Lugdunensi II* (1274), in quo Michael Paleologus Gregorio X fidei Confessionem obtulit, ubi legebatur[1]: "Tenet etiam et docet eadem S. Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta etc."; (c) *ex professione fidei* quæ anno 1210 *Waldensibus* ad Ecclesiam reducibus ab Innocentio III præscripta fuit, in quâ septem singillatim sacramenta commemorantur[2]; (d) ex antiquissimis *Sacramentariis* et *Ritualibus*, necnon ex unanimi theologorum consensu. Quoad Ecclesiam *Græcam*, idem constat: (a) ex declaratione *Jeremiæ*, schismatici Patriarchæ Constantinop., qui Germaniæ Protestantibus respondit (1576): "Dicimus *septem divina sacramenta* esse, Baptismum scilicet etc.... non plura nec pauciora. Et hæc quidem omnia salutis nostræ remedia ipse J. X. Deus et Dominus noster tradidit et sancti ejus Apostoli"; (b) ex *condemnatione Cyrilli Lucaris*, Jeremiæ successoris, qui, calvinianis erroribus imbutus, duo tantum sacramenta admittenda esse docuerat: jamvero hæc assertio ut *hæretica* damnata fuit in Concil. Constantinop. (1638-1642), et Hierosolymitano (1672); (c) ex Conciliis *Florentino* et *Lugdunensi*, quibus Græci schismatici interfuerunt, quin unquam contra existentiam septem sacramentorum protestaverint; (d) ex eorum *Eucologiis* seu Ritualibus, ubi preces ritusque inveniuntur pro septem sacramentis. Idem probari potest quoad *Nestorianos* et *Monophysitas*, jam a sæc. V. extra Ecclesiam rejectos, tum ex Episcoporum illarum nationum declarationibus statim ac Protestantium hæresis eis innotuit, tum ex eorum libris liturgicis, aut testimoniis eorum qui per eorum regionem iter fecerunt[3]. Fatemur equidem quosdam scriptores orien-

[1] Apud *Denzing*, n. 388. — [2] *Denzing.*, n. 370.

[3] Hâc de re legi possunt *Assemani*, Bibl. Orient. de Monophysitis, et de Nestorianis; *Arcudius*, op. cit. l. I, c. 2.; auctores operis "*Perpétuité de la Foi*" (ed. Migne), tom. II, 1257 et seq., tom. III, 665 et seq.; J. B. *Solleri*, apud Acta Sanctorum, t. V. Junii. Aliunde res adeo nota est ut moderni Protestantes id negare non possint; cf. *Schaff*, Creeds of Christendom, vol. I, 50, 54, 64, 77, 81; *Lichtenberger*, op. cit., p. 382.

tales errasse in determinatione singulorum sacramentorum, sed nihilominus septem enumerant ; proindeque cum Ecclesiâ catholicâ consentiunt circa substantiam dogmatis, et particulares errores, in quos inciderunt, facile explicantur si præ oculis habeatur Orientales ecclesias a centro unitatis divulsas, tyrannide oppressas et barbarie obvolutas fuisse [1].

25. (B) *Probatur minor :* atqui illa fides utriusque Ecclesiæ et omnium sectarum orientalium explicari nequit nisi ab ipsis Apostolis oriatur ; nam Græci sæc. IX, sectæ Orientales sæc. V. ab Ecclesiâ Romanâ jam secesserant ; jamvero si ante schisma nonnisi duo vel tria sacramenta admisissent, certe alia nunquam a Latinis suscepissent, præsertim quum Latinis semper *infensos* sese præbuerint, et suarum *traditionum tenacissimos.* Quoties enim de unione cum Latinis actum est, toties infinitæ prope disputationes habitæ sunt de additione " *Filioque* ", de modo Baptismum ministrandi, de pane azymo, de jejuniis, de cantico *Alleluia* ceterisque hujusmodi : nec tamen ulla fuit controversia de septenario numero sacramentorum, licet hæc materia in professionibus fidei inclusa fuerit : nonne hoc est invictum argumentum fidem de septem sacramentis tam antiquam esse ut ante separationem sive Græcorum sive Orientalium, sc. ante quintum sæculum, jam exstiterit, et quidem in universâ Ecclesiâ? Jamvero talis consensus omnium Ecclesiarum in re dogmaticâ, ad praxim quotidianam pertinente, quinto sæculo ubique vigens, non potuit per innovationem induci, sed ab Apostolis ipsis originem ducit ; nam per quatuor priora sæcula, notum est Episcopos veritatis custodes pervigiles et novitatum impatientes fuisse, et fideles fuisse apostolicarum traditionum tenacissimos ita ut statim ac novus error, vel aliquid inauditi prodiit, statim reclamaverint. Ita quando *Donatistæ* validitatem Baptismi ab hæreticis collati impugnârunt, *Encratitæ* Eucharistiæ materiam, *Montanistæ* et *Novatiani* potestatem omnia peccata remittendi, *Aeriani* ordinum distinctionem, *Manichæi* matrimonii honestatem, vel dubia orta sunt circa ministrum et subjectum Ex. Unctionis, Patres indubitanter strenueque catholicam fidem de

[1] De quo vide *Franzelin*, th. XX ; *Pesch*, n. 92.

his omnibus propugnârunt ; quanto magis si nova sacramenta ab aliquo impostore inventa fuissent ? Atqui nulla inveniuntur vestigia controversiarum de Sacramentorum numero in prioribus sæculis, nullæ reclamationes sive Episcoporum, sive fidelium [1]. Ergo recte cum *Tertulliano* [2] concludimus : " Ecquid versimile est ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint ?... Ceterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum ".

26. 4° Confirmatur *argumento convenientiæ.* Vita spiritualis conformitatem habet cum vitâ corporali, ac proinde convenit tot esse media ad vitam spiritualem conferendam vel augendam quot sunt ad vitam corporalem ; atqui in vitâ corporali septem sunt præsertim necessaria, quinque ad perfectionem *individui*, duo ad *societatis* perfectionem ; ad perfectionem *individui* requiritur : **a**) ut nascatur, quod spiritualiter fit per Baptismum ; **b**) ut crescat et roboretur, quod fit spiritualiter per Confirmationem ; **c**) ut nutriatur, quod in vitâ spirituali per Eucharistiam obtinetur ; **d**) ut sanetur ab infirmitatibus, quod spiritualiter fit per Pœnitentiam ; **e**) ut, post morbum, recuperet pristinam valetudinem, quod in vitâ spirituali producitur per Extr. Unctionem, quæ peccati reliquias abstergit. Ad perfectionem *societatis* requiritur : **a**) potestas regendi multitudinem, cui respondet Ordo ; **b**) propagatio generis humani, quæ in ordine spirituali per Matrimonium sanctificatur. Ergo. (*S. Th.* 3, q. 65, a. 1). Nonnulli Protestantes id agnoscere coacti sunt, et stylo poetico harmoniam et convenientiam septem sacramentorum descripserunt [3].

---

[1] Aliunde, ut verba usurpemus *Drouin* (l. cit.), " Edisserant nobis adversarii, quis tandem ille fuerit insani, ut loquuntur, dogmatis fabricator ? Quo nomine appellatus ? Quâ patriâ oriundus ? Cujus instituti professor ? Quâ denique prædictus auctoritate, ut non Occidenti tantum sed Orienti universo, contra doctrinam veterem persuadere potuerit, non duo aut tria sed septem esse Evangelii sacramenta gratiæ efficacia ? Quod si in re tam necessariâ obmutescant, ut revera hactenus, sæpius licet provocati, siluerunt, eos jure nostro mendacii accusabimus, fruemurque interim hereditate nostrâ... "

[2] De præscript. c. 28.

[1] Ita præsertim *Gœthe*, Œuvres, t. 18, p. 262 ; *anglice* Auto-Biography, Bohn's translat. vol. 1, p. 245-248.

Caput II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM [1].

27. Probatâ sacramentorum existentiâ, jam de eorum intrinsecâ constitutione dicendum est, seu de materiâ et formâ quibus constant; dicemus : 1° De *notione* et *existentiâ* materiæ et formæ in sacramentis ; 2° De *mutatione* vitandâ in materiâ et formâ ; 3° De *unione* inter utramque ; 4° De *iteratione* materiæ et formæ.

Art. I. Notio et existentia.

28. 1° *Notio.* Sacramenta duplici constant elemento, scilicet rebus vel actibus et verbis, quod duplex elementum a Scholasticis vocatum est *materia et forma*, ex quâdam analogiâ cum corporibus physicis, quæ, juxta ipsos, ex materiâ et formâ constituuntur. Primus qui hoc loquendi modo usus fuerit probabilius est *Gulielmus Antisiodorensis* initio sæculi XIII.

(A) *Materia*, in sacramentis, est res vel actio sensibilis, ad rationem sacramenti per formam determinanda. Unde materia ex se plus minusve ad plura significanda indifferens est, et per formam determinari indiget : sic aqua, quæ in Baptismo adhibetur, ex se, ad plura ordinari potest, v. g. ad refrigerandum, ad abluendum. Iterum sacramenti materia potest esse : (a) *remota* vel *proxima;* prior est res ipsa sensibilis in se considerata, ut aqua in Baptismo; posterior est rei usus seu applicatio, v. g. ablutio in Baptismo. (b) *Essentialis* vel *integrans;* prior ad sacramenti essentiam pertinet, ut contritio, vel etiam satisfactio in voto pro Pœnitentiæ

[1] *S. Th.* 3 p. q. 60, a. 5-8; *Suarez*, disp. II; *Salmant.* disp. II; *Drouin*, q. I, § 4; *Billuart*, diss. I, a. 4; *de Augustinis*, th. XI; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 8 sq.; *Konings*, n. 1210 sq.; *Marc*, 1399; *Sabetti*, n. 631 sq.; *Lehmkuhl*, de Sacr. n. 10 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 4 sq.

sacramento; posterior ad sacramenti integritatem pertinet ut satisfactio in re.

(B) *Forma* pars est signi sacramentalis quæ materiam ad sacramentum efficiendum determinat; v. g. in Baptismo verba: "Ego te baptizo"... efficiunt ut aqua quæ ex se plura significat, ut lotio et lotio sacra habeatur. Generatim in verbis consistit; in Matrimonio tamen, hocque solo, signa seu nutus verborum locum tenere possunt.

29. 2° *Thesis:* **Omnia N. Legis Sacramenta rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma constant.** Certum est.

(A) *Scriptura* innuit saltem sacramenta illo duplici elemento constitui; nam de Baptismo dicitur [1]: "Nisi quis renatus fuerit ex *aquâ*"... et ita indicatur materia; et insuper: "Docete omnes gentes, baptizantes eos *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*", quibus verbis forma designatur.

(B) Rem aperte declarat *Decretum ad Armenos* ab Eugenio IV in Conc. *Florentino* editum: "Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ et verbis tanquam formâ, et personâ ministri sacramentum conferentis cum intentione faciendi quod Ecclesia facit; quorum si aliquod desit, sacramentum non perficitur".

(C) *Rat. Theol.* (a) Omne compositum naturale duplici constat elemento, uno determinabili, quod materia vocatur, et altero determinativo, quod vocatur forma; atqui sacramentum est compositum morale, in quo *res* adhibita est aliquid indeterminatum, *verba* autem sunt aliquid determinativum; ergo duplici pariter elemento constitui debet. Notetur tamen illum loquendi modum esse analogicum tantum, nihilque aliud significare nisi sacramentum duobus essentialiter elementis constitui. (b) Rationes cur conveniat sacramenta rebus et verbis seu materiâ et formâ constare sic exponit *S. Thomas* (3 p. q. 60, a. 6): ex parte *Christi;* sacramenta suum auctorem repræsentare decet; atqui Christus, sacramentorum auctor, est *Verbum sensibili carni* unitum; ergo sacramenta decebat verbis confici quæ

[1] *Joa.* III, 5.

rebus sensibilibus uniantur; ex parte *hominis*, qui, quum *animâ* et *corpore* constituatur, convenienter sanctificatur per medium constans duplici elemento, verbo quod ab animâ creditur et re sensibili corpus attingente; ex parte *significationis:* per verba enim magis distincte exprimitur quod mente concipitur, proindeque sacramentorum N. Legis significatio per aliqua verba determinari debebat.

Art. II. De mutatione vitandâ in materiâ et formâ.

30. Materia et forma sacramentorum ab ipso Christo determinatæ sunt, ut infra dicetur, nec proinde illas mutare licet. Mutatio autem, quæ occurrere potest, est vel *substantialis* vel *accidentalis;* prior ea est quæ ipsam essentiam sacramenti destruit, posterior ea est quæ sacramenti essentiam licet retinens, materiam vel formam leviter alterat. Hic igitur tres quæstiones practicæ solvendæ inveniuntur.

1° *Quandonam mutatio sit substantialis?*

31. (A) *Quoad materiam,* mutatio est *substantialis,* quando, secundum communem usum et prudentium æstimationem, materia adhibita non est ejusdem speciei et nominis ac materia a Christo determinata. Diximus: "*secundum communem sensum*", quia Dominus, sacramentorum materiam determinando, communem usum et æstimationem potiusquam physicam et chimicam artem respexit: hinc adest mutatio substantialis, si loco aquæ, vinum in Baptismo adhibeatur; item glacies et nix, quamvis chimice sint ejusdem naturæ ac aqua, sunt materia dubia, quia, juxta communem sensum, non reputantur aqua. E contra aqua non benedicta vel aqua calida est materia valida, quia, juxta communem loquendi modum, ut vera aqua existimatur.

32. (B) *Quoad formam,* mutatio est substantialis quando, ex communi hominum judicio, verba adhibita eumdem sensum ac verba a Christo determinata non habent; hâc de re sex dantur regulæ practicæ, his versibus contentæ:

Nil formæ demas, nil addas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

(a) *Nil formæ demas*, i. e., nullam essentialem vocem omittas; v. g. in Bapt. formâ, omissio vocis "*te*" aut unius e SS. Trinitatis personis est substantialis; e contra si pronomen "*ego*" omittatur, sacramentum erit validum.

(b) *Nil addas*, quod legitimæ formæ *sensum* destruere possit, ut si diceretur: "Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris"... Si addatur vox *æquivoca*, tunc valor sacramenti ab intentione ministri pendet; v. g. si quis Baptismi formulæ adderet: "et B. M. Virginis", putans Baptismum vim suam ex B. M. invocatione repetere, Baptismus nullus esset; si quis autem adderet: "et B. Virgo te adjuvet", Baptismus illicitus quidem, sed validus tamen foret.

(c) *Nil variabis*, i. e., nulla adhibeatur vox, *diversum* habens *sensum*, ac vox a Christo determinata; v. g. si quis dicat, "ego remitto tibi peccatum originale in nomine Patris..." etc., Baptismus est invalidus; si autem dicatur, "ego te abluo in nomine Patris", Baptismus validus erit, quia in posteriori casu servatur, in priori mutatur sensus vocis "baptizo",

(d) *Transmutare cave*, i. e., noli per verborum transpositionem formæ sensum tollere, v. g. "in Te, baptizo nomine Patris", Baptismum invalidat; e contra valida est forma: "Te ego baptizo"... quia sensus non mutatur.

(e) *Corrumpere verba*, i. e. vitanda est essentialium vocum corruptio. Hic notandum est facilius induci substantialem corruptionem per mutationem in principio verborum quam in fine; ita "in nomine *Matris*", loco Patris, Baptismum invalidat, dum "in nomine Patria et Filia... etc.", non invalidat, si per ignorantiam [1] aut distractionem dicatur.

(f) *Morari;* interruptio notabilis inter diversa formæ verba, præsertim inter diversas ejusdem verbi syllabas (v. g. juxta quosdam, per medium quadrantem) sacramentum invalidat; e contra *tussis* momentanea non invalidat; attamen, si paulo

[1] Ita *S. Officium* declaravit 3 Aug. 1889 validum esse baptisma a Tonkinensi catechistâ sub hâc formâ ministratum: "Ego te baptizo in nomine Patri Firii et Firitui Sancti". (*Collect. S. C. de Prop. Fide*, Romæ, 1893, n. 531).

longior fuerit, tutius est in praxi integram formam ab initio repetere.

Formæ igitur sacramentorum *distincte* ac modo *audibili* pronuntientur.

2° *Quale peccatum sit mutatio?*

33. (A) *Mutatio substantialis* est peccatum mortale ex *toto genere suo*, i. e. materiæ parvitatem non admittit; potest tamen fieri veniale ex advertentiæ vel consensûs defectu. Ratio est quia tunc sacramentum est invalidum; atqui invalidum reddere sacramentum est semper peccatum grave contra *religionem*, et *sacrilegium*, quum sit rei sacræ abusus; insuper peccatum contra *caritatem* erga proximum, qui sacramenti effectu privatur; imo et contra *justitiam*, quando minister est proprius parochus, qui ex justitiâ sacramenta ministrare tenetur.

34. (B) *Mutatio accidentalis* est peccatum cujus gravitas a mutationis gravitate pendet. Si mutatio, prudentium judicio, gravis censeatur, peccatum erit grave; secus, si levis; v. g. omittere in consecratione calicis: " qui pro vobis effundetur ", censetur grave; omittere in Baptismo " ego ", leve censetur. Ratio cur talis mutatio sit peccatum, est quia omnis mutatio, etiam levis, est profanatio alicujus rei sacræ, et violatio ecclesiastici saltem præcepti.

3° *Quandonam dubiâ materiâ uti liceat?*

35. Dubia materia ea est quæ sacramenti valorem dubium relinquit. His positis, (a) nunquam licet dubiam materiam adhibere, quoties certa materia datur. Nam sequens propositio ab *Innocentio X* damnata fuit: " Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de sacramenti valore, tutiori relictâ ". Ratio est, quia in hoc casu libere et sine ratione sacramentum nullitati exponitur; atqui hoc est gravis irreverentia; ergo est peccatum, et quidem grave.

36. (b) Materiâ dubiâ uti licet, imo oportet, quando materia certa deficit, et simul urget gravis necessitas; v. g. deficiente oleo infirmorum, Ex.-Unctio ministrari potest cum chrismate. Quum enim sacramenta propter homines instituantur, melius est exponere sacramentum nullitati, quam

unum hominem in perditionis statu relinquere. Adest autem gravis necessitas, quando de sacramento ad salutem necessario agitur, scil. de Baptismo pro infante morituro, Pœnitentiâ pro peccatore, aut etiam Extr. Unctione, quando Pœnitentia ministrari nequit.

Art. III. De unione materiæ et formæ.

37. 1° *Principium generale.* Sacramenta, ex dictis, duplici constant elemento; ut valide ministrentur, necesse est ut adsit quædam saltem unio inter materiam et formam. Cum autem sint *compositum morale*, ea unio requiritur et sufficit, quæ, juxta prudentium æstimationem, *totum morale* efformat. Ut judicetur quandonam adsit illa unio, generale principium statuitur: tunc habetur unio sufficiens materiam inter et formam, quando, *attentâ uniuscujusque sacramenti naturâ, formæ veritas salvatur.* Ratio est, quia, dummodo formæ verba verificentur, nihil deest ut verba plenam habeant significationem, et suum effectum producant. Unde materia et forma debent ab eodem ministro poni; secus enim verba formæ vera non essent.

38. 2° *Regulæ practicæ pro validitate.*

(A) *In Eucharistiâ*, requiritur *unio physica* inter materiam et formam seu, aliis verbis, materia debet esse physice præsens, quando sacerdos pronuntiat formam: "Hoc est corpus meum", nam pronomen "*hoc*" verificari non posset, si materia tunc realiter præsens non esset.

(B) In *Baptismo, Confirmatione, Ext.-Unctione* et *Ordine, theoretice* loquendo, sufficit ad validitatem *unio moralis*, quæ existit quando materia applicatur immediate antequam forma pronuntietur, vel immediate postquam prolata est. *In praxi* tamen, quum agatur de *validitate*, tutius est eodem tempore pronuntiare verba et materiam applicare; attamen de valore sacramenti dubitari nequit, si forma inchoetur priusquam materiæ applicatio absolvatur, vel vice versâ. Mora unius *Pater* inter applicationem materiæ et formæ prolationem, a nonnullis ut Sacramentum invalidans consideratur.

(C) In *Pœnitentiâ*, mora temporis longior validitati non obstat, v. g., inter confessionem et absolutionem una hora intercedere potest; nam Pœnitentia naturam judicii sequitur. Attamen confessio absolutionem præcedere debet.

(D) *In Matrimonio*, sufficit ut unius consensus ponatur dum alterius consensus perseverat, nam matrimonium est contractus, et contractûs regulas sequitur.

39. 3° *Regulæ ad liceitatem.*

(a) Ad liceitatem talis unio materiam inter et formam servanda est, qualis ab Ecclesiâ præscribitur; ritus enim ab Ecclesiâ præscripti hâc de re sub pœnâ peccati servandi sunt. (b) Quoad peccati gravitatem, eadem principia sequi oportet ac pro mutatione materiæ et formæ.

Art. IV. De sacramentorum iteratione.

40. 1° *Quandonam iterari possint?* (A) Sacramenta *iterari non possunt* sine gravi peccato, quando de eorum valore prudens dubium non adest; prudens autem dubium existit, quando, *post diligens examen*, et testium interrogationem, perseverat. Ratio hujus regulæ est quia sacramentum iterare, sine ullâ ratione, aut ob inane dubium, gravis erga sacramentum est irreverentia. Hinc si quis, sine sufficienti ratione, integram formam repetat, aut unum verbum ter quaterque, *per se* graviter peccat; *per accidens* tamen excusantur scrupulosi, ob perplexitatem. Venialiter autem peccat qui unum verbum in formæ prolatione sine ratione repetit.

41. (B) *Iterari possunt sub conditione*, quoties prudens adest dubium de eorum valore. Nam tunc dubium est utrum subjectum fructum sacramenti perceperit; atqui timor prudens tanti incommodi est ratio sufficiens iterandi sacramentum sub conditione, vi axiomatis: sacramenta propter homines.

42. (C) Sacramenta *iterari debent* sub conditione, quoties, posito prudenti dubio de eorum validitate, id postulant *caritas, justitia*, vel *religio;* quod quidem præsertim evenit, quando agitur de sacramento necessario, v. g., de Baptismo, aut de Ordine; idem dici potest de Confirmatione, quæ

semel solum conferri potest, et quæ, etsi non necessaria, valde tamen utilis est ad salutem; quoad sacr. Pœnitentiæ, iteranda est absolutio, si pœnitens mortalia peccata accusaverit; talis autem obligatio non adest, si venialia tantum accusata fuerint.

43. 2° *Quomodo iterari possint?* (**a**) Quando sacramentum dubie confectum iteratur, conditio saltem mentaliter est apponenda; sic enim salvatur reverentia erga sacramentum, si forte validum fuerit; nec aliunde impeditur bonum suscipientis per conditionis appositionem, ut infra dicitur. (**b**) Insuper, quando *Baptismus* dubius *publice* iteratur, conditio verbis exprimi debet : v. g. si non es baptizatus, ego te baptizo. Hoc a Rituali præscribitur, ne astantes putent Baptismum absolute ministrari. Imo melius est conditionem exprimere quoties aliud sacramentum iteratur, quamvis hoc non præcipiatur.



Caput III.
DE SACRAMENTORUM EFFECTIBUS.

In hoc capite, disputabimus de sacramentorum effectibus, nempe: 1° *De Gratiâ*, 2° *de Charactere.*

Art. I. De Gratiâ.

Quoad Gratiam, quatuor quæstiones inquirendæ sunt, scilicet *quomodo* producatur, *qualis* et *quanta* sit, et utrum impedita *reviviscat.*

I. De modo quo N. Legis sacramenta suum producunt effectum [1].

44. 1° *Status quæstionis.* (A) *Doctrina catholica.* Doctrina catholica est sacramenta Novæ Legis suos effectus *ex opere operato* producere, ita ut sint *vere, licet instrumentaliter, causæ gratiæ.* Et primo quidem sacramenta non sunt causæ principales gratiæ, sed solum *instrumentales;* nam solus Deus, ut dicitur *in Tr. de Gratiâ*, gratiam primario conferre potest; pariter solus Christus est causa *meritoria* omnis gratiæ quam in præsenti ordine accipimus; igitur sacramenta gratiam non propriâ virtute, sed virtute a Deo receptâ, conferunt; sicut penna non scribit propriâ virtute, sed virtute ab ipso scriptore receptâ. Attamen *ex opere operato* [2] gratiam producunt, i. e. non *ex opere operantis*, seu

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 62; *Suarez*, disp. VII, sect. I; *Salmant.* disp. IV, dub. 1; *Bellarminus*, l. II, c. 1. 13; *Drouin*, q. IV, c. 1; *Franzelin*, th. 6. 11; *de Augustinis*, th. 6; *Sasse*, th. 6-9,

[2] Protestantes contendunt vocabulum hujusmodi novum esse ac proinde rejiciendum; novum est quidem, si soni ratio habeatur, nam nonnisi sæc. XII usurpari incœpit, sed novum non est quoad sensum, ut ex thesi patebit. Jamvero Ecclesia jus habet novis utendi verbis ut clarius dogma catholicum exponatur, sicut revera vocabula *Trinitatis*,

aliis verbis, non ex sanctitate ministri, aut merito suscipientis, sed per ipsam *materiæ ac formæ applicationem* rite factam, eo sensu quod signum sensibile vere gratiam contineat et conferat, ultra ministrantis et recipientis meritum, *dummodo* tamen *non sit obex*, sed e contra adsint in adultis *requisitæ dispositiones*. Igitur, quidquid Protestantes calumnientur, juxta catholicam doctrinam, requiruntur internæ dispositiones ad fructuosam sacramenti receptionem, sed illæ dispositiones non sunt causa instrumentalis gratiæ, sed tantum præviæ conditiones ad justificationem.

(B) *Errores*. *Protestantes* in varias abeunt sententias circa modum operandi sacramentorum. (a) *Zwingliani*, *Sociniani* et *Unitarii* docent sacramenta esse solum externas cæremonias, quibus Christiani a Judæis et Gentilibus distinguuntur, sed nullam gratiam producere [1]. (b) *Calvinistæ* seu *Presbyteriani* tenent quidem sacramenta gratiam producere, sed solum ex opere operantis, scil. excitando fidem, et per fidem gratiam indirecte causando [2]. (c) *Lutherani* admittunt pariter sacramenta gratiam producere, sed per virtutem divinam inhærentem verbis in sacramentorum administratione adhibitis: verba enim illa, inquiunt, *concionatoria* sunt, seu ex se fidem in cordibus excitant, et *promissoria* quatenus divinas promissiones continent et in memoriam revocant.

45. 2° *Thesis:* **Sacramenta Novæ Legis gratiam conferunt ex opere operato omnibus obicem non ponentibus,** *seu aliis verbis sunt* **causæ instrumentales gratiæ.** *De fide est ex Tridentino* (sess. VII, can. 6, 8): "Si quis

Incarnationis, consubstantialitatis adhibuit ad hæreses dilucidius confutandas. Nec dicatur verbum *operari* esse *deponens* ideoque sensu passivo non esse usurpandum; quædam enim exempla hujusmodi apud profanos auctores inveniuntur et aliunde "melius est ut nos reprehendant grammatici quam non intelligant populi" (*S. Augustinus*).

[1] "Sacramentum nihil aliud est quam oppigneratio, quâ se homines obligant Christo, ejusque militiæ nomen dant". (*Zwinglius*, de V. et falsâ Relig. C. de Sacram.)

[2] "Fixum maneat non alias sacramentorum quam verbi Dei partes, quæ sunt offerre nobis ac proponere Christum, et in eo cœlestis gratiæ thesauros". (*Calvinus*, Instit. l. IV, c. 14).

dixerit sacr. N. Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, A. S." "Si quis dixerit, per ipsa N. L. sacr. ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S." Obex de quo agitur, est animæ dispositio gratiæ infusioni repugnans vel absolute, vel secundum præsentem Dei providentiam, ut defectus fidei, spei, attritionis in sacramentis mortuorum, et conscientia peccati mortalis in sacramentis vivorum.

46. (**A**) *Prob. Scripturâ.* "Nisi quis renatus fuerit *ex* aquâ et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei"[1]; "Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te *per* impositionem manuum mearum"[2]; "Salvos nos fecit *per* lavacrum regenerationis"[3]. Ex quibus textibus duplex argumentum deducitur, unum generale, alterum speciale pro Baptismo: (**a**) ibi enim declaratur gratiam conferri *per* sacramenta et *ex* sacramentis; atqui particulæ "*per* et *ex*", cum contextu sumptæ, significant gratiam instrumentaliter, seu ex opere operato, a sacramentis causari; nam ex se tria significare possunt, causam principalem, causam instrumentalem, vel causam dispositivam; atqui hic certe causam principalem gratiæ, quæ solus Deus est, non designant, nec pariter causam dispositivam, quum nec aqua, nec manuum impositio dispositiones esse possint; ergo causam instrumentalem manifestant.

Objiciunt quidem Protestantes in multis Scripturæ locis justificationem, seu gratiæ collationem, fidei tribui: "Arbitramur justificari hominem per fidem"[4]. Hæc autem potius nostram thesim confirmant; nam, si Protestantes ex præfatis et similibus verbis deducunt fidem esse causam instrumentalem justificationis, nonne pari jure concludere possumus ex verbis supra allatis: "per lavacrum regenerationis", scil. Baptismum, per manuum impositionem (Con-

[1] *Joa.* III, 5. — [2] *II Tim.* I, 6. — [3] *Tit.* III, 5. — [4] *Rom.* III, 28.

firmationem et Ordinem), sacramenta esse vere causas instrumentales gratiæ? Neque ex hoc inferre licet fidem esse justificationis causam instrumentalem : nam fides sese habere potest per modum dispositionis, ideoque ex contextu determinandum est utrum fides sit *dispositio* vel *causa instrumentalis*, ut jam in *Tr. de Gratiâ* investigatum est. Optime igitur cum Scripturâ concordat doctrina catholica, juxta quam tum sacramenta, tum fides ad producendam gratiam concurrunt : sacramenta, ut causæ instrumentales, fides, ut una ex causis dispositivis. (b) In textu, " nisi quis renatus fuerit ex aquâ " etc. Christus certo loquitur de spirituali regeneratione per gratiam ; atqui regeneratio ista tribuitur aquæ, seu Baptismo, tanquam causæ ; nam eadem præpositio *ex* adhibetur pro aquæ et Spiritus sancti actione; atqui, juxta Protestantes ipsos, Sp. Sanctus est vera justificationis causa ; ergo et aqua pariter est ejusdem causa; aliunde principalis causa esse non potest ; ergo est causa instrumentalis.

Objiciunt nonnulli Protestantes vocem " *ex aquâ* " sensu metaphorico, intelligendam esse, sicut in Matthæo[1] : " Ipse vos baptizabit in Sp. Sancto et igni ". Sed talis interpretatio *contextui* manifeste opponitur : nam in eodem capite Christus exhibetur ut baptizans reali baptismo aquæ[2], ac proinde de reali et non metaphorico baptismo cum Nicodemo locutus est ; *textui* ipsi opponitur : nam verba a Christo adhibita adeo clara sunt ut, si de baptismo metaphorico intelligantur, omnes alii textus circa Baptismum metaphorice interpretari possint, ut libenter agnoscit Protestans *D. Alford*[3]. Quoad textum S. Matthæi, potest *litteraliter* intelligi de igne qui in die Pentecostes super Apostolos descendit ; si autem metaphorice interpretetur, adest ratio, scil. impossibilitas physice baptizandi in igne, dum in casu nostro, nulla est ratio detorquendi vocem " *ex aquâ* " ad sensum metaphoricum.

47. (B) *Traditione.* (a) *Ex Patribus.* Quidam inter Patres comparant baptismalem aquam *utero materno;* (ita *S. Gregorius Nyss.*, Orat. in Bapt. Christi, *S. Chrysostomus* etc.)[4]; ergo sicut maternus uterus virtutem habet corporalem vitam causandi, ita pariter baptismalis aqua spiritualem vitam producendi virtutem obtinet. Alii comparant

[1] *Matt.* III, 11. — [2] *Joa.* III, 22-26. — [3] *Alford*, Greek Test. in h. loc.

[4] " Quod est matrix embryoni hoc est *aqua* (baptismi) fideli : in aquâ enim fingitur et formatur ". (*S. Chrysost.* in Joa. hom. 26 al 25).

operationem Spiritûs S. super baptismalem aquam, operationi Spiritûs aquas fecundantis (*Gen.* I, 2); ergo, sicut aquæ, sub Spiritûs influxu, pisces ac reptilia produxerunt, ita baptismalis aqua vim habet divinitus infusam Christianos efficiendi, spiritualem vitam eis largiendo[1]. Alii tandem docent non ex meritis ministrantis vel suscipientis, sed virtute a Christo acceptâ, homines sanctificari : "Non eorum meritis a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, sed propriâ sanctitate atque veritate propter eum a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem" (*S. Aug.* contra Cresconium, l. IV, c. 16, n. 19.)

(b) *Ex praxi Ecclesiæ.* Semper, in Ecclesiâ, baptizati sunt *infantes et amentes;* imo pleræque Protestantium sectæ etiam hodie infantes baptizant; atqui si sacramenta gratiam ex opere operato non conferunt, sed solum fidem excitant, ut fingunt Protestantes, talis baptismus omnino invalidus est ac inutilis; quum neque infantes, neque amentes fidei actus sint capaces. Ergo. Vim hujus argumenti Protestantes senserunt, et ita respondent : juxta *Lutherum*, parvuli *miraculose credunt*, cum baptizantur, Deo illos juvante. Sed contra, tantum miraculum sine probatione admitti nequit, et Lutherus nullam probationem tanti portenti affert. Juxta *Calvinum* et *Hodge*[2], Baptismus infantibus prodest, quando rationis usum attingunt, et recordantur se baptizatos fuisse ; tunc enim eorum fides excitatur. Sed primo multi usum rationis non attingunt et tamen sacramenti gratiam recipiunt; insuper quomodo illi qui supervivunt, rem quam nullo modo perceperunt, recordari possunt? Tandem Baptismus suos effectus tempore quo confertur, non postea, regulariter producere debet. Juxta alios, Baptismus parvulis in fide Ecclesiæ confertur, sed hæc est mera æquivocatio; nam fides justificans, juxta ipsos Protestantes, non est fides communis Ecclesiæ, sed fides personalis, et unicuique propria.

[1] Sic iterum *Chrysostomus* (l. cit.) : "Primum dicebatur : producant aquæ reptile animæ viventis (*Gen.* I, 20); ex quo autem Jordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Spiritum S. ferentes aqua producit".

[2] *Hodge*, Systematic. Theol., vol. III, p. 590.

48. 3° *Corollarium :* Verba formæ non sunt necessario *concionatoria* vel *promissoria*, sed gratiæ productiva.

De fide est, ex *Trid.* (sess. VII, can. 5) : "Si quis dixerit hæc sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, A. S." Etenim (a) sumantur duo sacramenta quæ a Protestantibus admittuntur, Baptismus et Eucharistia; verba quæ tanquam forma in illis adhibentur nullam exhortationem, nullam promissionem præ se ferunt; dicitur simpliciter: "Ego te baptizo"; "hoc est corpus meum"; si Christus voluisset sacramentalem gratiam per concionis modum conferri, loco instituendi formam supra enuntiatam, quæ simplex factum enuntiat, instituere debuisset formam aliquas promissiones aut exhortationes continentem; quod tamen minime fecit; ergo. (b) Insuper si sacramenta per modum concionis, vel promissionis operentur, ad eorum fructum percipiendum necesse non est eadem recipere, sed eorum administrationis testes esse, quum astantes verba audire possint æque ac ipsi recipientes; quod quidem nemo admittere potest; ergo.

49. 4° *Controversia de causalitate physicâ vel morali sacramentorum.*

Ex dictis sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ; sed causa instrumentalis duplex esse potest, *physica* vel *moralis;* prior ea est quæ effectum producit per realem influxum a causâ principali transeuntem; sic penicillus quo pictor utitur, est causa instrumentalis *physica* picturæ, quia a pictoris manu physicam motionem recipit, et vi illius motionis realiter pingit; posterior ea est quæ effectum producit, movendo et alliciendo moraliter causam principalem ad agendum, v. g. epistola ad Reipublicæ Præsidem scripta a præstanti viro, ad veniam pro reo obtinendam, causa instrumentalis *moralis* esse potest cur venia concedatur. Quærunt igitur theologi utrum sacramenta sint causa instrumentalis physica vel moralis gratiæ.

50. (A) Juxta *Scotistas*, multosque modernos theologos[1], sacramenta sunt tantum causa instrumentalis *moralis* gratiæ, ac proinde sunt veluti epistola a Christo scripta, quâ Deus ad gratiam nobis concedendam infallibiliter movetur; nihil enim amplius deduci potest ex textibus Script. et Tradit.; aliunde difficile concipitur quomodo signum mere sensibile possit physice continere et transmittere spiritualem gratiam; insuper modus operandi sequitur

[1] Cf. *Franzelin*, th. 11; *de Augustinis*, th. 18; *Tepe*, n. 46 sq.

esse; jamvero sacramenta sunt morale compositum; ergo moraliter operantur.

51. (B) Juxta *Thomistas*, *Suarez*, aliosque[1], sacramenta sunt non solum causa moralis, sed etiam *physica* gratiæ, ac proinde sunt veluti canales per quos physice et realiter gratia in animam nostram transit; verba enim *Scripturæ*, et *Patrum* comparationes, de causalitate physicâ melius intelliguntur; et aliunde sacramenta, licet sensibilia, possunt esse vehicula gratiæ, sicut voces sensibiles possunt esse vehicula cogitationis. (a) Objicitur quidem sacramentum esse ens *transiens* quod amplius non existit eo præcise instanti quo gratia confertur; ergo physice operari nequit. Sed ad physicam causalitatem minime requiritur ut sacramentum totum simul existat; sufficit ut, tempore quo gratia producitur, aliquid signi sensibilis remaneat; quod fit in sacramentis; nam in ultimo instanti prolationis verborum effectus statim producitur. (b) *Instant* adversarii: de ratione instrumenti physici est ut vere et realiter tangat subjectum in quod agit; atqui sacramentum animam tangere nequit. *Resp.:* sacramentum animam attingit non quidem ratione suî, sed ratione *virtutis* ipsi supernaturaliter insitæ, sicut sol corpora nostra tangit non substantiâ suâ, sed contactu virtutis et caloris. (c) *Instant* iterum: repugnat virtutem spiritualem inesse enti corporeo, quale est sacramentum. *Resp.:* repugnat quidem virtutem spiritualem inesse enti corporeo *ex se et permanenter*, sed "nihil prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet corpus potest moveri ab aliquâ substantiâ spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum, sicut et in ipsâ voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis" (*S. Th.* l. c. ad 1). (d) Sacramenta ficte suscepta, remoto obice, gratiam causare possunt; atqui non physice eam producunt, quum amplius non existant; ergo. *Resp.:* etiamsi in hoc casu moraliter agerent, non exinde sequitur ea in omni casu moraliter tantum operari. Aliunde sacramenta, quæ reviviscunt, generatim characterem imprimunt, et mediante charactere, physice gratiam producere valent, etiamsi non amplius subsistant.

(C) Tertiam opinionem, sub aliquo respectu novam, exponit *Billot* (th. 7, p. 106-125 ed. 1896), quem studiosi lectores adire possunt.

II. Qualis producatur gratia?

Gratia a sacramentis producta, duplex est: gratia *communis* seu sanctificans, et gratia *sacramentalis*.

52. 1° *De Gratiâ sanctificante.* Gratia sanctificans, quam sacramenta conferunt, est *prima*, vel *secunda*; *prima*

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 62, a. 4; *Suarez*, disp. IX; *Salmant.* disp. IV, dub. 3-4; *Billuart*, diss. III, a. 2.

ea est quæ infunditur quando homo de statu peccati mortalis in statum gratiæ transit; *secunda* vero primæ gratiæ est augmentum; sunt igitur potius ejusdem gratiæ gradus quam diversæ gratiæ. His positis, inquirendum est quænam gratia a sacramentis producatur *per se*, vel *per accidens*.

53. (A) *Per se.* (a) Duo sacramenta sc. *Baptismus* et *Pœnitentia* primam gratiam *per se*, seu *ex primariâ institutione* conferunt, ideoque vocantur sacramenta *mortuorum*, quia spiritualiter mortuos vivificant. Hæc enim directe ad remittendum originale vel actuale peccatum mortale instituta sunt, ut infra probabitur; atqui illa peccata non remittuntur nisi per sanctificantis gratiæ infusionem, ac proinde gratiam primam; ergo.
(b) Quinque alia sacramenta, *per se, seu ex primariâ institutione*, secundam gratiam conferunt, et vocantur sacramenta *vivorum*, quia ii soli qui spirituali vitâ jam fruuntur ad ea accedere possunt. Etenim illa quinque sacramenta directe ad vitam spiritualem augendam instituta sunt; scil. *Confirmatio* ad corroborandum justum in fide et gratiâ; *Eucharistia* ad illum nutriendum; *Extr. Unctio* ad eum muniendum pro ultimo certamine; *Ordo* ad speciales gratias Ecclesiæ ministris tribuendas; *Matrimonium* ad sanctificandos conjuges christianos; atqui hæc omnia supponunt vitam spiritualem seu primam gratiam in suscipientibus existere; ergo illa sacramenta non primam, sed secundam gratiam directe conferunt.

54. (B) *Per accidens.* (a) Sacramenta mortuorum aliquando *gratiam secundam* per accidens producunt, quando scilicet suscipiens primam gratiam jam possidet. *Certum est;* nam sacramenta omnibus non ponentibus obicem gratiam conferunt, ex dictis; porro qui jam gratiam possidet in recipiendo Baptismum et Pœnitentiam, certo non ponit obicem; ergo gratiam, non primam quidem, quâ jam ornatur, sed secundam accipit. (b) Sacramenta vivorum possunt etiam *per accidens* gratiam primam producere, scilicet quando quis, in statu mortalis peccati versans, bonâ fide se esse justificatum credit, et cum attritione recipit unum ex vivorum sacramentis; quod evenire potest, quia non recordatur de peccato commisso, aut putat illud per contritionem

perfectam esse remissum, aut fuit invalide absolutus a sacerdote. Quæ sententia non est quidem certa, sed *probabilior* et *communior* inter Theologos [1]. Ratio est quia sacramenta gratiam conferunt omnibus non ponentibus obicem; atqui subjectum, in casu allato, non ponit actualem obicem sacramento, quum sit in bonâ fide; aliunde peccatum, antea commissum, et nondum remissum, non est obex gratiæ, quia peccatum sincere retractatum obex dici nequit; siquidem quod gratiæ infusioni obstat, est peccatum actualiter vel habitualiter amatum; ergo sacramenta in casu allato per accidens gratiam, et quidem primam, causant.

55. 2° *De Gratiâ sacramentali.* (A) *Existentia. Singula Novæ Legis sacramenta producunt gratiam propriam, quæ sacramentalis vocatur.* Certum est. Etenim sacramenta instituta ad diversos fines specialem effectum producere debent; atqui sacramenta instituuntur ad diversos omnino fines, ut ex *Decreto ad Armenos* constat: " Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratiâ et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divinæ Eucharistiæ alimoniâ " etc.; ergo sacramenta diversos gratiæ effectus producunt, seu gratiam sacramentalem.

56. (B) *Natura.* Gratia sacramentalis, juxta communem sententiam, non est habitus realiter distinctus a gratiâ sanctificante, *sed ipsamet gratia habitualis* cum speciali vigore [2], et jure ad speciales gratias actuales suo tempore conferendas. Ratio est quia non sunt multiplicandi habitus sine necessitate. Res autem pro singulis sacramentis sic explicari potest. (a) Gratia sacramentalis Baptismi dat specialem vigorem ad novam vitam instituendam, et Baptismi vota adimplenda. (b) Confirmatio ordinatur ad fidem alacriter et fortiter propugnandam; (c) Eucharistia, ad nu-

[1] Cfr. *S. Thom.* 3 p. q. 79, a. 3; *S. Alphonsus*, n. 6, cum auctoribus ibi citatis.

[2] Non pauci theologi putant gratiam sacramentalem non addere hunc specialem vigorem, sed solum conferre jus ad gratias actuales tempore opportuno conferendas. (Cf. *de Augustinis*, th. 19).

triendam animam, eamque per caritatem Deo uniendam; (d) Pœnitentia ad præterita peccata expianda et nova vitanda; (e) Extr. Unctio ad peccati tollendas reliquias, ultimasque tentationes superandas; (f) Ordo ad recte sancteque regimen spirituale animarum exercendum; (g) Matrimonium ad fidelitatem mutuo servandam, caste vivendum, et prolem pie educandam.

Insuper, quando occurrit specialis obligatio adimplendi officia in sacramentorum receptione imposita, conferuntur a Deo, vi ipsius sacramenti, *gratiæ actuales speciales*, ut illa officia suaviter et facile adimpleantur, et quidem abundantiores et intensiores quam alias darentur.

III. De quantitate gratiæ per sacramenta collatæ[1].

57. Quânam proportione sacramenta specie inter se diversa, ut Baptismus et Confirmatio, gratiam conferant, prorsus incertum est: hoc enim a liberâ Dei voluntate pendet, de quâ nil in Scripturâ et Traditione legitur. Unum declarat *Tridentinum*, scilicet ea non esse paria[2]: "Si quis dixerit hæc septem sacramenta ita esse inter se paria ut nullâ ratione aliud alio sit dignius, A. S." (Can. 3). Quoad sacramenta ejusdem speciei sequens thesis rem declarabit.

58. *Thesis:* **Sacramenta ejusdem speciei per se conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem vero inæqualiter dispositis.** *Ita communiter.*

Dicitur *per se*, quia per accidens, scilicet ex Dei speciali misericordiâ, vel ex speciali ministri fervore, sacramenta possunt majorem gratiæ gradum in uno quam in altero producere; sed tunc ille effectus non confertur *ex opere operato*, seu vi ipsius sacramenti, sed potius occasione.

(A) *Ex Tridentino* (Sess. VI. c. 7), Deus justitiam seu gratiam confert, secundum propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem: "justitiam in nobis recipientes

[1] Cf. *S. Thom.* 3 p. q. 69, a. 8; *Suarez*, disp. VII, sect. 5; *Salmant.* disp. IV, dub. 8; *de Augustinis*, th. 21.

[2] Juxta *S. Thomam* (q. 65, a. 3), quem communiter sequuntur theologi, ratione dignitatis primo loco venit Eucharistia, quæ non solum gratiam sed gratiæ auctorem continet, deinde Ordo, qui ad Eucharistiæ consecrationem spectat, tertio Confirmatio, quarto Baptismus, quinto Matrimonium, sexto E. Unctio, ultimo Pœnitentia.

unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem"; atqui, æqualiter dispositi æqualem cooperationem afferunt; ergo æqualem gratiam recipiunt; e contra, inæqualiter dispositi inæqualem dispositionem afferunt; ergo.

(B) *Rat. conv.* (a) Sacramenta agunt veluti causæ naturales; atqui causæ naturales, sive morales, sive physicæ, in eisdem circumstantiis eosdem producunt effectus, dum e contra inæquales effectus producunt in subjectis inæqualiter dispositis; ita idem ignis inæqualem calorem producit in ligno arido et in ligno humido; ergo. (b) Ad suavem Dei providentiam pertinet ut homines excitentur ad recipienda sacramenta cum maximâ devotione et reverentiâ; atqui ille effectus optime obtinetur præcise si majorem gratiam in illis, qui melius sunt dispositi, sacramenta producant; tunc enim, propter spem majoris fructus, melius ad sacramenta se disponent.

59. Dispositio quæ gratiam augere potest, duplex est: (a) imprimis *virtualis* fervor et præsertim *actualis*, in ipsâ sacramenti receptione; et ille fervor eo major est quo major caritas vel contritio existit in animâ. (b) Insuper, juxta plures, quantitas gratiæ habitualis jam existens in animâ; nam cum caritatis virtus sanctificantis gratiæ quantitati proportionetur, quo major est hæc gratia, eo major est caritas, ac proinde eo ferventiores esse possunt caritatis actus in susceptione sacramenti. Exinde apparet quanti momenti sit præparatio ad sacramentorum receptionem, sive remota, sive proxima.

IV. Quomodo impedita gratia reviviscat?[1]

60. Hucusque diximus de gratiâ iis collatâ qui obicem non ponunt. Sed aliquando evenit ut sacramentum sit valide confectum, licet nulla gratia a suscipiente recipiatur, propter obicem. Obex autem duplex esse potest: (a) *Po-*

[1] Cf. *S. Thom.* in 4 dist. 4, q. 3, a. 2, quæstiunc. 5; 3 p. q. 69, a. 10; *Suarez*, disp. VIII, sect. III; *Salmant.* disp. IV, dub. 6; *de Augustinis*, th. 22; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 87; *Lehmk.* n. 9; *Marc*, n. 1397.

sitivus, quando quis, licet propriæ indispositionis conscius, ad sacramentum accedit ; (b) *Negativus*, si dispositionis defectus non sit voluntarius, propter ignorantiam invincibilem seu bonam fidem. In utroque casu, defectus dispositionis vocatur *fictio*, et sacramentum ita susceptum dicitur *ficte susceptum*, quia suscipiens aliquo modo fingit se esse dispositum, dum revera non est.

Existentia illius reviviscentiæ

61. 1° *Baptismus ficte susceptus, remoto obice, quoad gratiam reviviscit.* Ita communiter contra Scotum paucosque alios. Baptismus autem ficte suscipitur in adulto per attritionis supernaturalis defectum, aut a fortiori fidei.

(A) Prænotamus, juxta Conc. *Trident.* (Sess. VI, cap. 14; XIV. cap. 4) nullum mortale peccatum remitti in N. Lege nisi per aliquod sacramentum (scil. Bapt. vel Pœnitentiam) in re vel in voto susceptum : "docet... ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto*, quod in illâ includitur, non esse ascribendam". Unde sic : juxta omnes, existere debet etiam pro illo qui Baptismum ficte recepit, medium obtinendi remissionem originalis peccati; atqui, nisi Baptismus reviviscat quoad gratiam, nullum erit medium ; scilicet non novum Baptisma, quum hoc valide susceptum renovari nequeat ; non Pœnitentiæ sacr., quod minime ordinatur ad delendum originale peccatum ; nec tandem contritio cum Baptismi voto, quia nemo potest desiderare iterationem Baptismi jam valide suscepti; ergo unicum remanet medium, scil. reviviscentia gratiæ per obicem impeditæ.

(B) Ex auctoritate Patrum et Theologorum, præsertim *S. Augustini* qui de Baptismo apud hæreticos vel schismaticos collato disserens, declarat illum non produxisse gratiam quando ministrabatur, et addit : " tunc incipit valere idem Baptismus, cum ad Ecclesiæ pacem venerint" (De Bapt. lib. 3, c. 13).

(C) *Ratione conv.* Sacramenta enim operantur sicut causæ naturales ; jamvero causæ naturales, quarum effectus per obstaculum impeditur, generatim illum effectum producunt, obstaculo remoto; v. g. lapis a summo monte descen-

dens, apposito obstaculo, consistit; sed statim ac removetur obex, iterum deorsum tendit; ergo.

62. 2° *Ordo, Confirmatio, Matrimonium et Ext. Unctio reviviscere possunt quoad gratiam.* Ita probabilius contra Vasquez paucosque alios.

(**A**) Confirmatio et Ordo characterem imprimunt, et hominem constituunt in statu a quo recedere nequit, et in quo speciali indiget gratiâ ad obligationes suas adimplendas; atqui, si hæc sacramenta non reviviscant, homo semper privabitur illâ speciali gratiâ sibi moraliter necessariâ, quum præfata sacramenta iterari non possint: quod quidem divinæ bonitati repugnare videtur; ergo.

(**B**) Idem fere dici potest de Matrimonio, quod ex unâ parte hominem constituit in statu in quo valde indiget speciali gratiâ, et ex alterâ iterari nequit, vivente conjuge; et de Extr. Unctione, quæ gratias confert valde utiles pro articulo mortis, nec aliunde in eodem mortis periculo iterari potest; ergo.

63. 3° *Pro Pœnit. et Eucharistiâ.* (**A**) Quoad Pœnitentiam, quum tres actus pœnitentis sint, juxta communem sententiam, materia proxima sacramenti, vix concipi potest quomodo hoc sacramentum validum esse possit et simul infructuosum; adest tamen casus, in quo *probabiliter* reviviscere potest; si quis, v. g., duo peccata mortalia commiserit, unum furti, alterum blasphemiæ, et blasphemiæ prorsus immemor, solum furtum accuset, et de eo doleat ex supernaturali illius peccati turpitudine, sacramentum in hoc casu vere conficitur, nec tamen suum producit effectum, quia adest obex, scil. peccatum blasphemiæ de quo pœnitens non dolet; si autem postea removeatur obex, gratia sacramenti reviviscit. Ita *Lugo*, de Pænit. d. XIV, n. 65.

(**B**) Eucharistia autem, juxta communem sententiam, non reviviscit, saltem quando obex fuit voluntarius, nisi forte removeatur obex antequam sacræ species consumantur: nam (**a**) nulla adest specialis necessitas, cum illud sacramentum iterum suscipi possit; (**b**) insuper indecorum omnino videtur, ut qui sacrilege communionem suscepit, postea fructum communionis recipiat, et quidem eo uberiorem quo sæpius sacrilegia commiserit.

Conditiones illius reviviscentiæ.

64. 1° *Pro obice negativo.* Quando obex fuit negativus, seu involuntarius, et nullum aliud mortale peccatum postea fuit commissum, requiritur et sufficit attritio supernaturalis ad tollendum obicem, et gratiam producendam. Hoc communiter asseritur pro sacramentis mortuorum, et probabiliter etiam pro vivorum sacramentis; etenim obex negativus nihil aliud est nisi absentia dispositionis requisitæ, ac proinde obex ille removebitur statim ac illa dispositio aderit; atqui attritio supernaturalis est dispositio sufficiens ad sacramenta mortuorum; imo eadem attritio sufficere potest in sacramentis vivorum *per accidens*, quando scilicet quis bonâ fide putat se esse in statu gratiæ; ergo.

65. 2° *Pro obice positivo.* Quando obex fuit positivus, seu voluntarius, aut aliquod mortale peccatum fuit commissum postea, ad hoc ut gratia sacramenti reviviscat, requiritur absolutio cum attritione, vel contritio perfecta cum voto sacramenti. In hoc enim casu obex fuit peccatum mortale sacrilegii formaliter commissum; atqui tale peccatum nonnisi per sacramentum Pœnitentiæ aut perfectam contritionem tolli potest.

66. 3° *Controversia.* Controvertitur inter Theologos utrum gratia reviviscens, obice remoto, detur omnibus æqualis, aut secundum gradum dispositionis, quâ removetur obex. Nil certum hâc de re dici potest. Probabilior nobis videtur sententia asserens gratiam tunc dari secundum subjecti dispositiones; nam, ex dictis, regulariter sacramenta gratiam conferunt secundum uniuscujusque dispositionem; atqui actus, quo removetur obex, sese habet per modum dispositionis; ergo, quo ferventior est, eo major infunditur gratia.

Art. II. De Charactere Sacramentali [1].

67. *Status quæstionis.* Hucusque diximus de primario sacramentorum effectu, scil. de gratiâ; sed, præter gratiam,

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 63; *Suarez*, disp. XI; *Salmantic.* disp. V; *Bellarminus*, l. II, c. 18-22; *Billuart*, diss. IV; *Drouin*, q. V, c. 2; *Franzelin*, th. 12-13; *de Augustinis*, th. 23; *Hurter*, n. 308 sq.

tria sacramenta characterem in animâ producunt ; de quo dicendum superest.

1° Character (a græcâ voce Χαρακτηρ quæ idem significat ac figura, signaculum, nota) definitur : *Signum, seu signaculum quoddam spirituale et indelebile, in animâ impressum, quo homines apti efficiuntur ad aliquid sacri suscipiendum vel agendum.*

Dicitur (a) *signum spirituale*, non autem sensibile, quia est veluti nota *interna*, quâ fideles, qui hoc signum susceperunt, ab aliis, coram Deo, Angelis et Beatis, distinguuntur.

(b) *Indelebiliter* in *animâ* impressum ; quibus verbis designatur characteris *subjectum* ejusque præcipua qualitas, scilicet *perpetuitas.*

(c) *Quo homines apti efficiuntur ;* illud enim signum non est merum ornamentum, sed dat potestatem aliquid sacri agendi vel recipiendi.

68. 2° Existentiam characteris sacramentalis negaverunt tum *Wicleffus*, tum *Protestantes*, eo quod Scriptura et Patres altum silentium servant de tali charactere, cujus primus excogitator fuit *Innocentius III*, initio sæculi XIII [1] ; aliunde in quo consistat illud signum explicari nequit; ideoque tanquam mediævum inventum rejiciendum est.

I. De ejus existentiâ.

69. *Thesis :* **Tria sacramenta characterem spiritualem imprimunt in animâ, sc. Baptismus, Confirmatio et Ordo.** *De fide est*, utpote definitum a *Trident. :* " Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in animâ, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, A. S." (Can. 9). Huic definitioni jam præiverat *Florent.* seu Decretum ad Armenos, ubi hæc insuper leguntur : " reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt ".

[1] Innocentius ab Archiepiscopo Arelatensi interrogatus, utrum dormientibus et amentibus *baptismatis character* imprimatur, respondit illum qui non absolute invitus est, recipere hujusmodi characterem; uterque igitur supponit doctrinam de charactere extra controversiam esse, et nemo nisi malæ fidei tenere potest Innocentium hujus doctrinæ inventorem fuisse.

70. 1° Ex *Scripturâ* thesis non probatur, sed solum insinuatur, in his et similibus textibus: "Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et *signavit* nos, et dedit *pignus* Spiritûs in cordibus nostris"[1]; "In quo et credentes *signati* estis"[2]. Ibi enim, præter unctionem gratiæ et habitationem Spiritûs, commemoratur alius effectus, sc. sigilli impressio, (hic est enim sensus græcæ vocis σφραγιζάμενος), et, licet stricte intelligi possit de gratiæ sigillo, melius tamen interpretatur de charactere per quædam sacramenta impresso, præsertim si Patrum auctoritas simul invocetur; ita v. g. *S. Cyrillus Hier.* (catech. 17) docet Spiritum sanctum in Baptismo "obsignare animam, et dare *signaculum* quod dæmones terrore perfusi perhorrescunt; cœleste quoddam et divinum sicut scriptum est *Ephes.* I, 13: in quo etiam credentes signati estis spiritu promissionis sancto".

71. 2° *Tradit.* probatur. (a) Patres trium priorum sæculorum nonnisi *implicite* characterem sacramentalem esse docent, dum dicunt *Baptismum* esse *sigillum impressum, sigillum infragile, signaculum in Christo* muniens contra tentationes, *sigillum* datum a Domino suis fidelibus cui *opponitur character bestiæ* dandus ab Antechristo; aut vocant *Confirmationem* "*sigillum* doni Spiritûs S."; atqui hæc omnia nonnisi de signo spirituali simul et indelebili prædicari possunt, non autem de gratiâ; ergo. (b) Jam a quinto sæculo magis explicite de hoc charactere loquuntur, illum a gratiâ distinguunt, affirmando cum etiam in malis remanere, et similem esse signaculo militibus imposito vel signo ovibus impresso; ita v. g. *S. Augustinus* in variis operibus, præsertim Contra ep. Parmen. l. II, n. 29; De Baptismo, l. VI, n. 1; Contra lit. Petil. l. II, n. 239 (ap. *Migne*, t. XLIII, col. 71, 197, 342); (c) idem constat ex *praxi Ecclesiæ*; nam a temporibus apostolicis semper et ubique creditum est tria præfata sacramenta iterari non posse, ut constat ex *Concil.* definitionibus[3], ex *Patrum* testimoniis, et ex *historiâ* ecclesiasticâ; neque ipsi Rebapti-

[1] *II Cor.* I, 21, sq. — [2] *Ephes.* I, 13; IV, 30. — [3] *Constantinop.* I, can. 7; *Sardic.* can. 48.

zantes aut Donatistæ id negabant, sed solum putaban ea ab hæreticis valide conferri non posse; atqui ratio a Patribus assignata cur iterari nequeant, est quia his sacramentis, præter gratiam, aliquid confertur permanens et indelebile, impressum in animâ tanquam sigillum et character. Nec juvat dicere, cum Protestantibus, ideo Baptismum non iterari, quia mortem Christi repræsentat; nam Eucharistia ejus mortem commemorat, et tamen iterari potest; ergo.

72. 3° *Rat. convenientiæ*[1]. Ratio non potest quidem demonstrare existentiam characteris, sed solum ejus convenientiam ostendere. Quicumque ad aliquod munus deputatur, et specialem accipit potestatem, quodam charactere debet consignari, ut ab aliis distinguatur, sicut v. g. milites speciali veste induuntur; atqui, per tria præfata sacramenta, fideles deputantur ad spirituale munus, specialemque accipiunt potestatem; videlicet, per Baptismum, homo fit membrum familiæ Christi, seu *civis Ecclesiæ*, et accipit potestatem passivam recipiendi alia sacramenta; per Confirmationem, fit *miles Christi*, et accipit potestatem agendi ea quæ spiritualem militiam spectant; per Ordinem, *fit minister Christi*, seu dux exercitûs ejus, et accipit potestatem activam sacramenta alia ministrandi; ergo.

II. De ejus naturâ.

73. 1° Communiter admittitur, contra Durandum, et quosdam alios[2], characterem non esse meram relationem extrinsecam, sive realem, sive non, sed esse quid reale et intrinsece inhærens animæ. Etenim, tum Patres, tum Concilia *Florent.* et *Trid.* docent characterem esse signaculum animæ impressum; atqui simplex relatio non potest dici *animæ impressa;* relatio enim, etiam realis, nihil in animâ imprimit, sed solummodo duos terminos cum fundamento supponit, quo mediante, unus ad alterum refertur. Aliunde nullum assignari potest hujus relationis fundamentum: non

[1] *S. Thom.* 3, q. 63, a. 3.

[2] *Durandus* (In 4, d. 4, q. 1, n. 11) tenebat characterem esse meram relationem rationis; alii pauci theologi docebant hunc esse relationem realem; quæ opinio Scoto tribuitur, sed immerito. Cfr. *Pesch.* n. 191.

gratia ipsa, nam character sine gratiâ imprimitur, eâque amissâ, permanet; non actio sacramentalis, quæ transit, dum character manet; ergo character non est relatio.

74. 2° Communiter tenent theologi characterem esse aliquam qualitatem, sed disputatur utrum sit habitus vel potentia. Probabilius etiam admittitur characterem esse aliquam *potentiam spiritualem et supernaturalem*, non autem habitum; ita *D. Thomas* multique alii contra Suarezium; nam habitus non potest esse indifferens ad bonum et malum; sed determinatur vel ad bonum, si sit bonus, vel ad malum, si malus sit; atqui character est ex se quid indifferens ad bonum, vel ad malum; nam quidam bene, alii autem male eo utuntur, ut experientiâ constat; ergo character non est habitus, sed potentia seu facultas *ministerialis* aliquid sacrum accipiendi vel agendi [1].

75. 3° Controvertitur autem utrum character ille sit potentia *physica* vel *moralis;* quæ quæstio affinis est controversiæ de causalitate physicâ vel morali sacramentorum. Quidquid sit, character nos configurat Christo, non secundum similitudinem *naturæ* (quod fit per gratiam sanctificantem,) sed per similitudinem *muneris*, quatenus est *quædam participatio sacerdotii Christi*, eo sensu quod nos cultui divino consecrat, nobisque tradit quamdam potestatem respectu sacramentorum; attamen Baptismi et Confirmationis character nos non facit sacerdotes, nisi lato sensu, quatenus nobis potestatem tradit *passive* tantum sacramenta recipiendi; solus sacerdotalis character homines efficit proprie loquendo participes sacerdotii Christi, quatenus ipsis dat facultatem *active* sacramenta ministrandi.

III. De ejus dotibus.

76. 1° *Indivisibilitas. Character sacramentalis est indivisibilis, seu nec augeri, nec minui potest.* Certum est. Si enim augeri vel minui posset, esset vel propter inæqualem subjecti dispositionem, vel propter sacramenti iterationem, vel propter ejusdem variabilem efficacitatem; atqui nullum ex his dici potest; non primum, quia character nullam dis-

[1] *S. Thom.*, l. c. a. 2; *Billot*, th. XI

positionem exigit, nec proinde propter intensiorem dispositionem subjecti augeri potest ; non secundum, quia character semel tantum imprimitur ; non tertium, quia, ex dictis, sacramenta, sicut causæ naturales, in iisdem circumstantiis eosdem effectus producunt. Ergo.

Difficultas tamen adesse videtur pro Ordine qui veluti per partes suscipitur ; hæc autem evanescit, si attendatur sensum thesis esse quod character sit indivisibilis in eodem ordine, sed per superioris ordinis susceptionem augeri possit, v. g. character in Diaconatu receptus est quidem ejusdem gradûs in omnibus diaconis ; si autem diaconus recipiat sacerdotium, tunc augetur character et fit sacerdotalis : sed pariter character sacerdotalis in omnibus sacerdotibus est æqualis.

77. 2° *Perpetuitas.* (**A**) *De fide est characterem esse perpetuum in hâc vitâ ;* nam (**a**) *Tridentinum* definit characterem esse indelebilem ; atqui hæc verba saltem de præsenti vitâ intelligi debent ; ergo.

(**b**) Insuper character est quædam participatio Sacerdotii Christi quod est æternum ; atqui participatio est ejusdem durationis ac res participata, dummodo subjectum participans sit ipsum incorruptibile, et res participata nihil habeat contrarium quod possit illam destruere ; atqui subjectum in quo character recipitur est anima quæ incorruptibilis est ; aliunde character nihil habet contrarium quo destrui possit, quum sit mera potestas ministerialis, non autem amicitiæ status, ut gratia sanctificans ; ergo. Quod tamen argumentum non est apodicticum sed solum probabile.

78. (**B**) *Communiter admittitur characterem esse perpetuum etiam in alterâ vitâ ;* nam verba Conc. *Trid.* sunt absoluta, nec ullam patiuntur restrictionem ; aliunde ratio theologica allata valet etiam pro vitâ futurâ. Tandem valde convenit ut character in Beatis remaneat ad eorum gloriam, et in damnatis ad illorum ignominiam, sicut militaris character in militibus post prœlium manet victoribus ad gloriam, victis ad confusionem (*S. Th.* l. c. a. 5). Hinc, ut aiunt theologi, si sacerdos e mortuis resurgeret, missam valide celebraret quin de novo ordinaretur.

Caput IV.

DE SACRAMENTORUM CAUSA.

Causa sacramentorum *finalis* est sanctificatio hominum et gloria Dei; *exemplaris* est Verbum Incarnatum, quum sacramenta sint quædam incarnationis adumbrationes; *efficiens* duplex est *instituens et ministrans*. De hâc efficienti causâ nunc agendum est.

Art. I. De causa instituente seu de auctore sacramentorum [1].

79. *Status quæstionis.* Imprimis patet Deum solum esse principalem sacramentorum auctorem; nam ipse solus potest propriâ auctoritate dare sacramentis vim gratiam causandi; ipse solus potest illabi animæ et in eâ operari. Attamen Deus instituere potest sacramenta duplici modo: *immediate*, seu per se ipsum, si ipse gratiam unicuique sacramento propriam determinaverit, eamque signo cuidam sensibili alligaverit; et *mediate*, seu dando aliis potestatem delegatam instituendi signa quædam quibus gratia annecteretur. Ad factum quod spectat, communiter admittitur, pro tempore *legis naturæ*, Deum immediate instituisse sacramentum quod peccatum originale remittebat; nullus enim invenitur Script. locus, ex quo appareat Deum alicui homini potestatem concessisse hoc sacramentum instituendi. Certum est insuper sacramenta *Legis Mosaicæ* immediate et in specie instituta fuisse a Deo, ut ex Levitico clare colligitur. Ratio præcipua est, quia illa sacramenta erant figura

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 64; *Suarez*, disp. XII; *Salmantic.* disp. VI; *Drouin*, q. VI; *Billuart*, diss. V, a. 1; *Franzelin*, th. 14; *de Augustinis*, th. X; *Billot*, th. XIV sq.; *Sasse*, th. 20-22.

sacramentorum Novæ Legis; atqui sola divina Sapientia prævidere poterat hujusmodi sacramenta et instituere ritus qui præfigurare possent ritus sacramentales N. Legis; ergo.

Quæstio igitur solvenda manet pro sacramentis N. Legis tantum, et tria inquiremus: Utrum sacramenta fuerint *immediate* a Christo instituta; utrum a Christo ut *Deo*, aut *homine;* utrum *in genere* aut *in specie?*

I. Institutio immediata.

80. *Thesis:* **De fide est omnia N. Legis sacramenta fuisse saltem mediate a Christo instituta; et certum videtur omnia pariter fuisse a Christo immediate instituta.** Secunda pars contra quosdam antiquos scholasticos dirigitur, qui putarunt Confirmationem et Extremam Unctionem ab Apostolis post Ascensionem instituta fuisse[1], et contra *Alex. Alensem* qui putavit Confirmationem ab Ecclesiâ fuisse institutam in Concilio *Meldensi* (845).

Prob. 1° *Tradit.* (A) Ex Conc. *Trid.* constat omnia sacramenta a Christo fuisse instituta: "Si quis dixerit sacramenta N. Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, A. S."; atqui hæc verba accipi debent de *immediatâ* institutione; nam quæ *mediate* solum instituuntur, non dicuntur institui simpliciter; sic, v. g. quæ Ecclesia instituit, vi potestatis sibi a Christo collatæ, ut jejunium Quatuor Temporum, non dicuntur ab ipso Christo instituta sed ab Ecclesiâ; ergo pariter si sacramenta fuissent solum mediate a Domino instituta, non ab eo simpliciter instituta dici possent.

(B) Confirmatur ex canone circa Ext. Unctionem (sess. XIV, can. 1) ubi definitur hoc sacramentum, de quo præsertim dubitabatur, fuisse *a Christo institutum*, et a *S. Jacobo promulgatum;* atqui in hoc casu certe vox: "institutum", cum opponatur voci "promulgatum" nonnisi directam institutionem designare potest, et significat Apostolos

[1] Ita *Hugo Victorinus*, De Sacram. l. II, p. 15, c. 2 ap. *Migne*, t. 176, p. 578; *Petr. Lombardus* 4, dist. 3; *S. Bonaventura*; sed nuperrimi editores S. Bonaventuræ operum (in 4, dist. 7, schol.) animadvertunt S. Doctorem ea quæ junior minus correcte scripserat, in Breviloquio (6, c. 4) correxisse.

promulgavisse quidem, sed nullo modo instituisse sacramentum Extr. Unctionis.

(C) Tandem alibi declaratur a *Trid.* Ecclesiam nil posse circa sacramentorum substantiam [1]; atqui, si Ecclesia accepisset a Christo potestatem sacramenta instituendi, posset utique mutare eorum substantiam; nam qui potest plus, potest et minus; ergo.

2° *Rat. convenientiæ.* Aliunde conveniebat ut Christus ipse sacramenta immediate institueret; (a) ut melius appareret solum Christum Redemptorem nostrum esse, et sacramenta totam virtutem suam ex ejus meritis desumere; (b) ne homines spem in homine ponerent, in eo scilicet qui illa sacramenta instituisset, et ne schismata orirentur, sicut olim exorta sunt inter Corinthios, qui dicebant: "Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi" [2].

II. Utrum a Christo ut Deo vel homine?

81. Christus sacramenta instituit ut Deus et ut homo.

1° Ut *Deus*, Christus, vi et auctoritate propriâ, est causa principalis omnium sacramentorum, ex dictis supra.

2° Ut *homo*, Christus instituit sacramenta *instrumentaliter*, quatenus ejus humanitas fuit causa instrumentalis nostræ justificationis; et sub hoc respectu, Christus, ut homo, habet super sacramenta *potestatem quamdam excellentiæ*, quæ in quatuor consistit (*S. Th.* q. 64, a. 3): (a) Sacramenta vim suam habent a passione Christi; nam gratia, quæ per ipsa confertur, est veluti fructus meritorum ejus, quum nulla gratia in præsenti rerum ordine detur nisi per ejus merita. (b) Possunt administrari in ejus nomine, seu virtute: "Baptizetur unusquisque vestrum in *nomine* Jesu Christi" [3]. (c) Insuper eorum materia et forma ab ipso determinari possunt, sive in genere, sive in specie; imo Christus aliis communicare valet potestatem hanc materiam et

[1] *Trident.* enim docet (sess. XXI, cap. 2) "hanc potestatem perpetuo in Ecclesiâ fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, *salvâ illorum substantiâ*, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati... magis expedire judicaret".

[2] *I Cor.* I, 12; cf. *S. Thom.*, 3, q. 64, a. 4 ad 1. — [3] *Act.* II, 38.

formam determinandi. (d) Tandem potest, absque ritu sacramentali, producere gratiam sacramentis propriam, ut constat exemplis paralytici et Magdalenæ, quorum peccata sine ullo sacramento remisit [1].

III. Utrum in genere vel in specie?

82. 1° *Status quæstionis.* (A) Duplici modo sacramenta a Christo institui potuerunt: (a) *in genere*, determinando quidem gratiam propriam hujus sacramenti, et statuendo simul adhibendum esse signum ad gratiam illam significandam idoneum, sed Ecclesiæ relinquendo hujus signi electionem; (b) *in specie*, eligendo non solum gratiam, sed etiam signum adhibendum, additâ lege eo semper utendi; sic v. g. *in genere* tantum instituit sacramentum Ordinis, si, determinatâ gratiâ propriâ hujus sacramenti, Apostolis præceperit adhibere quodlibet signum ex se idoneum ad auctoritatis collationem significandam; e contra idem sacramentum in specie instituit, si præceperit manuum impositionem tanquam materiam semper adhiberi.

(B) His positis, certum videtur Christum instituisse non solum in genere, sed etiam in specie materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ; hoc enim sufficienter constat tum ex Scripturâ, tum ex traditione omnium Ecclesiarum, ut infra probabitur quando de his sacramentis disputabimus; sed controvertitur utrum idem dicendum sit de ceteris sacramentis, et præsertim de Confirmatione, Extr. Unctione et Ordine.

83. 2° *Prior sententia.* Juxta *Suarezium*, *S. Ligorium*, aliosque [2], omnium sacramentorum materia et forma in specie determinatæ sunt a Christo; nam (a) *Trid.* declarat Ecclesiam nil posse circa sacramentorum substantiam; atqui si Ecclesia a Christo recepisset potestatem *eligendi in specie* materiam et formam sacramentorum, easdem mutare posset. (b) Si Christus reliquisset Ecclesiæ potestatem in specie determinandi materiam et formam sacramentorum, aliquot vestigia hujus potestatis in Script. aut Tradit. inve-

[1] *Matt.* IX, 2; *Luc.* VII, 48.

[2] *Suarez*, disp. II, sect. 3; *S. Alphonsus*, n. 12; *de Augustinis*, th. 13; *Tepe*, n. 23 sq.

nirentur; atqui nullum apparet hujusmodi vestigium; ergo.

84. 3° *Posterior sententia.* Juxta *S. Bonaventuram*, *Lugo*, *Salmanticenses* aliosque [1], materia et forma quorumdam sacramentorum non fuerunt *in specie* determinatæ ab ipso Christo, sed ab Ecclesiâ, cum potestate ab eo acceptâ.

(A) Imprimis nullibi legitur in Script. et Tradit. Christum ipsum *in specie* determinavisse materiam aut formam Confirmationis, Extr. Unctionis vel Ordinis; imo *Innocentius IV* (in cap. *Presbyter*, de sacr. iterandis) contrarium manifeste supponit; ait enim : " Unde credimus quod nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere : sis sacerdos, vel alia æquipollentia verba, sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit ".

(B) Ex historiâ constat mutationes occurrisse in *materiis* et *formis* sacramentorum, et quidem circa res quæ hodie ut *essentiales* a plerisque theologis habentur. (a) Sic v. g. theologi communiter docent verba "signo te signo crucis et confirmo te... in nomine Patris "... necessaria esse ad validam administrationem Confirmationis in Ecclesiâ Latinâ; jamvero certum est quædam ex his verbis per multa sæcula non fuisse in usu, nec etiam nunc a Græcis adhiberi [2], et frustra theologi antiquas formulas torquent ut in eis inveniant, etiam quoad sensum, omnia verba quæ essentialia declarant. Iterum in sacramento Pœnitentiæ forma *deprecativa* in usu erat in nonnullis Occidentalibus ecclesiis, et

[1] *Salmantic.* Cursus theol. mor. de Sacram. in genere, c. IV, n. 48; *Lugo*, de Sacrament. in gen., disp. IV, sect. 5, n. 86 sq.; *Hurter*, de Ordine, n. 712; *Egger*, n. 648; multique alii theologi ubi de Ordine.

[2] Olim hæc tantum verba dicebat (Pontifex) : " In nomine Patris et Filii, et Spiritûs S., pax tibi ", ut videre est apud Amalarium... Græci hanc formam adhibent : " Signaculum doni Spiritûs S." ... Ad eam formam multum accedit ea quæ extat in ordine Gelasiano, et in antiquioribus sacramentorum libris : " Signum Christi in vitam æternam. Amen ". (*Martene*, de Antiquis Eccl. Ritibus, lib. I, cap. I, art. 3). Alias formulas vide apud *Chardon*, op. cit., Histoire du Sacr. de Confirmation, cap. I. Quicumque hæc duo opera attente perlegerit, candide fateri cogetur multas formas olim adhibitas fuisse, quæ hodie communiter a theologis ut invalidæ haberentur.

etiam nunc apud Orientales adhibetur, dum *sola* forma *indicativa* a multis dicitur esse valida in Ecclesiâ Romanâ. E contra communiter docetur in Ex. Unctione *solam* formam *deprecativam* validam esse, et nihilominus certum est in multis antiquis Ritualibus formam *absolutam* inveniri, et in aliis formam, prorsus diversam ab eâ quæ nunc adhibetur, occurrere[1]. Et sic de aliis. (b) Mutationes nonnullæ pariter in *materiis* occurrunt. Quoad Confirmationem, Apostolos solâ manuum impositione usos fuisse Scriptura tradit; huic postea addita fuit chrismatis unctio, et hodie in Græcorum euchologiis ne minimum quidem verbum de impositione manuum reperitur; quoad Ordinem, sola manuum impositio tanquam ritus essentialis in Scripturâ describitur, et etiam hodie apud Orientales adhibetur, dum e contra *Decretum ad Armenos* aperte declarat: "Sextum sacram. est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem". Hinc acriter theologi disputant quænam sit materia essentialis hujus sacramenti. Ex his factis duplex educitur argumentum: (a) mutationes in rebus, quæ essentiales hodie considerantur, factæ sunt quoad materias et formas quorumdam sacramentorum; atqui si Christus materiam et formam omnium sacramentorum in specie determinasset, hujusmodi mutationes occurrere non potuissent, quum Ecclesia essentialium rituum fidelis custos exstiterit, ut pro Baptismo et Eucharistiâ constat; ergo. (b) Insuper nisi admittatur Christum Ecclesiæ quorumdam sacramentorum materias et formas facultatem in specie determinandi reliquisse, dicendum est per multa sæcula nonnulla sacramenta invalida fuisse, et etiam nunc apud Græcos modo invalido administrari; quod quidem a nemine admitti potest; ergo.

(C) Nec obstat *Trident.* declarans Ecclesiam mutare non posse sacramentorum substantiam; nam, in materiis et formis illa sola substantialia sunt quæ Christus ipse instituit; jamvero si, ut contendimus, nonnisi modo generico quasdam materias et formas determinaverit, substantia earumdem

[1] Cf. *Martene*, op. cit. lib. I, cap. 7, a. 3.

non mutatur per specificam determinationem ab Ecclesiâ factam, dummodo generica significatio a Christo determinata retineatur.

Art. II. De ministro.

85. Minister ille est qui, nomine Christi, sacramentalem ritum perficit et hominibus confert. Duplex est: *ordinarius*, seu minister solemnitatis, qui ad sacramenta ministranda ex officio specialiter consecratus est; *extraordinarius*, seu minister necessitatis, qui ob necessitatem vel peculiare privilegium eadem ministrat. Quisnam sit minister ordinarius vel extraordinarius uniuscujusque sacramenti infra declarabitur. Hic disseremus de ministri *qualitatibus* et *obligationibus*.

§ I. De qualitatibus in ministro requisitis.

Illæ qualitates sunt *fides* et *sanctitas*, *intentio* et *attentio*.

I. De fide et sanctitate in ministro requisitis[1].

86. *Errores.* (**A**) Jam circa finem sæculi II, occasione hæresis Montanistarum, *Agrippinus*, Carthaginiensis Episcopus, decreverat omnes hæreticos ad Ecclesiam redeuntes, esse rebaptizandos, putans videlicet Baptismum sine fide collatum esse invalidum, ejusque agendi ratio a *Tertulliano*, *Clemente Alex.* et *Hippolyto* approbata fuit, necnon a tribus provincialibus conciliis *Carthaginensi* (218 vel 222?) *Iconiensi* (230, 236?) et *Synnadensi*.

(**B**) Idem tenuit ejus successor *S. Cyprianus* (sæc. III), qui praxim prædecessoris in tribus particularibus conciliis confirmavit; eumdem errorem propugnavit in Asiâ *Firmilianus*, Cæsariensis Episcopus, cum quibusdam aliis. Argumenta præcipua a S. Cypriano allata, tria erant: (**a**) Extra Ecclesiam nulla datur salus, nec proinde gratia; atqui hæretici sunt extra Ecclesiam; ergo nulla gratia ipsis datur. (**b**) Nemo dat quod non habet; atqui hæretici gratiam non habent; ergo. (**c**) Vera fides est conditio neces-

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 64, a. 5-6; *Suarez*, disp. XIII, sect. 4; *Salmantic.* disp. V I. dub. 3; *Drouin*, q. VII, cap. 2; *Franzelin*, th. 15; *de Augustinis*, th. 16.

saria ad sacramentorum receptionem ; atqui baptizati in hæresi veram fidem non habent ; ergo.

S. Stephanus I illum damnavit errorem, quin tamen, propter prudentiæ motivum, Rebaptizantes excommunicaverit; S. Cyprianus diu restitit, putans quæstionem illam esse materiam disciplinarem ; dubitatur utrum ante mortem suum errorem positive retractaverit ; hoc ut probabile tenet S. Augustinus ; quidquid sit, vitam martyrio coronavit, et ut Sanctus ab Ecclesiâ honoratur. Ceteri vero Africæ Episcopi gradatim illum errorem deseruerunt, teste S. Hieronymo [1].

(C) Attamen idem error renovatus est a *Donatistis* (sæc. IV) necnon a *Waldensibus* et *Albigensibus* (sæc. XIII) et *Wicleffo* (sæc. XIV), qui insuper tenuerunt probitatem esse necessariam ad validam sacramentorum administrationem. Quidam inter *Protestantes* initio idem docuerant, ut Anabaptistæ, sed hodie plerique hâc de re catholicam doctrinam tenent.

87. *Thesis 1ª:* **Nec fides, nec sanctitas (seu status gratiæ) requiruntur ad validam sacramentorum administrationem.** *De fide est* sanctitatem non requiri ad validitatem sacramentorum in genere ; ait enim *Trid.* : " Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacr. conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacr., A. S." (Sess. 7. c. 12). *De fide est* pariter fidem non requiri ad validam Baptismi administrationem, ut constat ex *Trid.* (Sess. 7. c. 4) : " Si quis dixerit Baptismum qui etiam datur ab hæreticis, in nomine Patris, et Filii et Spiritûs S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, A. S." *Certum est* tandem fidem non esse necessariam ad validam aliorum sacramentorum administrationem, exceptâ tamen Pœnitentiâ, quæ, *extra*

[1] De hâc controversiâ lege *S. Cypriani* Epistolas 70-86; *S. August.*, de Baptismate, l. VI-VII; *Schwane*, Controversia de valore Baptismi... Munster, 1860; *Hefele*, Histoire des Conciles, vol. I, p. 98-117; *Alzog*, Church History, § '89; *Freppel*, S. Cyprien; *L. Rivington*, The Primitive Church, p. 77 sq.

necessitatis extremæ casum, valide non ministratur ab hæretico, propter jurisdictionis defectum, ut probatur in *Tr. de Pœnit.*

88. *Prob.* (**A**) *Scriptura* negativum tantum argumentum hâc de re præbet; siquidem nullibi legitur fidem aut statum gratiæ requiri ad validam sacramentorum administrationem.

(**B**) *Tradit.* (**a**) *Ex praxi Ecclesiæ.* Constans enim fuit in Ecclesiâ praxis non rebaptizandi eos qui ab hæreticis debito modo baptizati fuerant; constat ex *testimonio S. Stephani*, qui suam decisionem universali firmat consuetudine: "nihil innovetur, ait, nisi quod traditum est"[1]; ex testimonio *S. Vincentii Lirin.* dicentis[2]: "Agrippinus, Carthaginensis Ep. primus omnium mortalium, contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum, rebaptizandum esse censebat..."; ex ipsâ *S. Cypriani* confessione, qui non negat hanc consuetudinem, sed putans eam legitimâ ratione minime fundari respondet: "non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum"; item ex *Firmiliani* confessione, qui pariter agnoscit illam consuetudinem existere, quamvis addat consuetudini veritatem esse præferendam; atqui Ecclesiæ universalis praxis, in re ad fidem pertinente, ut in casu nostro, in quo connectitur cum dogmate validitatis Baptismi aliorumve sacramentorum sine fide collatorum, est ineluctabile veritatis argumentum, ut dictum est in *Tract. de Fontibus Theologicis* (n. 23-24).

(**b**) *Ex Patribus.* Patres, præsertim vero *S. Augustinus*, invictus dogmatis catholici defensor contra Donatistas, illam veritatem non solum asserunt, sed etiam variis comparationibus illustrant; sicut, inquiunt, *semen* sordidis manibus satum, nihilominus fructificat, et *aqua* per canales lapideos, ferreos aliosve æqualiter irrigat, *sigillumque* regium, sive sit ferreum, sive aureum, regis imaginem imprimit[3], et sicut

[1] Apud *Cypr.* Ep. 74. — [2] *Commonitor.* c. 6. — [3] Sic enim contrahi potest *S. Augustini* argumentum: Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Non contaminatur donum Christi, quia per illum

medicus, etiam ægrotans, alios curare potest ; ita pariter sacramenta valide gratiam causare possunt, etiam si a malo ministro ministrentur.

89. (C) *Rat. Theol.* (a) E consectariis adversæ sententiæ : maximi momenti est ut vitentur dubia circa validitatem sacramentorum ; atqui si fides vera, et præsertim status gratiæ requirerentur ad validam sacramentorum administrationem, perpetua dubia et anxietates essent circa validitatem sacramentorum, quum nemo certe scire possit utrum minister sit in statu gratiæ vel non ; ergo.

(b) Aliunde non repugnat ut malus minister gratiam conferat ; nam minister est solum causa instrumentalis gratiæ ; atqui causa instrumentalis non agit propriâ virtute, sed virtute causæ principalis, et effectum producit, independenter a suis qualitatibus, dummodo moveatur a causâ principali ; ergo. Nec repugnat ut Deus utatur peccatore ad gratiam conferendam, nam potestas aliis conferendi gratiam est veluti gratia gratis data, quæ etiam in peccatoribus existere potest.

90. *Thesis 2ª :* **Ad licitam sacramentorum administrationem ex officio requiritur sub gravi status gratiæ.** *Certum est*[1].

(A) *Script.* (a) Jam in A. Lege dictum fuerat sacerdotibus : " Incensum enim Domini et panes Dei offerunt, et ideo sancti erunt "[2] ; atqui si ad oblationem incensi vel panis sanctitas legalis requirebatur, quanto magis in oblatione

purus fluvius transit, et venit ad fertilem terram. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generans; sed tamen hortis plurimum fructum affert (tract. 5 in Joan. 15.) Et alibi (contr. Crescon. lib. 3) : Nihil refert an lotis manibus semen jaciatur, ut fructum ferat : nihil refert, quod lumen solis per cœnosa diffundatur, ut splendeat. Item *Gregor. Naz.* (orat. 40 de Bapt. n. 26.) : Nihil refert an sigillum sit ferreum vel aureum, ut in cerâ figuram imprimat ; ita nihilo magis refert quod Deus per bonum vel malum ministrum dona suæ gratiæ largiatur.

[1] Cf. *S. Thom.*, 3 p. q. 64, a. 6; *S. Alphons.*, l. VI, n. 30 sq.; *Konings*, 1241 sq.; *Marc.* 1415 sq.; *Lehmk.* n. 32 sq.; *Sabetti*, n. 637 sq.

[2] *Levit.* XXI, 6.

Sacrificii et administratione sacramentorum N. Legis necessaria est interna gratia?

(b) Insuper specialiter dicitur de ministris N. Legis : " Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem "[1] ; quibus verbis indicatur dispensatores sacramentorum, sanctos esse debere, seu in statu gratiæ.

(B) *Tradit.* Rituale Rom. (*Tit.* I, 4) hæc habet : " Etsi sacramenta ab impiis coinquinari non possint .... impure tamen et indigne ea ministrantes in æternæ mortis reatum incurrunt " ; quæ quidem verba clare indicant ministros, in statu peccati sacramenta ministrantes, mortaliter peccare.

(C) *Rat. theol.* Qui ministrat sacramenta in statu peccati mortalis gravem injuriam committit erga *Deum ;* nam, dum ipse est inimicus Dei per peccatum, divinam legationem ex officio agit ; erga *Christum,* nam Christi personam pariter indigne gerit : tandem erga *sacramenta,* quæ contaminat, quantum in se est, res sacras et gratiæ productivas indignis manibus profanando. (*S. Th.* l. c. a. 6.)

91. *Regulæ practicæ :* (A) *Quoad ministrum necessitatis.* Diximus eum qui *ex officio* ministrat sacramenta in mortali, graviter peccare ; sed controvertitur utrum graviter peccet laicus vel sacerdos qui non ex officio, sed necessitate sacramentum confert, v. g. qui baptizat sine ceremoniis, in casu necessitatis.

(a) *S. Thomas, Suarez* aliique probabilius negant, quia in hoc casu sacerdos vel laicus non agit ut minister *consecratus ex officio,* Christum repræsentans, sed ut minister succurrens speciali necessitati suscipientis; (b) *S. Ligorius* aliique probabiliter affirmant, quia obligatio ministrandi in statu gratiæ non derivatur solum a consecratione ministri, sed a sanctitate sacramentorum. Utraque opinio solide probabilis est, ac proinde in praxi erit peccatum grave vel non, prout minister agendo crediderit se peccare graviter vel non. Juxta omnes tamen,excusatur per accidens qui, in tali casu, vel non cogitat de eliciendo actum contritionis, vel, de eo cogitans, putat sibi tempus deesse.

---

[1] *Tit.* I. 7.

92. (B) *Quoad Eucharistiæ dispensationem.* (a) Certum est illum qui consecrat Eucharistiam in mortali, peccare graviter; sed controvertitur utrum graviter peccet qui sacram communionem dispensat seu distribuit. Negant probabiliter *Lugo* et *Vasquez*, quia in hâc actione minister non agit stricto sensu nomine Christi, neque instrumentaliter active gratiam causat, sed solum passive, faciendo quod instrumentum inanimatum præstare posset. Affirmant autem probabilius *S. Thomas*, *Suarez*, *S. Ligorius*, quia sacerdos vel diaconus ministrans Eucharistiam est minister ex officio, et proxime concurrit ad sanctificationem communicantis.

(b) Unde, juxta *S. Ligorium*, sacerdos Missam celebrans in mortali, quatuor mortalia peccata committit, sc. indigne consecrando, indigne sibi ministrando communionem, indigne suscipiendo communionem, et indigne sibi indigno ministrando. Si vero communionem aliis dispenset, probabilius non committit tot peccata quot sunt personæ communicantes, quia in hoc casu adest una actio moralis, unum convivium. Attamen, juxta quosdam graves theologos, probabiliter duo solum peccata mortalia committuntur in Missâ sacrilegâ, unum consecrando, alterum communicando, quia duæ sunt tantum actiones moraliter distinctæ [1].

(c) Tangere Eucharistiam *ex officio* in mortali, est semper peccatum grave, juxta quosdam; juxta alios, leve; et, juxta tertiam sententiam, est grave, si Eucharistia immediate tangatur; leve, si mediante velo aut pyxide. Pariter dubium est utrum diaconus vel subdiaconus, ordinem suum exercentes in mortali, graviter peccent. Illæ omnes opiniones sunt serio probabiles ac proinde in praxi inquirendum est quomodo pœnitens suam efformaverit conscientiam.

93. (C) *Quoad Pœnitentiam.* Qui confessiones excipit in mortali, sed non absolvit, probabilius peccat tantum venialiter; qui vero absolvit, probabilius tot peccata committit quot personas absolvit,quia unaquælibet absolutio efformat speciale judicium; nonnulli tamen, post *Salmanticenses* [2]

[1] Ita, inter alios, *Lugo*, *Lehmkuhl*, n. 35. — [2] De Censuris, c. I, n. 182.

putant toties solummodo peccata numero distingui, quoties confessarius diversis vicibus pro tribunali sederit.

94. (D) *Corollaria.* (a) Juxta *S. Ligorium* et plerosque theologos, omnes sacerdotes, curam animarum habentes, tenentur esse habitualiter in statu gratiæ; quum enim sæpe sæpius sacramenta ministrare debeant, sese exponunt periculo administrandi indigne, et multoties quidem, nisi sint in statu gratiæ.

(b) Si quis, existens in mortali, sacramenta ministrare debeat, prius tenetur ad eliciendum actum perfectæ contritionis, et quando agitur de Missæ celebratione, tenetur confiteri, ut dicetur in *Tr. de Eucharistiâ* (n. 139); imo in omni casu tutius est confiteri, si adsit copia confessarii [1].

II. De intentione in ministro requisitâ.[2]

95. *Status quæstionis. Intentio* in genere est actus *voluntatis*, tendentis in aliquem finem; et sic distinguitur ab *attentione* quæ est actus *intellectûs. De fide est* aliquam intentionem requiri ad sacramenti validitatem, ut ex *Trid.* constat: "Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, A. S." (Sess. VII, c. 11).

Intentio autem multiplex esse potest: (A) *Ratione finis*, intentio est jocosa, externa, vel interna: (a) *Jocosa*, seu mimica, ea est quâ minister, tum externe, tum interne simulat sacramenti administrationem, ut histriones facere solent. (b) *Externa*, ea est quâ minister externum ritum sacramentalem serio perficit, tametsi interne nolit ritum sacrum peragere, nec gratiam conferre. (c) *Interna*, ea est quâ minister non solum exterius, sed interne vult facere quod facit Ecclesia. Non est autem necessarium ut minister intendat directe ac explicite conficere sacramen-

[1] "Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat: sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri". (*Rituale*, tit. I, n. 4.)

[2] *S. Thom.*, 3 p. q. 64, a. 8-10; *Suarez*, disp. XIII, sect. 2-3; *Salmantic.* disp. VII, dub. 2; *Drouin*, q. VII, c. 3; *Billuart*, disp. V, a. 7; *Franzelin*, th. 16-17; *de Augustinis*, th. 17.

tum, sufficit ut velit ritum sacrum seu religiosum facere; nec requiritur ut velit facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit Ecclesia vera, quæcumque sit, aut etiam modo generali Religio, quæ talem ritum adhibet; nec necesse est ut credat in effectum sacramenti [1]. Unde etiam hæreticus vel paganus talem internam intentionem habere potest.

(**B**) *Rat. modi*, intentio est actualis, virtualis, habitualis, interpretativa: (**a**) *actualis*, quando quis, conficiendo sacramentum, *actu* vult illud ministrare; (**b**) *virtualis*, quando intentio ante habita perseverat, quamvis de eâ actu non cogitetur; (**c**) *habitualis* ea est quæ licet prius habita, et non retractata, tamen neque actu, neque virtute perseverat, quia minister jam non est suî compos, v. g. quia ebrius est vel hypnotizatus; (**d**) *interpretativa*, ea est quam quis de facto nunquam habuit, sed habiturus esset, si de actione peragendâ cogitasset.

(**C**) *Rat. effectûs voliti*, intentio est: (**a**) *absoluta*, quando sacramenti effectus a nullâ conditione pendet; (**b**) *conditionata*, quando a conditione adimplendâ pendet.

(**D**) *Rat. subjecti*, intentio est: (**a**) *determinata*, quando voluntas fertur circa certam et definitam personam aut materiam: (**b**) *indeterminata*, quando fertur circa materiam aut personas insufficienter determinatas, v. g. absolvo quatuor ex personis præsentibus.

His positis, inquiremus quænam intentio ad sacramentorum validitatem requiritur.

96. *Thesis Ia*: **Ad validitatem sacramentorum requiritur intentio vere interna faciendi quod facit Ecclesia, ac proinde non sufficit jocosa vel externa intentio.** *De fide est* contra Lutherum, et plerosque Protestantes, *jocosam* intentionem non sufficere, ex *Trident.* supra citato

[1] Revera S. C. S. Officii interrogata "utrum baptismus ab illis hæreticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, baptismum nullum habere effectum in animâ", respondit "*negative*, quia non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia". (Apud *Collectanea* S. C. de Prop. Fide, Romæ, 1893, n. 539.)

n. 95; probabilius admittitur contra *Catharinum*, *Drouin*, et quosdam alios Theologos, externam intentionem non sufficere.

97. *Prima pars* probatur. (A) Ex *Script.*, sacramentorum administratores non sunt mera instrumenta passiva, sed Christi ministri, ejus nomine et tanquam legati agentes: " Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei "[1]; " Hoc facite in meam commemorationem "[2]; quod magis etiam apparet in Pœnitentiæ sacramento, in quo sacerdotes sunt judices; atqui ministri non possunt agere nomine Christi, et tanquam ejus legati, si jocose tantum perficiunt ritum sacramentalem; sic v. g. alicujus regis legati invalide prorsus agerent, si non serio, sed jocose tantum suo munere fungerentur; ergo.

(B) *Tradit.* (a) Ex *Trid.* supra citato, ad sacramenti valorem, requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; atqui Ecclesia certe non intendit jocari; ergo. (b) Insuper ex *Trid.* invalida est absolutio data a sacerdote qui animum non habet serio agendi et vere absolvendi (sess. XIV, cap. 6). Nec objici potest S. Genesii factum, qui mimice baptizatus est, vel pueri a S. Athanasio in ludo baptizati, quia, si quod narratur verum est, baptismus in utroque casu validus habitus fuit præcise quia baptizandi sincera intentio, etiam in ludendo, non defuerat.

98. *Prob. secunda pars.* Theologi, quos impugnamus, sic arguunt: (a) Sacerdotes in sacramentorum administratione nihil aliud sunt nisi Christi ministri vel legati, nec vere producunt gratiam, sed solum actionem ponunt, ex quâ, positis ponendis, gratia necessario sequitur; atqui minister et legatus, dummodo serio externum actum ponant, valide agunt, quidquid de eorum intentione dici possit; et quemadmodum qui stupæ ignem admoveret, licet intra se diceret: "nolo ut ignis comburat stupam", non impedire posset quin ignis suum produceret effectum, quemadmodum etiam judex, qui serio sententiam externe pronuntiavit, ejus effectum impedire nequit, dicendo intra se: "nolo judicium ferre", ita pariter qui materiam et formam sacramenti serio ponit, licet

[1] *I Cor.* IV, 1. — [2] *Luc.* XXII, 19.

interius dicat: "nolo gratiam conferre", impedire nequit quominus gratia de facto conferatur; ergo. (b) Insuper Christus, sacramenta instituendo, fidelium tranquillitati et paci consulere voluit; atqui si valor eorumdem ab internâ ministri intentione penderet, nunquam aut raro securi esse possent; ergo [1].

99. His non obstantibus, probabilius est non sufficere externam intentionem; nam (a) ab *Alexandro VIII* damnata fuit propositio: "Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo resolvit: non intendo quod facit Ecclesia". Nec probabile est hâc damnatione proscriptum fuisse solummodo Lutheri errorem, jam satis a *Trident.* damnatum, sed, ut *Benedictus XIV* censet [2], ipsissimæ adversariorum opinioni grave vulnus inflictum fuit. (b) Nec valet primum argumentum supra allatum; nam, sacerdotes sunt ministri animati et liberi sacramentorum, et, quum juxta *Florentinum*, requiratur, præter materiam et formam, intentio ministri, sacramenti confectio a liberâ ejus voluntate pendet; nec valet igitur comparatio cum causis naturalibus, quæ, quum in seipsis virtutem agendi contineant, independenter a quâlibet intentione, suum producunt effectum statim ac applicantur. (c) Neque valet secundum, nam pauci admodum inveniuntur ministri qui adeo perversi sunt ut suam intentionem interius cohibeant; si autem aliquando res acciderit, Deus fidelium saluti aliter providebit, sive per alia sacramenta, sive gratiam perfectæ contritionis concedendo.

In praxi igitur, si de defectu intentionis internæ constet, sacramenta, urgente necessitate, meliori quo fieri potest modo, iterum sub conditione sunt perficienda; si vero res moram patitur, Sedis Apostolicæ oraculum exquiratur.

100. *Thesis 2ª:* **Ad validitatem sacramenti requiritur et sufficit in ministro intentio virtualis, nec sufficit interpretativa vel habitualis.** Certum est.

(**A**) Non requiritur actualis intentio, licet sit omnino suadenda, sed sufficit virtualis. Illa enim intentio sufficit quæ

[1] Cfr. *Drouin*, q. VII, c. 3, sect. 2 § 2.
[2] De Synod. l. VII, c. 4, n. 8.

vere influit in actum, et eum reddit humanum; atqui intentio virtualis, quæ vere perseverat, influit in actum, et sufficit in contractibus humanis; ergo. Aliunde actualis intentio esset sæpe nimis ardua propter mentis divagationes, quæ aliquando etiam piis viris occurrunt; atqui Christus noluit ut validitas sacramenti penderet a re nimis arduâ; ergo.

(B) Non sufficit habitualis vel interpretativa; nam ad valorem sacramentorum requiritur intentio quæ vere influit in actum; atqui intentio interpretativa nunquam existit nec proinde influere potest in sacramentum; habitualis vero exstitit quidem, sed non perseverat, nec proinde influere potest in sacramentum; sic v. g. nemo dicet habitualem intentionem, quæ existit in ebrio vel dormiente, sufficere ad actum humanum: non enim agit ut minister Christi.

N. B. Juxta quosdam, intentio habitualis sufficit, sed hi nomine intentionis habitualis intelligunt eam quam virtualem vocavimus.

101. *Thesis 3ª :* **Intentio conditionata non invalidat sacramentum, quando non suspendit effectum; invalidat autem si effectum suspensum relinquat.** Notamus intentionem absolutam esse certo validam; quibus positis,

(A) *Prob. prima pars.* Intentio conditionata primi generis, qualis est generatim intentio de *præterito* vel *præsenti*, v. g. si tu non es baptizatus, ego te baptizo, est æquivalens intentioni absolutæ; nam, ex dictis, non incertum relinquit effectum sacramenti; atqui intentio æquivalens absolutæ intentioni est certe valida; ergo. Attamen dubia esset forma "si tu es prædestinatus, ego te baptizo", quia prædestinatio non cadit sub humanâ cognitione, et incertum reddit effectum.

(B) *Prob. secunda pars.* Cum intentione secundi generis, qualis est generatim intentio *de futuro*, sacramentum non potest valere neque instanti quo confertur, quia ex dictis illa intentio relinquit effectum suspensum (v. g. si restitueris intra mensem, ego te absolvo), neque tempore quo conditio adimpletur, tunc enim non amplius existit sacramentum (v. g. in casu citato, quando fit restitutio, absolutio jam evanuit); ergo invalidum est sacramentum cum tali intentione. Excipitur casus matrimonii, quia matrimonium, utpote

contractus, sequitur leges contractus, et valet cum suspensivâ conditione statim ac conditio adimpletur.

Ad liceitatem quod spectat, conditionem apponere non licet sine gravi causâ; eam verbis exprimere plerumque convenit, imo in nonnullis casibus a Rituali præscribitur, ut exponetur ubi de singulis sacramentis.

102. *Thesis 4ª :* **Intentio debet esse determinata ad certam personam, vel ad certam materiam.** Certum est.

Sacramenta enim non conficiuntur in genere, sed in concreto; atqui confici nequeunt in concreto nisi intentio habeatur consecrandi talem materiam in particulari, aut baptizandi talem personam; ergo. Sufficit autem ut intentio dirigatur ad personam præsentem, quæcumque sit. Unde valida est absolutio sic data: "Ego absolvo omnes hic stantes", sed invalida est hæc: "ego absolvo tres ex hic stantibus".

Corollarium : Si minister duas intentiones habeat sibi invicem contrarias, illa attendenda est quæ, omnibus spectatis circumstantiis, principalis est et prædominans; v. g. si quis diceret, "volo quidem baptizare, sed nolo facere quod Ecclesia Romana facit", supponi potest baptizandi intentionem esse prævalentem, proindeque baptismum esse validum; secus vero, si contraria intentio certo prævaleret.

III. De attentione.

103. Attentio est voluntaria applicatio mentis ad ea quæ peraguntur. Duplex est: 1° *interna*, sc. ea quæ fuit definita; 2° *externa*, sc. ea quæ excludit omnem externam actionem cum attentione internâ physice impossibilem.

Ad *validitatem* sacramenti non requiritur attentio, nisi ea quæ sufficit ut materia et forma debite ponantur. Ratio est quia attentio actualis non requiritur ad actum vere humanum. Requiritur tamen ad *liceitatem*, et omnis distractio, voluntaria in se aut in causâ, in confectione sacramenti, est peccatum veniale, et quidem majus quam distractio in simplici oratione; imo, juxta probabiliorem sententiam, est peccatum mortale in ipsâ consecratione Eucharistiæ, si sit omnino deliberata, propter specialem reverentiam tanto sacramento debitam. Insuper, juxta omnes, si distractio

voluntaria tanta esset ut exponeret ministrum periculo graviter errandi in applicatione materiæ et formæ, peccatum esset mortale.

§ II. De obligationibus ministri.

I. De obligatione sacramenta dignis ministrandi[1].

104. 1° *Principium generale : Pastores aliique ministri ex officio, ut coadjutores vel presbyteri assistentes, tenentur ex justitiâ sub gravi subditis rationabiliter petentibus sacramenta ministrare per se, vel per alium idoneum ministrum.* Certum est.

(A) Illi enim omnes tenentur, ex quasi-contractu, salutem et bonum spirituale procurare illorum a quibus sustentationem accipiunt : atqui bonum animarum procuratur speciatim per sacramenta ; ergo. Quæ quidem obligatio perseverat etiam si fideles pastorem suum ex negligentiâ non sustentent ; nam, præter contractum cum fidelibus, adest alter contractus cum Ecclesiâ : eo ipso quod Ecclesia munus aliquod sacerdoti confert, sacerdos ipse ad hujus officii munera adimplenda sese obligat. Si autem fideles suo officio desint, non eo ipso liberatur sacerdos a suis obligationibus, sed debet ad Episcopum recurrere, qui quasi-contractum pro prudentiâ suâ solvet vel non[2].

(B) Accedit auctoritas *Trid.*[3] : " præcepto divino mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas..., Sacramentorum administratione pascere ".

105. 2° *Regulæ practicæ.* (A) In casu *extremæ* vel *quasi-extremæ necessitatis*, quando scil. proximus versatur in periculo damnationis nisi sacramenta suscipiat, pastores

[1] *S. Alphonsus*, l. VI, n. 58; *Konings*, n. 1225 sq.; *Lehmkuhl*, n. 36 sq.; *Sabetti*, n. 639 sq.

[2] " Fama fert (quæ utinam inanis mendaxque sit!) nonnullis in locis inveniri sacerdotes qui, ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium denegant fidelibus qui nolint collectis stipem dare, ad quam sub peccato gravi teneri non constet ; imo etiam (quod longe detestabilius est) ægrotantibus ac morti proximis adsistere ac sacramenta præbere recusant. Vix animum inducere possumus, ut quidpiam tam *atrox* et *indignum* de ecclesiarum nostrarum ministris suspicemur " (*Conc. Balt.* III, n. 292).

[3] *Trident.*, sess. XXIII. cap. I de Reformat.

aliique ex officio ministri tenentur sub gravi, etiam cum propriæ vitæ periculo, sacramenta necessaria ministrare, v. g. Baptismum. Ut talis obligatio existat, necesse est ut spes affulgeat moraliter certa moribundum attingendi illique sacramentum ministrandi, antequam moriatur. Ratio est quia "bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis" [1]. Hinc, tempore pestis, non licet pastori gregem suum deserere, etiamsi alium sacerdotem idoneum substituat, ut declaratum est a *S. Cong. Concilii* 1576 [2].

(B) In casu *gravis necessitatis*, quando sc. proximus, absque sacramento, nonnisi difficile effugere valet periculum damnationis, ministri ex officio tenentur, etiam cum gravi incommodo, sacramenta ministrare, v. g. quando fideles gravi morbo laborant, quando obligantur ad recipienda sacramenta, aut versantur in gravi tentatione, quæ difficile sine sacramenti susceptione vinci potest.

(C) Tandem iidem ministri tenentur sacramenta ministrare subditis in *communi eorum necessitate*, seu quando postulat vera utilitas; sed ad hoc non tenentur sub gravi incommodo. Exempla autem veræ utilitatis habes quando occurrit festum solemne, aut indulgentia plenaria lucranda, aut, uno verbo, quotiescumque fideles rationabiliter petunt, propter convenientem suum profectum.

Hinc graviter peccarent ministri ex officio si declararent se nolle audire confessiones nisi paucis diebus intra mensem determinatis. Attamen venialiter tantum peccarent illi qui semel aut iterum sacramenta denegarent, extra casum necessitatis, quia damnum quod infertur facile reparatur. Graviter etiam peccant qui sæpe se difficiles et morosos præbent in administratione sacramentorum; sic enim fideles deterrentur a praxi sacramentorum, ac proinde idem est in praxi ac si sacramenta denegarentur.

(D) Si autem quæstio sit de sacerdotibus qui non habent curam animarum, obligantur quidem, deficientibus ex officio ministris, ad sacramenta necessaria ministranda in casu extremæ necessitatis, et quidem etiam cum vitæ periculo, sed solum ex motivo caritatis, ut alibi dicitur.

---

[1] *Joa.* X, 11. — [2] Ap. *Bened. XIV*, De Synodo, lib. XIII, c. 19, n. 2.

II. De obligatione sacramenta indignis denegandi[1].

106. *Prænotanda.* (**A**) Peccatores, qui sunt sacramentorum receptione indigni, possunt esse notorii vel occulti. *Notorii*, seu *publici*, sunt duplicis generis: (**a**) notorii *notorietate juris*, ii sunt quorum crimina *judicialiter manifestantur* sive per confessionem eorum juridicam, sive per testium depositionem aut judicis sententiam; (**b**) notorii *notorietate facti*, ii sunt quorum crimen nullâ tergiversatione celari potest, v. g. quando commissum fuit coram notabili parte communitatis. *Occulti* ii sunt, quorum indignitas paucis nota est, ita ut communitatis notitiæ subduci possit.

(**B**) Insuper peccatores possunt sacramenta petere vel *publice*, coram populo, vel *occulte*, coram solo ministro aut paucis aliis, quorum nulla ratio habeatur, ut sunt pueruli.

107. 1° **Quoad peccatores publicos.** *Peccatori publico, sive publice sive occulte petenti, sacramenta regulariter sunt deneganda, nisi sufficientia conversionis signa dederit et scandalum removerit.* Inter peccatores publicos *Rituale* recenset excommunicatos, interdictos, meretrices, concubinarios, fœneratores, magos, blasphemos, uno verbo omnes qui grave præbuerunt scandalum communitati. Quoad signa conversionis, sunt diversa pro diversis circumstantiis; si adsit occasio peccati proxima notoria, prius deserenda est; item, si sit aliqua restitutio facienda; secus, ad reparandum scandalum, sufficit generatim confessio in Ecclesiâ publicâ facta, pluribus personis circum astantibus: tunc enim res cito plerisque nota fiet.

Ratio hujus principii est (**a**) auctoritas *Script.*: "Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos"[2]. Atqui illa verba, juxta Patres, figurative indignos peccatores designant.

(**b**) Insuper virtus *fidelitatis* exigit ut ministri sacramentorum prudenter ea conferant; "Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur"[3]; jamvero sapiens aut prudens non est qui indignis absque ratione confert

[1] Cf. *S. Alphonsus*, l. VI, n. 43 sq.; *Konings*, n. 1228 sq.; *Marc*, n. 1423 sq.; *Lehmk.* n. 38 sq.; *Sabetti*, n. 642 sq.

[2] *Matt.* VII, 6. — [3] *I Cor.* IV, 2.

sacramenta. Item virtus *religionis* exigit ne sacra profanationi exponantur; et virtus *caritatis* postulat ne minister cooperetur indignæ susceptioni sacramenti, et scandalo exinde fidelibus dato. Aliunde non læditur fama proximi, quum peccato publico eam amiserit.

(a) Dixi *regulariter*, nam imprimis sacramentum *Pœnitentiæ* debet omnibus concedi, etiam notoriis peccatoribus, si vere sint contriti, quia hoc sacramentum pro peccatoribus institutum est. Idem dici potest et debet de *Ex. Unctione* quando moribundus non potest confiteri peccata sua. Insuper generatim *Matrimonium* permittitur etiam peccatoribus publicis, v. g. hæreticis, ad præcavenda mala quæ ex denegatione oriri possent, præsertim quum ipsi contrahentes sint ministri in hoc sacramento, ac proinde minor sit cooperatio sacerdotis, qui est tantum testis *ex officio* sacramenti.

(b) Si crimen sit notum multis ex præsentibus, quin tamen notorium sit, sacramenta non sunt deneganda. Idem dici potest si crimen sit notorium in loco aliquo, sed non ubi peccator petit, nisi tamen prævideatur indignitatis notitiam brevi in hunc locum perventuram. Ratio est quia in hoc duplici casu non constat de notorietate criminis; in dubio autem, odiosa sunt restringenda, ac fama proximi servanda.

(c) Si autem crimen sit notorium, et dubia pœnitentia, generatim sacra communio differenda est, ne scandalum præbeatur.

(d) Tandem, quando sacramenta publice denegantur, maximâ prudentiâ utendum est, nec publice aperienda est ratio denegationis, ne peccator sese injuste diffamatum consideret, ac ministrum coram tribunali prosequatur.

108. 2° **Quoad peccatores occultos.** (A) Peccatori occulto *occulte* petenti regulariter deneganda sunt sacramenta. Talis est regula a Rituali statuta: " Occultos vero peccatores, si occulte petant, et eos non emendatos noverit, repellat ". Ratio est quia ex dictis non possunt conferri sacramenta indignis, nisi accedat gravissima ratio; atqui in hoc casu non adest ratio, quum peccator occulte petat, nec proinde ex denegatione diffamari possit; ergo. Excipitur casus quo indignitas petentis cognosceretur per confessionem sacramentalem, ne exinde confessio fiat odiosa.

(B) Peccatori *occulto*, *publice* petenti, regulariter denegari non debent sacramenta. Constat (a) *exemplo Christi*, qui Judam, utpote occultum peccatorem, a communione non removit [1]; (b) *praxi Ecclesiæ*, in Rituali consignatâ [2]; (c) *rat. theol.*; illud enim tolerandum est quod publicum bonum exigit; atqui publicum bonum exigit ne occulti peccatores diffamentur et ne pii viri a sacramentis arceantur; porro nonnulli accedere timerent, si scirent sibi, ob inanes rumores falsaque testimonia, aut sacerdotis malitiam, aliquando sacramenta denegari posse.

Excipitur tamen sacr. Ordinis, a quo, ob publicum bonum, indignus, etiam occultus, sine dubio repellendus est, ut docet *S. Alphonsus* (n. 52) post *S. Thomam* (supplem. q. 36 a. 4 ad 3).

109. *Corollaria.* (A) Si quis peccator mortem minetur sacerdoti juste sacramenta deneganti, communius docetur cum *S. Alphonso* (n. 49) non licere sacramentum conferre ad mortem vitandam; nam ratio propter quam sacramentum occulto peccatori ministrari potest, sc. bonum publicum promovendum, vel scandalum vitandum, hic non existit, ideoque non licet ad hanc profanationem concurrere. Pauci tamen theologi contrarium tenent, dummodo sacramentum non petatur in odium fidei vel religionis contemptum.

(B) Huc etiam pertinent ea quæ *simulationem* et *dissimulationem* sacramentorum respiciunt, quum id sæpe fiat ad cavendam indignam susceptionem. (a) *Simulatur* sacramentum quando in ejus administratione aut confectione scienter omittitur pars essentialis, vel interna intentio deest, ita ut sacramentum invalidum reddatur. Jamvero nunquam licet sacramentum simulare sive formaliter cum intentione decipiendi, sive materialiter, ob metum aliudve motivum, v. g. ne sacramentum indigno conferatur; nam damnata est

[1] Juxta quosdam tamen, Judas jam abierat quando Christus apostolis suum corpus præbuit. Cfr. *Fillion*, Essais d'Exégèse, Paris, 1884, p. 311-326.

[2] "Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos præterire nequeat". (*Rituale*, tit. IV, n. q.)

ab *Innocentio XI* hæc propositio : " Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi ". Talis enim simulatio est *mendacium sacrilegum*, graviter *proximo nocivum*, si suscipiens indignus non sit, et, quando de Eucharistiâ agitur, fideles *idololatriæ* periculo exponit. Hinc qui consecrationem simulat gravius peccat quam qui indigne consecrat ; peccat pariter qui hostiam non consecratam pro consecratâ porrigit, quippe qui fideles idololatriæ periculo exponit. Non peccaret tamen qui, gravi de causâ, sacram particulam non porrigeret, sed in ciborium reponeret, licet rarissime id fieri expediat.

(b) *Dissimulatur* sacramentum, quando aliqua actio peragitur ad dissimulandam sacramenti denegationem, v. g. quando preces super pœnitentem recitantur ne denegatio absolutionis aliis manifesta fiat. Hæc dissimulatio licet, modo fiat citra contemptum et scandalum, et cum gravi causâ. Hinc non peccat qui, gravi metu perturbatus, *externam* matrimonii celebrationem perficit, licet internum consensum non præbeat ; deficiente enim consensu, nec *materia* nec forma adest, ac consequenter potius dissimulatur quam simulatur sacramentum.

Caput v.

DE SACRAMENTORUM SUBJECTO.

Art. I. De dispositionibus subjecti [1].

110. 1° *Ad validitatem.* Præmittimus nullam dispositionem requiri in *infantibus* aut perpetuo *amentibus*, ut valide recipiant sacramenta, quorum sunt capaces sc. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, et Ordinem [2]. Supponimus insuper Baptismum esse januam omnium sacramentorum, ut infra probabitur, ac proinde nullum sacramentum valide recipi posse ante impressionem characteris baptismalis. His positis,

(A) *Ad validam receptionem sacramenti, exceptâ tamen Eucharistiâ, requiritur in adultis intentio interna illud recipiendi ut rem sacram.* Nec sufficit, juxta theologos, intentio veluti neutralis, quâ quis neque consentit neque dissentit, sed requiritur vera et determinata intentio. *Probatur :*

(a) *Innocentius III* positive declarat veram atque internam intentionem requiri [3] : " Qui nunquam consentit sed penitus contradicit, nec rem (i. e. gratiam) nec characterem sacramenti suscipit ". Quod thesim demonstrat directe pro Baptismo, analogice pro aliis sacramentis, quum eadem sit ratio pro omnibus.

---

[1] Cf. *S. Alphons.* l. VI, n. 78 sq.; *Billuart*, diss. VI, a. 1; *Konings*, n. 1238 sq.; *Marc*, n. 1432 sq.; *Lehmk.* n. 47 sq.; *Sabetti*, n. 645 sq.; *Ballerini-Palmieri*, n. 67.

[2] Valida est quidem ordinatio pueri aut amentis, sed non tenentur ad divinum officium et vitam cœlibem ; quando decimum sextum ætatis annum attingunt, datur eis optio, et si voluerint castitatem servare, ad exercitium ordinis admittuntur ; si noluerint, possunt laico more vivere. (Const. Bened. XIV. *Eo quamvis*, 4 maii 1745).

[3] Caput *Majores*, de Baptismo.

(b) Ratio cur res ita se habeat est quidem voluntas Christi; sed omnino decebat ut Christus talem conditionem exigeret; nam ex unâ parte sacramenta obligationes imponunt, et ex alterâ gratiam conferunt; atqui non convenit ut adultus obligationes aut gratiam suscipiat absque proprio consensu; ergo. Dicitur " *exceptâ Eucharistiâ* ", quia illud sacramentum consistit in re permanenti, ac proinde vere suscipitur, independenter a quâlibet intentione : solummodo quæritur utrum receptio Eucharistiæ sine consensu, v. g. ab amente, sit fructuosa vel non ; sententia affirmativa probabilis est, quando suscipiens est in statu gratiæ, quia tunc nil impedit quin augmentum gratiæ suscipiatur.

(B) Intentio requisita est diversa pro diversis sacramentis. (a) Ad *Baptismum* requiritur intentio *saltem habitualis*. Certum est sufficere intentionem habitualem expressam, i. e. eam quæ fuit positive et explicite formata et non retractata, ut existit v. g. in catechumeno, qui expresse optavit suscipere Baptismum et deinde jacet sensibus destitutus. Probabiliter etiam sufficit intentio habitualis *implicita*, ea scilicet, quæ invenitur in infideli, sensibus destituto, qui antea habuit voluntatem peragendi omnia ad salutem necessaria, ac proinde implicite optavit Baptismum.

(b) Ad *Confirmationem*, *Viaticum*, et *Ex. Unctionem* sufficit intentio *habitualis implicita*, quæ a nonnullis vocatur etiam interpretativa ; talis intentio existit v. g. in moribundo, sensibus destituto, qui christiane vivebat ; quicumque enim christiane vivit, eo ipso vult implicite suscipere Confirmationem, quæ est complementum Baptismi, et duo alia sacramenta, quæ in articulo mortis sunt de præcepto. Quoad *Eucharistiam*, præter casum viatici, intentio habitualis *expressa* requiritur, quia nullus adultus sacram communionem suscipere velle supponitur, extra hunc casum, nisi hanc volitionem manifestaverit.

(c) Ad *Pœnitentiam* et *Matrimonium* requiritur *virtualis* saltem intentio nec sufficit habitualis ; pro Matrimonio certum est, quia consensus contrahentium est ipsa materia et forma sacramenti ; probabilius est pro Pœnitentia, cum, juxta probabiliorem opinionem, tres actus pœnitentis sint materia sacramenti.

(d) Ad *Ordinem* requiritur saltem intentio *habitualis expressa*, quia nullus adultus potest, sine explicitâ voluntate, contrahere graves sacerdotii obligationes.

(C) Nullomodo autem requiritur *attentio* ad validam susceptionem sacramenti, quia ex dictis, ad actum vere humanum sufficit intentio nec requiritur attentio. Unde valide absolvuntur qui distractiones patiuntur ipso instanti quo ipsis absolutio datur.

III. 2° *Ad liceitatem.* (A) Ad licitam et fructuosam receptionem sacramenti *mortuorum* requiritur in adultis saltem *attritio supernaturalis*, quæ ipsa præsupponit actus *fidei*, *spei*, et *pœnitentiæ*. Etenim illa sacramenta ad justificationem producendam ordinantur. Atqui justificatio supponit actus fidei, spei et pœnitentiæ, ut in *Tr. de Gratiâ* probatum est. Ergo.

(B) Ad licitam et fructuosam receptionem sacramentorum *vivorum*, requiritur ex se *status gratiæ*; ratio est quia hæc ordinantur ad augendam gratiam ; ergo illam præsupponunt. Inepte igitur nos calumniantur Protestantes, dum dicunt cum *Hodge*[1] juxta catholicam doctrinam nullam requiri fidem, aut interiorem dispositionem ad fructuosam sacramentorum receptionem. Status enim gratiæ est vera et interior dispositio, quæ præsupponit non solum *fidem* et *spem*, sed etiam *caritatem* et *peccati* sinceram *detestationem.*

(C) *Grave sacrilegium* committit, qui voluntarie caret dispositionibus debitis, et ita obicem ponit effectui sacramenti; est enim gravis irreverentia erga sacramentum, gravisque gratiæ abusus.

Art. II. De susceptione sacramentorum ab indignis[2].

Ministri indigni sunt tolerati ab Ecclesiâ, vel non : (A) *Non tolerati* ii sunt qui publice ad sectam hæreticam aut schismaticam pertinent, vel fuerunt nominatim excommunicati, suspensi aut interdicti. (B) *Tolerati* ii sunt qui,

[1] System. theol. vol. III, p. 511-514.

[2] *S. Alphons.* l. VI, 88-89; *Konings*, n. 1243 sq.; *Marc*, n. 1439 sq.; *Lehmk.* n. 53-54; *Sabetti*, n. 648.

quamvis in mortali peccato existunt, aut etiam censuris innodantur, tamen non sunt denuntiati, sed tolerantur ab Ecclesiâ.

112. (A) *Non licet petere aut recipere sacramenta a ministris non toleratis, nisi in extremâ necessitate.* Etenim, (a) formaliter interdicitur communio in sacris cum ministris non toleratis; (b) insuper *caritas* vetat ne cooperemur actioni malæ proximi, absque urgenti ratione; atqui petere sacramenta a non toleratis est cooperari illorum peccato; (c) tandem *prudentia* suadet ne, per communicationem cum illis ministris, periculum amittendi fidem incurratur.

(B) *In extremâ necessitate, i. e. in articulo mortis, licet suscipere sacramenta necessaria a non toleratis, si non adsit alius minister, nec timeatur scandalum.* Nam in extremâ necessitate pars tutior sequenda est; atqui pars tutior in hoc casu est sacramenta ab indigno recipere, cum Ecclesia det jurisdictionem cuilibet ministro in articulo mortis, et facilius sit justificari per sacramentum quam sine ipso. Sacramenta autem necessaria, de quibus agitur, sunt *Baptismus*, et *Pœnitentia*, imo probabiliter *Eucharistia* et *Ex. Unctio*, si Pœnitentia suscipi nequeat. Dicitur tamen "*secluso scandalo*", quia si ex tali susceptione aliis daretur occasio putandi per hoc approbari schisma vel hæresim, tunc eliciendus esset actus contritionis perfectæ, ad quem certo gratia daretur [1].

113. (A) *Licet petere sacramenta a ministris malis toleratis, si desit bonus minister, nullum timeatur scandalum, et adsit justa petendi causa.* Etenim qui petit sacramentum in casu allato non concurrit directe et immediate peccato ministri, sed illud solummodo permittit; atqui licet, justâ de causâ, permissive se habere ad actum peccaminosum alte-

[1] Quod confirmari potest responso S. O. 7. Jul. 1864 (Ap. *Collectanea*, n. 1845); quum enim quæsitum fuisset utrum liceat, mortis articulo, absolutionem a sacerdote schismatico accipere, responsum est: "Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non præbeatur scandalum, nec sit periculum ut fidelis ab hæretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem hæreticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiæ".

rius; præterea indignus minister actum contritionis elicere valet, et sic sacrilegium vitare; ergo.

(B) Justa petendi causa est spiritualis necessitas vel utilitas, v. g. si urgeat præceptum confessionis vel communionis, si alias fidelis obligaretur diu stare in statu peccati mortalis, aut si quis indigeat lucrari jubilæum, aut velit missam applicari pro amico defuncto.

(C) In dubio an minister sit indignus, debet præsumi ut dignus, quia nemo malus nisi probetur; proindeque suscipi possunt sacramenta ab ipso, etiam sine speciali ratione.



Appendix.

DE SACRAMENTALIBUS[1].

114. *Notio.* Sacramentalia sunt *signa quædam sensibilia et sacra ab Ecclesiâ instituta vel recognita, ad quosdam effectus spirituales et temporales producendos destinata.* Vocantur sacramentalia ex quâdam cum sacramentis analogiâ; differunt tamen ab ipsis, (a) ratione institutionis, quum ab Ecclesiâ, non a Christo, instituta fuerint; (b) ratione effectuum, quum gratiam non producant ex opere operato, sed ex opere operantis. Ab antiquis theologis vocantur sacramenta minora, aut sacramenta minus principalia: "Origo nominis ex eo est quod, sacramentis virtute ac meritis longe inferiora cum sint, ea tamen effectibus quodammodo imitentur"[2].

115. Sex *species* numerantur, hoc versu comprehensæ:

Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens.

Orans: oratio dominica, vel omnis oratio ab Ecclesiâ præscripta aut in Ecclesiâ consecratâ recitata.

Tinctus: assumptio vel aspersio aquæ benedictæ.

Edens: panes, vel fructus benedicti.

Confessus: confessio generalis quæ fit initio Missæ, vel ante communionem aut in horis canonicis.

Dans: eleemosyna spiritualis vel corporalis, ea saltem quæ fit nomine Ecclesiæ.

Benedicens: omnes benedictiones ab Ecclesiâ institutæ, ut benedictio ab Episcopo data, aut a sacerdote in fine Missæ, prima tonsura, etc. Item omnes substantiæ sensibiles precibus Ecclesiæ consecratæ, ut rosaria, agni cerei, etc.; tandem exorcismi.

116. *Effectus.* (A) Sacramentalia conferunt gratias actuales non quidem ex opere operato, sed partim ex precibus Ecclesiæ et par-

---

[1] Quum hanc quæstionem nonnisi breviter attingere valeamus, adiri possunt auctores qui fusiori stylo de eâ disputârunt, v. g. *Scavini*, Theologia moralis, tr. IX, disp. I, Scholium; *Migne*, Theol. Curs. vol. XXVII, p. 425 sq.; *Probst.* Sacramente und Sacramentalien, 1872; *Barry*, The Sacramentals; *Pesch*, Prælect. dogmaticæ, t. VI, 1896, n. 328 sq.; *A. Lambing*, Sacramentals of the Holy Catholic Church, New York, 1892.

[2] *Conc. Plen. Balt. II*, n. 341

tim ex suscipientis dispositionibus. Ita *communiter* contra paucos, qui putant gratias actuales per sacramentalia *ex opere operato* conferri posse. Siquidem Ecclesiæ preces, quæ funduntur dum sacramentalia conficiuntur, non possunt esse inanes, sed obtinent per modum impetrationis gratias actuales quibus suscipiens ad eliciendos actus fidei, et spei, et amoris excitatur; aliunde subjecti dispositiones animam præparant ad abundantiorem gratiarum effusionem, ut dictum est *in Tr. de Gratiâ.* — Aliunde solus Deus gratiam adnectere potest signo sensibili; et Ecclesia utendo verbis deprecatoriis, non autem assertivis, in conficiendis Sacramentalibus, clare ostendit effectum non *ex opere operato*, sed a divinâ misericordiâ expectandum esse.

(**B**) Producunt insuper remissionem peccatorum venialium eodem modo, quatenus sc. motus contritionis aut caritatis excitant, quibus remissio venialium obtinetur; ita in benedictione novæ crucis postulatur ut " largior et cordis compunctio et admissorum indulgentia concedatur ".

(**C**) Iterum quædam sacramentalia v. g. Rosaria, etc. remissionem pœnæ temporalis peccato debitæ producere possunt, quando sc. S. Pontifex eis adnectit vim satisfactoriam ex thesauro Ecclesiæ depromptam; ille effectus tunc producitur ex opere operato per modum indulgentiæ.

(**D**) Item quædam sacramentalia dæmones expellendi vim habent v. g. aqua benedicta, exorcismi etc.; hoc enim apparet ex ipsis precibus Ecclesiæ, quæ ad abigendos dæmones funduntur; nec mirum, quum Ecclesia a Christo acceperit potestatem dæmones fugandi.

(**E**) Tandem sacramentalia possunt etiam conferre beneficia ordinis temporalis v. g. sanitatem, præsertim quando sunt ad salutem utilia. Ex quibus patet sacramentalia valde utilia esse tanquam *media* ad fidem, spem et devotionem excitandam; cavendum est tamen ne fideles eis nimiam virtutem tribuant et paulatim in quamdam superstitionem incidant[1].

[1] " Curent imprimis concionatores et animarum rectores, ut harum rerum naturam, significationem, rectumque usum fidelibus exponant, ac sæpius inculcent. Iis qui sapientiæ et ingenio suo nimis innituntur, persuadeant hæc, levia licet minutaque videantur, non esse contemnenda, quum ad pie vivendum et salutem consequendam non parum proficiant. Rudiorem vero plebeculam, quæ contrario errore abripitur, etiam atque etiam moneant, ne rebus ipsis nimiam efficaciam tribuat, neque eas cæcâ quâdam et immodicâ fiduciâ servet, et superstitiosâ veneratione prosequatur, quasi ipsæ per sese, sine piâ mentis dispositione, plurimum possent. Illos vero acerrime reprehendant, qui hujusmodi res sacras, ut Ethnici moris erat, amuletorum quasi loco habent, quæ ipsos etiam fœdissimo vitiorum cœno involutos ab irâ Dei et ultione præstent immunes " (*C. Pl. Balt.* II, n. 350).

Tractatus de Baptismo.

Auctores consulendi.

Præter auctores allegatos ubi *de Sacramentis in genere*, legi possunt : Inter **Patres** : *Sæc. III*, **Tertullianus**, Liber de Baptismo, **Cyprianus**, Ep. ad Donatum, ubi effectus baptismi eloquenter describuntur. *Sæc. IV*, **Cyrillus Hierosol.**, Catech. XIX-XX; **Basilius**, Homilia in s. Baptisma; **Gregorius Nyss.**, Oratio catechetica magna, c. 33-36; **Gregorius Naz.** Oratio in s. Baptisma; **Pacianus**, Sermo de Baptismo. *Sæc. V*, **Augustinus**, Libri VII de Baptismo, Liber de unico Baptismo; **Leo Magnus**, Epist. 16, 151, 166, 167, 168; **Maximus Taurinensis**, Sermones de Tempore, serm. 13 de Baptismi gratiâ. *Sæc. VI*, **Fulgentius Rusp.**, Ep. ad Ferrandum, de salute Æthiopis moribundi. *Sæc. VII*, **Ildefonsus Toletanus**, Liber de Cognitione Baptismi. *Sæc. IX*, **Amalarius**, Ep. ad Carolum M. de Cæremoniis Baptismi.

Inter **theologos** : **Aug. Fr. Orsi**, O. P., De baptismo in nomine Christi, 1733; **Gabriel Gualdo**, Baptisma puerorum in uteris existentium, 1710; **Hyac. Campion**, De Baptismo non natis abortivis et projectis conferendo, 1761; **Ignat. Lud. Bianchi**, O. Theat., De remedio æternæ salutis pro parvulis in utero clausis, 1768; **J. Kleiner**, S. J., Orthodoxa de necessitate baptismi parvulorum doctrina, 1765; **Kenrick**, A treatise on Baptism, 1843; **Corblet**, Histoire du Sacrement de Baptême, Paris, 1881; **Pesch**, Prælectiones, vol. VI, 1896; **Vacant-Mangenot**, Dict. de Théol. 11, voce **Baptême**, 167-378.

Inter **Protestantes** : **Vossius**, De Baptismo disputationes XX, 1648; **Wall**, History of Infant Baptism, 1705; **Walch**, Historia Pædobaptismi, 1739; **Mathies**, Baptismi expositio biblica, historica, dogmatica, 1831; **W. Hoffmann**, Taufe und Wiedertaufe, 1846; **C. P. Caspari**, Alte u. neue Quellen zur Geschicte d. Taufsymbols und der Glaubensregel, Christiania, 1879; **G. D. Armstrong**, The doctrine of Baptism, New-York, 1857; **D. B. Ford**, Studies on the Baptismal Question, N. York, 1879; **Smith** and **Cheetham**, Dict. of Christ. Antiq. voce *Baptism;* **Lenoir**, Essai biblique, historique et dogmatique sur le Baptême des enfants; **Lichtenberger**, Encyclop., t. II, 1877, p. 53 sq.

Excerpta ex Decreto ad Armenos[1].

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in universos, nisi ex aquâ et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum cœlorum introire. Materia hujus sacramenti est aqua vera et naturalis : nec refert frigida sit, an calida. Forma autem est : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Non tamen negamus quin per verba illa : *baptizatur talis servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* vel : *baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* verum perficiatur Baptisma : quoniam cum principalis causa, ex quâ Baptismus virtutem habet, sit S. Trinitas; instrumentalis autem sit minister qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum S. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causâ autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, et facere intendat quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsâ culpâ debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio ; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum et Dei visionem perveniunt.

Canones concilii Tridentini de Baptismo[2].

1. Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; A. S.

2. Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; A. S.

3. Si quis dixerit in Ecclesiâ Romanâ quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de sacramento Baptismi doctrinam; A. S.

4. Si quis dixerit, Baptismum qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; A. S.

5. Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; A. S.

---

[1] Ap. *Denzinger*, n. 591.

[2] *Denzing.*, n. 738 sq.; *A. Theiner*, Acta C. Trident., t. I., p. 384 sq.

6. Si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; A. S.

7. Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; A. S.

8. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint; A. S.

9. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo; A. S.

10. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, solâ recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti vel venialia fieri; A. S.

11. Si quis dixerit, verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; A. S.

12. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi eâ ætate, quâ Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; A. S.

13. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut præstare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in solâ fide Ecclesiæ; A. S.

14. Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec aliâ interim pœnâ ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

Objectum et divisio Tractatus.

1. Absolutis iis quæ de sacramentis in genere dicenda erant, de singulis sacramentis successive disseremus, et primum quidem de Baptismo, qui est ceterorum janua: "per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ" (*Decret. ad Arm.*)

- DIVISIO.
  - CAP. I. de Existentiâ et Essentiâ.
    - ART. I. Notio.
    - ART. II. Existentia.
    - ART. III. Materia et Forma.
      - remota.
      - proxima.
  - CAP. II. de Effectibus.
    - ART. I. de Gratiâ.
    - ART. II. de Charactere.
  - CAP. III. de Ministro.
    - ART. I. de ipso Ministro.
    - ART. II. de Patrinis.
  - CAP. IV. de Subjecto.
    - ART. I. de Necessitate Baptismi.
    - ART. II. de Baptismo infantium
    - ART. III. de Dispositionibus ad Baptismum.
    - ART. IV. de Iteratione Baptismi.

Caput I.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA BAPTISMI.

Art. I. Baptismi notio[1].

2. 1° *Quoad nomen*, Baptismus (a græcâ voce βαπτίζω immergo, abluo, tingo) idem significat ac immersio vel ablutio. In Scripturâ illud verbum adhibetur in sensu litterali et metaphorico : *litteraliter* significat (a) aliquando profanam lotionem : "Baptizabat se in fonte aquæ"[2]; (b) aliquando legales Judæorum lotiones ; sic de Pharisæis dicitur : "Nisi baptizentur, non comedunt"[3]; (c) tandem designat christianum Baptismum : "Euntes ergo docete.... baptizantes eos etc." *Metaphorice* significat (a) aliquando maximam afflictionem : "Baptismo habeo baptizari"[4], aiebat Christus de passione suâ loquens ; (b) aliquando e contra copiosam effusionem gratiæ : "Baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies"[5].

3. 2° *Quoad rem.* Baptismus definitur : *Sacramentum N. Legis a Christo institutum, in quo, per externam aquæ ablutionem, cum invocatione SS. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur, atque fit capax aliorum sacramentorum.* Priora definitionis verba communia sunt omnibus sacramentis N. L., et jam explicata sunt ; posteriora specificam differentiam Baptismi a ceteris sacramentis exhibent; siquidem dicitur : (a) *per externam* ... quibus verbis designatur *materia remota*, seu aqua, et *proxima*, seu ablutio. (b) cum *invocatione*... et ita designatur *forma;* (c) *spiritualiter regenera-*

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 66, a. 1; *Suarez*, in hunc articul.; *Bellarminus*, de Sacr. Bapt. c. 1 ; *Drouin*, l. II, 9. 1, § 1 ; *Tournely*, De Baptismo, q. I, a. 1; *Billuart*, de Baptismo, diss. I, a. 1; *de Augustinis*, de Baptismo, a. 1.

[2] *Judith*, XII, 7. — [3] *Marc.* VII, 4. — [4] *Luc.* XII, 50. — [5] *Act.* I, 5.

tur; his verbis denotatur *primarius effectus* Baptismi, sc. spiritualis nativitas. (d) et *fit capax* ... hic exhibetur *secundus* Baptismi *effectus*, sc. character, vi cujus cetera sacramenta recipi possunt.

4. 3° *Præcipuæ figuræ.* Baptismi præcipuæ figuræ fuerunt, præter circumcisionem : (a) Arca Noe, aquas superans, et familiam Noe a communi destructione præservans[1]; Baptismo enim a peccati diluvio eripimur. (b) Transitus maris rubri, per quem Hebræi Pharaonis vindictam evadere potuerunt[2]; ita et nos diaboli vindictam baptismali charactere evadimus; item aqua e petrâ fluens, jubente Moyse[3]. (c) Lotio Naaman Syri in Jordane, quæ ipsum a leprâ mundavit[4]; aquis enim Baptismi a peccato mundamur. (d) Probatica piscina, quâ sanabantur missi in ipsam statim ac aqua movebatur ab Angelo[5].

5. 4° *Præcipua nomina.* (a) A *materiâ* vocatur *lavacrum aquæ*[6], *unda genitalis*, fluvius *aquæ vitalis.* (b) A *formâ* appellatur *sigillum*, *signaculum*, obsignatio *fidei*, sacramentum *fidei*, sacramentum *Trinitatis*, quia in eo fidei professio emittitur, et quidem in nomine SS. Trinitatis. (c) Ab *effectibus* appellatur lavacrum *regenerationis* et *renovationis*[7], *ablutio peccatorum*[8], *sepultura* hominis cum Christo[9], *circumcisio* non manufacta[10], *illuminatio*[11].

6. 5° *Species.* Triplex Baptismus distinguitur : (a) *Aquæ* seu *fluminis*, jam antea definitus ; ille solus characterem imprimit et est sacramentum ; (b) *Desiderii seu flaminis*, qui consistit in actu contritionis perfectæ, aut amoris perfecti, cum voto saltem implicito Baptismi ; talis actus dat gratiam peccatorum originalis et actualis remissivam, sed non est verum sacramentum, non imprimit characterem, nec proinde aperit januam ceterorum sacramentorum ; (c) *Martyrii seu sanguinis*, qui consistit in martyrio pro Christo tolerato ; supplet Baptismum aquæ quoad remissionem peccati et pœnæ peccato debitæ, sed non imprimit characterem, nec est sacramentum (*S. Th.* 3 p. q. 66, a. 11).

---

[1] *I Petr.* III, 20-21. — [2] *I Cor.* X, 1-2. — [3] *I Cor.* X, 4.
[4] *IV Reg.* V, 14. — [5] *Joa.* V, 2. — [6] *Ephes.* V, 26. — [7] *Tit.* III, 5.
[8] *Act.* XXII, 16 — [9] *Rom.* VI, 4. — [10] *Coloss.* II, 11. — [11] *Hebr.* VI, 4.

Art. II. De Baptismi existentiâ [1].

7. Jam sub Antiquâ Lege, aspersiones ac lotiones ut medium legalis sanctitatis recuperandæ usurpabantur [2], et a Prophetis tanquam interioris sanctificationis symbolum commendabantur [3]; imo *proselytæ*, qui Judæorum privilegia participare volebant, non solum circumcidebantur, sed etiam baptizabantur [4]. Quando Joannes, præcursor Domini, regnum Dei prædicare incœpit, in Jordane baptizabat eos qui pœnitentiam agere parati erant. Christus ipse a Joanne baptizatus est, non ut sanctificaretur, sed potius ut sanctificaret aquas Jordanis, et ita viam pararet christiano baptismo, quem ut ritum initiationis ac sacramentum regenerationis instituere decreverat. Jamvero existentiam Baptismi ut sacramenti gratiæ productivi negant non solum *Rationalistæ* sed etiam *Unitarii*, qui asserunt Baptismum ritum mere externum esse, omni regenerativâ virtute carentem [5]. Contra quos sit sequens propositio.

8. *1° Thesis :* **Baptismus aquæ est verum N. Legis sacramentum.** *De fide est ex Trid.* "Si quis dixerit

---

[1] *S. Thom.* q. 66, a. 2; *Suarez*, disp. XIX; *Bellarminus*, l. I, c. 4, 19-21; *Tournely*, q. III, a. 1; *Billuart*, diss. I, a. 2; *de Augustinis*, l. cit.

[2] *Levit.* XIV, 7; *Num.* XXXI, 21-24. — [3] *Isa.* I, 16; *Ezech.* XXXVI, 24-30.

[4] Certum est hoc proselytarum baptisma viguisse apud Judæos paulo post Christum; de eo tamen mentio non occurrit in Scripturâ; sed, quum omnino improbabile sit Judæos hunc ritum mutuasse a Christianis, quos odio habebant, inferri valde probabiliter potest hunc ritum, tam consentaneum lotionibus judaicis, jam ante Christum usurpatum fuisse. Cfr. *Hastings*, Dict. of the Bible, 1898, I, 239; *Edersheim*, Life and times of the Messiah, II, append. XII; *Vigouroux*, Diction. de la Bible, I, 1434.

[5] "Infantes baptizando Unitarii nullo modo affirmare volunt hunc actum externum aliquid in anima infantis gignere posse. Unitariorum nullus hoc sensu doctrinam de regeneratione admittit". (*Clarke*, Manual of Unit. Belief, p. 48.) — Eumdem errorem docuit *Schleiermacher*, juxta quem baptismus nullum internum gratiæ effectum producit, sed est solum ritus externus quo Ecclesiæ aggregamur. Cfr. *Lichtenberger*, op. cit. p. 70.

sacramenta N. Legis ... esse plura aut pauciora quam septem, videlicet *Baptismum*... A. S. (Sess. VII, can. 1).

(**A**) *Script.* "Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei" [1]; "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S... ecce ego vobiscum sum ... usque ad consummationem sæculi" [2]; "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit" [3]. Unde sic : Ad sacramentum N. L. tria requiruntur et sufficiunt : signum *sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum :* atqui, ex textibus allatis, hæc tria in Baptismo inveniuntur : (**a**) signum sensibile, sc. *ablutio ex aquâ* et *invocatio SS. Trinitatis ;* (**b**) productivum gratiæ, nam Baptismus importat *regenerationem* spiritualem, (nisi quis renatus ex aquâ), et dat jus ad *regnum Dei*, seu ad gloriam (non potest introire in regnum Dei) ; atqui regeneratio spiritualis et jus ad regnum Dei, seu ad gloriam, necessario supponunt infusionem gratiæ : ergo. (**c**) *a Christo institutum*, ut patet ex verbis quibus ipse præcepit Apostolis ut baptizarent, et quidem *permanenter*, nam post verba citata addit : "Ecce ego vobiscum sum (docentibus et Baptizantibus) usque ad consummationem sæculi". Aliunde Apostoli eorumque successores ita rem intellexerunt, quum Baptismus semper in usu fuerit, etiam apud hæreticos, ut ex historiâ constat.

9. (**B**) *Rat. Theol.* Ut homo christianus fiat, debet a peccato originali mundari et Ecclesiæ membrum seu civis fieri ; atqui decebat ut peccatum originale per ritum sensibilem gratiæ productivum tolleretur, quo homines certiores redderentur de collatâ sibi gratiâ ; decebat pariter ut homines Ecclesiæ visibilis membra fierent per externam initiationem, internæ ipsorum cum Ecclesiâ unionis figurativam ; ergo decebat ut homo christianus fieret per ritum externum gratiæ productivum : quem ritum Baptismum vocamus.

10. 2° *Corollarium : Baptismus Christi a baptismo Joannis differt. De fide est* contra Lutherum multosque protestantes, ut constat ex conc. *Trid.* "Si quis dixerit baptismum

[1] *Joa.* III, 5. — [2] *Matt.* XXVIII, 19-20. — [3] *Marc.* XVI, 16.

Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, A. S." (Can. 1). Differt siquidem,

(a) Ratione *efficaciæ;* hoc ipse Joannes fatebatur, dicens : [1] "Ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ... ipse vos baptizabit in Spiritu et igne" ; quibus verbis infertur baptismum Joannis directe institutum fuisse ad excitandos pœnitentiæ sensus, Baptismum autem Christi directe Spiritum, seu gratiam producere.

(b) Insuper ratione *durationis*, baptismus Joannis fuit transiens et solummodo præparatorius, ita ut baptizati a Joanne indigerent recipere Baptismum christianum [2], dum Baptismus Christi est permanens.

(c) Tandem ratione *necessitatis*, baptismus Joannis utilis quidem erat ad excitandos pœnitentiæ sensus, non autem necessarius, dum Baptismus Christi necessarius est ad salutem ex infra dicendis. Quod quidem a nonnullis modernis Protestantibus libenter conceditur [3].

11. 3° *Controvertitur* quo præcise instanti sacramentum Baptismi institutum fuerit. (a) Quidam Scotistæ putant illud institutum fuisse solummodo quando Christus, post resurrectionem, dixit Apostolis : "Euntes ergo..."

(b) Juxta communem sententiam, Baptismus inchoate saltem fuit institutus quando Christus in Jordane baptizatus fuit; paulo post fuit definitive institutus, et ejus universalis necessitas promulgata post Resurrectionem (*S. Th.* q. 66, a. 2).

Utrum vero baptismus ab Apostolis collatus initio prædicationis evangelicæ fuerit *sacramentum*, vel solum *ritus* quo discipuli Christi *initiabantur*, controvertitur; sed probabilior est posterior opinio.[4]

Art. III. De materiâ et formâ.

§ I. De materia.

Materia duplex est, *remota* sc. aqua naturalis, et *proxima* sc. ablutio.

1. De materiâ remotâ.

12. 1° *Errores.* Hâc de re antiquitus errârunt nonnulli *Gnostici* et *Manichæi* qui, aquam ut substantiam vilem aut

[1] *Matt. III*, 11. — [2] *Act.* XIX, 1-5.

[3] *Schaff-Herzog* Encyclopædia, p. 200. — [4] *Knabenbauer*, in Jean. p. 152.

etiam malam reputantes, verba Evangelii circa Baptismi materiam metaphorice interpretati sunt. *Lutherus* contendit quidquid balnei loco adhiberi potest, materiam validam esse hujus sacramenti. *Quakeri* autem [1], qui *G. Fox* ducem agnoscunt, Baptismum aquæ ut judaicum ritum repudiant, et nonnisi spiritualem Baptismum agnoscunt, qui consistit in testimonio bonæ conscientiæ et Spiritus S. receptione.

13. 2° *Thesis :* **Omnis et sola naturalis aqua est remota Baptismi materia** [2]. *De fide est*, utpote definitum a *Trid.* (Sess. VII, can. 2) : "Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi : Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu S., ad metaphoram aliquam detorserit, A. S."

(A) *Script.* Ex textu jam citato : "Nisi quis renatus fuerit ex aquâ"... evidens est Baptismi materiam esse aquam ; atqui vocabulum "*aqua*" sensu litterali, non autem metaphorico intelligendum est ; nam (a) postquam Christus præfata verba protulit, venit in terram Judæam, et illic demorabatur et baptizabat. "Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia *aquæ multæ* erant illic" [3] ; ex quo manifestum est Christum baptizavisse aquâ verâ et naturali, sicut ipse Joannes ; (b) nec aliter Apostoli et discipuli verba Magistri intellexerunt; nam eunuchus Candacis reginæ, etiamsi jam crederet et esset vir justus, debuit baptizari aquâ verâ et naturali, ut christianus fieret [4]. Item centurio Cornelius, jam *spiritualiter* baptizatus a Spiritu S., fuit pariter baptizatus aquâ naturali a S. Petro [5].

---

[1] Circa *Quakeros*, qui se ipsos vocant "The Religious Society of Friends", legi potest "A Concise Account of the Religious Society of Friends by *Th. Evans*" ; eorum doctrina exposita fuit præsertim a *R. Barclay*, Theologiæ veræ Christianæ Apologia ; cf. American Church History Series, vol XII, 1894, p. 163 sq. In Statibus Fœderatis 107,208 numerantur, et 20,000 circiter extra hanc regionem.

[2] *S. Thomas*, 3 p. q. 66, a. 3-4 ; *Suarez*, disp. XX, sect. I ; *Bellarminus*, c. 3 ; *Billuart*, diss. I, a. 3 ; *Tournely*, q. I, a. 2 ; *Kenrick*, de Baptismo, c. I ; Treatise on Baptism, c. 2-4 ; *Tepe*, n. 128 sq.

[3] *Joa.* III, 22-23. — [4] *Act.* VIII, 27-39.

[5] *Act.* X, 44-48. — Difficultates a Quakeris propositas, solutas vide apud *Kenrick*, de Baptismo, Cap. I, 33 et seq., vel Treatise on Baptism, p. 27-59.

(B) *Rat. conv.* Illa materia est conveniens ad Baptismum, quæ ex unâ parte est sat communis, et ex alterâ optime effectus sacramenti repræsentat; atqui ita est de aquâ; nam est communis ubique terrarum, et insuper optime designat effectum Baptismi: aqua enim suâ *humiditate* lavat et ita figurat ablutionem peccati; sua *frigiditate* calorem temperat, et ita designat concupiscentiæ mitigationem; suâ *diaphaneitate* lumen suscipit, et ita figurat luminis fidei susceptionem; ergo (*S. Th.* 3. p. q. 66, a. 3).

14. 3° *Regulæ practicæ quoad validitatem*[1] (a) Materia *certo valida* est omnis aqua naturalis, dummodo non alteretur per mixtionem cum altero corpore in quantitate majori aut æquali, aut per substantialem transmutationem; v. g. aqua ex pluvia, ex rore, nebulis collecta, aqua mineralis, aqua maris, aqua ex nive in liquidum statum redacta.

(b) Materia *certo invalida* est quidquid, juxta communem æstimationem, non censetur vera aqua, v. g. lac, sanguis, sudor, vinum, potus caffei, vel thei, in quibus magna copia extraneæ materiæ cum aqua miscetur.

(c) Materia *dubia* est quidquid probabiliter adhuc censeri potest aqua, quamvis alterationem gravem susceperit, v. g. potus caffei vel thei valde tenuis, lixivium, aqua ex sale soluta, aqua rosacea, glacies nondum resoluta etc.

15. 4° *Regulæ ad liceitatem.* (a) Ad licitam administrationem Baptismi, sive privati, sive solemnis, adhibenda est, si fieri potest, aqua eo anno benedicta in Sabbato sancto, aut vigiliâ Pentecostes, et quidem sub gravi, juxta communem sententiam. Ita *Rit. Romanum*, tit. II, n. 4.

(b) Si aqua benedicta imminuta fuerit, alia non benedicta admisceri potest in minori tamen quantitate; si autem corrupta fuerit, vel defecerit, Parochus novam benedicat ex formulâ præscriptâ; pro Americâ adest formula abbreviata (*Supplement. Rit.*); si deficiat tempus aquam novam benedicendi, aqua non consecrata præferenda est aquæ consecratæ fœculentæ[2].

---

[1] *S. Alphonsus*, l. VI, n. 102 sq.; *Konings*, n. 1251 sq.; *Marc*, n. 1453 sq.; *Lehmk.* n. 58; *Sabetti*, n. 654; *Ballerini-Palmieri*, de Baptismo, n. 6 sq.

[2] Deficiente aquâ baptismali, missionarii utantur in casu necessitatis

(c) Si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat; si nimis frigida, parochus paululum aquæ naturalis calefacere potest, eamque admiscere aquæ benedictæ. (*Rit.* t. I, n. 7.)

II. De materiâ proximâ[1].

16. 1° *Status quæstionis.* Certum est *ablutionem* esse Baptismi materiam proximam; sed quum ablutio tribus modis perfici possit, immersione, infusione vel aspersione, quæritur quisnam ex his modis ad validitatem requiratur. Ritum immersionis ab Apostolis fuisse usurpatum, et in Ecclesiâ tum Græcâ tum Latinâ fuisse communiter retentum usque ad sæc. XIII pariter constat; sed a sæc. XIV ritus infusionis in Eccl. Latinâ prævaluit. Hinc ab ipso Reformationis initio ortæ sunt *Anabaptistarum* et *Baptistarum* sectæ, tum in Germaniâ tum in Angliâ, contendentes Baptismum nonnisi immersione valide conferri posse[2]. Quorum præcipua argumenta hæc sunt: (a) vocabulum βαπτίζω a Christo adhibitum unum significat, quando litteraliter accipitur, videlicet *immergere;* (b) alia vocabula de Baptismo usurpata, λούω, λουτρον nihil aliud significant nisi totum corpus lavare; (c) Baptismus in fluminibus vel stagnis ministrabatur, ideoque per immersionem[3]; (d) ea quæ S. Paulus tradit de mysticâ Baptismi significatione immer-

aquâ naturali, non autem aquâ benedictâ, ut decrevit *S. C. Officii* 6 ap. 1741, ap. *Collectanea*, n. 499.

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 66, a. 7-8; *Suarez*, disp. XX, sect. 2-3; *Drouin*, q. II, c. 2; *Tournely*, q. I, a. 3; *Kenrick*, Theolog. de Baptismo, c. 2; Treatise on Bapt. c. 10-12; *de Augustinis*, art, 3; *J. W. Dale*, Classic Baptism, Judaic Baptism, Johannic Baptism, Christian Baptism; *Hodge*, Systematic theol. vol. III, p. 526 sq.

[2] Historiam hujus sectæ fuse narravit *Th. Armitage*, A History of the Baptists, breviter *Schaff*, Creeds of Christendom, I, 840-859. Doctrinam eorum exposuerunt, inter alios, *M. Everts*, Baptist Layman's Book, *Hovey*, Manual of Systematic theology. Quoad præsentem eorum conditionem in Statibus Unitis lege *M. Lyon*, A study of the Sects, p. 112 et sq.; *A. H. Newman*, A History of the Baptist Churches in U. S., 1894; *Carroll*, Religious Forces of the U. S. 1893, p. 16-54, ubi asseritur in Statibus Fœderatis computari Baptistas communicantes, 3, 717, 969; in Majori Britanniâ 330,000, in ceteris Europæ regionibus 400,000 circiter recensentur.

[3] *Joa.* III, 23; *Act.* VIII, 38-39.

sionis ritum manifeste supponunt, quum doceat nos per Baptismum cum Christo consepeliri [1]; (e) id confirmat praxis primævæ Ecclesiæ, et etiam Ecclesiæ græcæ usque in hodiernam diem [2].

17. 2° *Thesis :* **Validus est Baptismus sive per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem collatus.** Certum est.

(A) *Script.* (a) In tantum Baptistarum argumenta valerent, in quantum vox βαπτίζω nonnisi immersionem significaret ; atqui non est ita ; nam, licet sæpe sæpius immersionem designet, quandoque tamen simplicem affusionem vel aspersionem significat. Sic in Scripturâ legitur [3] : " Qui *baptizatur* a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius " ? jamvero baptismus, a lege præscriptus in hoc casu, simplex erat aspersio, juxta illud : " Qui tetigerit cadaver hominis,... *aspergetur* ex hâc aquâ " [4]. Iterum dicitur [5] Pharisæos a foro venientes non comedere nisi *baptizentur ;* atqui hoc nomine designabatur manuum usque ad ulnas lotio, ut probat *Spencerus* [6]. Ibidem commemorantur *baptismata* calicum et urceorum, et æramentorum et lectorum ; atqui baptismata hujusmodi non necessario immersione fiebant, sed lotione quâcumque ratione factâ [7]. Ex

[1] *Rom.* VI, 3-5.

[2] " Ritum (baptismatis) importare subjecti in aquam immersionem evinci potest : a) ex significatione et usu vocis Βαπτίζω qua Christus inspiratique auctores ad hujusmodi ritum designandum usi sunt... In sensu proprio hæc vox immersionem significat, et hunc sensum semper habuit et modo habet græca lingua, dummodo contextus aperte sensum metaphoricum non desideret ; b) ex usu vocis λούω, et fortasse λουτρόν, ad Baptismum significandum (*Act.* XXII, 16) : quia verbum hoc, ait doctor Robinson (Lex. N. T.) significat integrum corpus abluere...; c) ex circumstantiis quarum meminerunt N. T. Scriptores de baptismo disserentes. (*Marc.* I, 9) ; *Joan.* III, 23; *Act.* VIII, 38-39)... d) ex obiter dictis relate ad ritum ipsum, cum ejus explicatur significatio (*Rom.* VI, 3-5 ; *Colos.* II, 12)... e) ex praxi primigeniarum Ecclesiarum, quæ scilicet altero vel tertio ineunte sæculo florebant; f) ex praxi Ecclesiæ græcæ ad nostra usque tempora ". (*Hovey*, baptista, Systematic Theol. p. 313 sq.)

[3] *Eccli.* XXXIV, 30. — [4] *Num.* XIX, 12. — [5] *Marc.* VII, 4.

[6] De lege Hebr., l. IV, c. XII, § 11.

[7] Hinc recte ait *Hodge* (*op. cit.* p. 527, 533) : " Stulte asseritur

his variis locis concludunt omnes exegetæ, sive catholici sive protestantes, solis Baptistis exceptis, vocabulum βαπτιζειν multiplicem significationem obtinere, nec proinde ex ejus usu certo colligi posse solum Baptismum per immersionem validum esse.

(b) Licet immersio fuerit communis ritus ab Apostolis usurpatus, valde probabile est eos sive aspersione sive infusione usos fuisse in quibusdam circumstantiis, nec proinde immersionem esse de necessitate sacramenti; narratur enim tria millia hominum die Pentecostes, et quinque millia alia die, baptizatos fuisse, et vix credibile est eos in aquam immersos fuisse, quum aquæ paucitas in Jerusalem hoc prohibuerit [1]. Insuper S. Paulus baptizavisse refertur custodem carceris, ceterosque de domo ejus mediâ nocte in ipso carcere [2]; atqui valde improbabile est in hisce angustiis Baptismum per immersionem ministratum fuisse; ergo.

(c) Quoad vocabulum "λούω", non negamus quidem per illud significari totius corporis ablutionem, sed ex eo quod in uno casu Baptismus hoc modo ministratus fuerit, illogice infertur hunc ritum solum validum esse.

(d) Additur mysticam Baptismi significationem a S. Paulo

Judæos lectulos strataque in aquam immergere consuevisse. Vox *baptisma* hoc in loco, et ubicumque de religiosa cœremonia agitur, purificationem symbolicam per aquam significat, absque ulla ad modum relatione quo hujusmodi purificatio obtinebatur... (Apud classicos auctores) per hanc vocem venit: 1) immergere aut submergere; 2) inundare vel operire aquâ; 3) totum corpus madefacere, humectare; 4) effundere, temperare; 5) mergi, submergi". — "Cum hæc vox Βαπτίζω varias Judæorum ablutiones, ut aspersionem, infusionem etc. (*Hebr.* IX, 10), æque ac morem sese ante cibum, suasque suppellectiles lavandi adsignificet, constat hanc vocem minime modum exprimere quo res fit, videlicet per immersionem aut infusionem, sed tantum rem ipsam, actum scilicet abluendi, vel usum aquæ hoc vel illo modo". (Encyclop. of Biblical Literat. auctoribus *Mc Clintock et Strong.*)

[1] *Act.* II, 41. — "Nulla est aqua fluens prope Jerusalem, si rivum Siloe excipias, qui centum ferme passus defluit; urbi aquam cisternæ aliaque hujusmodi subministrant. Ex nullo horum fontium tantum aquæ hauriri licet ad octo millia hominum per immersionem baptizandos". (*Robinson*, Biblical Researches in Palestine, vol. I, pp. 479-516 apud Hodge, l. c. p. 534).

[2] *Act.* XVI, 33.

traditam immersionis ritum supponere[1]; fatemur equidem hoc ritu melius significari sepulturam Christi, cui Apostolus Baptismum comparat, sed alibi[2] alias mysticas hujus sacramenti significationes exponit, quæ per aspersionem et infusionem optime repræsentantur : "*aspersi* corda a conscientiâ malâ, et *abluti* corpus aquâ mundâ". Quid igitur ex hoc logice inferri licet nisi triplicem hunc ritum validum esse?

18. (B) *Tradit.* Fatemur equidem Baptismum per trinam immersionem fuisse in Ecclesiâ communem per multa sæcula, imo a nonnullis dubitatum fuisse utrum alii modi baptizandi legitimi essent; sed ex indubitatis factis constat Baptismum quandoque per infusionem fuisse ministratum et ut validum ab universali Ecclesiâ consideratum. (a) Id probat S. Romani exemplum a S. Laurentio hoc modo baptizati; eodem modo S. Symphorianus a S. Benigno baptizatus fuit; multaque alia facta hujusmodi invenire est apud *Martene*, op. cit. lib. I, cap. I, art. XIV. (b) Item ex Patrum scriptis[3] et Conciliorum decretis colligitur Baptismum ægrotantibus (*clinicis*) in lecto decumbentibus *infusione* administratum fuisse, quin tamen sub conditione rebaptizati fuerint, quando ex morbo convaluerint, licet a sacris ordinibus prohibiti fuerint ob dilatam usque ad mortis periculum Baptismi susceptionem. (c) Hinc *S. Cyprianus* de *Clinicis* interrogatus respondit, per hunc ritum "in nullo mutilari et debilitari posse divina beneficia... aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere" (Epist. ad Magnum n. 12). Porro hæc omnia facta, multaque alia quæ referri possent, evidenter ostendunt immersionis ritum, licet communiter usurpatum, non fuisse ut essentialem consideratum[4]. Si autem postea in Eccl. Latinâ paulatim derelictus

[1] *Rom.* VI, 3-5. — [2] *Hebr.* X, 22.

[3] Ut unum saltem exemplum afferamus, in opere cui titulus Διδαχή, quod scriptum fuit circa finem primi, vel initio secundi sæculi et Apostolorum doctrinam exhibet, hæc de Baptismo leguntur : "Si non habeas aquam fluentem, in aliâ aquâ baptiza; si non potes in frigidâ, in calidâ baptiza. Si neutram habeas (ad immergendum), effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritûs S. εὰν δὲ ἀμφότερα μὴ ἔχῃς, ἔκχεον εἰς τὴν κεφαλὴν τρὶς ὕδωρ..." (n. VII).

[4] Aliquando opponuntur hæc verba Pontificis *Pelagii* (Ep. ad Gau-

fuerit, præcipuæ rationes fuerunt ut sic melius modestiæ consuleretur, et incommoda, quæ in frigidis præsertim regionibus ex immersione oriuntur, vitarentur.

(C) *Rat. conv.* Conveniebat sane ut sacramentum adeo necessarium eo modo institueretur ut facile ab omnibus, etiam parvulis et morientibus, et ubique suscipi posset; atqui si immersio ad validitatem requireretur, multi essent qui, propter rerum adjuncta, illud, absque magnâ difficultate, recipere nequirent : ergo merito rejicitur absoluta necessitas immersionis, utpote spiritui christiano contraria ac pharisaismum redolens.

19. 3° *Regulæ practicæ ad rectum materiæ usum* [1]. (A) *Ad validitatem*, (a) aquâ *fluere* debet, ut subjectum sit vere ablutum ; proinde si una tantum vel altera gutta infantem tetigerit, quin tamen fluxerit, Baptismus dubius est ; si vero motu digiti madefacti minister aquam in subjecto hærentem diffundat, communiter censetur Baptismus esse validus ; (b) aqua debet *immediate* cutem tangere ; hinc si aqua vestes tantum tangat, Baptismus invalidus est ; si crines solum, dubius ; (c) infusio fieri debet super *caput;* secus, Baptismus dubius erit, licet probabilius validus sit, si fiat in aliâ parte principali corporis, ut pectore, collo etc.; (d) ablutio perfici debet ab eâdem personâ quæ verba pronuntiat, ut sic verificetur forma : *ego te baptizo ;* (e) juxta paucos, si quis projiciat subjectum in flumen vel mare, simul formam pronuntiando, Baptismus non valet, quia non solum immersio, sed etiam *emersio ex aquâ* in hoc casu requiritur.

(B) *Ad liceitatem*, attendantur hæc *Ritualis* verba (n. 10) : " Baptisma licet fieri possit aut per infusionem aquæ, aut

dentium, in cap. *Multi* dist. 4 de Consecratione) : " Evangelicum præceptum, ipso Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trinâ immersione sanctum baptismum unicuique tribuere " ; ex quo arguitur trinam immersionem jure divino esse præscriptam. Sed paulo attendenti patet, tum ex contextu tum ex historicis circumstantiis, id quod ibi præscribitur esse *formam* baptismi, " in nomine Trinitatis ", non autem modum baptizandi ; Pelagius enim contra illos scribebat qui, triplicem immersionem retinentes, negabant baptismum in nomine Trinitatis conferendum esse.

[1] *S. Alphonsus*, l. VI, 105-107 ; *Konings*, 1253-54 ; *Marc*, 1456-57; *Lehmk.*, 61 62 ; *Sabetti*, 655 ; *Ballerini-Palmieri*, n. 12 sq.

per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur" ; jamvero usus nunc invaluit per *infusionem* baptizare, et trina fit ablutio in modum crucis uno et eodem tempore quo verba proferuntur.

§ II. De Baptismi forma [1].

20. 1° Baptismi forma ab ipso Christo tradita videtur, dum Apostolis dixit : " Euntes ergo ... baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs S.". Huic formæ nonnulla verba in quibusdam Ecclesiis olim addita fuerant, v. g. " Baptizo te in nomine Patris... in remissionem peccatorum ut habeas vitam æternam ", quin tamen ut essentialia habita fuerint. Juxta *Rituale* Romanum, hæc forma adhibenda est : " Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus S." sine *Amen* in fine. Græci autem dicunt : *Baptizatur* (non autem, ut quidam putârunt, baptizetur) N. servus Christi in nomine Patris etc. ... amen " [2]. Sed olim non sacerdos baptizans, sed populus vel clerus præsens respondebat *Amen :* proinde hæc non est vox essentialis.

21. 2° *Regulæ practicæ :* (a) Vox *ego* in linguâ latinâ essentialis non est, quia satis includitur in verbo *baptizo;* secus autem in linguâ anglicâ, germanicâ, gallicâ ... etc., quia pronomen in verbo ipso non continetur.

(b) Vox *te* pariter essentialis est [3], potest autem suppleri per *vos* aut nomen proprium.

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 66, a. 5; *S. Alphonsus*, 108-112; *Konings*, 1255-56; *Marc*, 1458-59; *Lehmk.*, 63-64; *Sabetti*, 656-657; *Ballerini-Palmieri*, n. 24 sq.

[2] Apud Armenos schismaticos, dicitur : " Baptizat (vel baptizet) nunc manus mea in nomine Patris" etc., et hæc forma tanquam legitima declarata est a *S. C. Officii*, 8 Sept. 1633. Baptismus autem collatus per verbum *præteriti* temporis (v. g. baptizatus est) invalidus est, nisi ex usu loquendi vel intentione loquentis intendatur tempus præsens, ut constat ex *S. C. de Prop. Fide*, 27 mart. 1631. Cf. *Collectanea*, n. 519-520.

[3] " De baptismo, ex omissione pronominis *te* in ejus collatione, quod ex Coreanorum ignorantiâ sæpe contigisse refers, *invalidum* fuisse sacramentum perspicua res est". (Ex Litt. *S. C. de Prop. F.*, *Collect.* n. 526).

(c) *Baptizo* est vox essentialis ; suppleri potest valide per verbum exprimens notionem abluendi ; non autem per verbum exprimens solummodo Baptismi effectus. Hinc valida esset forma : "ego te abluo, tingo, lavo"; invalida : "ego te ungo ; ego tibi ministro sacramentum remissionis peccatorum" ; dubia est forma : "*I christen thee*" (*etymologice* te facio Christianum) quia non sufficienter ablutionem exprimit ; probabilius tamen valida est, quia, ex usu loquendi hodie recepto, idem significat ac *te baptizo.*

(d) Probabilius vox *in* non est essentialis, quum ejus omissio in linguâ latinâ sensum non destruat ; si tamen omissa fuisset, ad Episcopum recurratur, vel ad S. Sedem.

(e) Vox *nomine* est essentialis. Dicere *cum* nomine sine malâ intentione valori non obstat ; *in nominibus* Baptismum invalidaret, quia non exprimit personarum unitatem ; dicere : "in auctoritate" ... dubium relinqueret Baptismum.

(f) Essentiale est sigillatim exprimere tres personas SS. Trinitatis, et quidem vocibus communiter receptis. Unde invalida est forma "in nomine Dei, in nomine Trinitatis" ; dubia est forma "in nomine Patris et *Christi* (loco Filii) et Sp. Sancti" ; dubia est forma : "in nomine Dei unius et trini" [1].

(g) Quoad vocem "*et*", si bis omittatur, dubius est Baptismus ; validus autem erit, si omittatur semel tantum, scilicet inter nomen Patris et nomen Filii, ut patet ex decisione S. Cong. Conc. et S. Offic. 12 Sept. 1801 in *Fæsul.*

22. 3° *Scholion.* In libro Actuum [2] legitur quosdam *in nomine J. Christi* baptizatos fuisse : exinde nonnulli, inter quos Beda, P. Lombardus, Cajetanus, putârunt validum esse Baptismum in nomine Jesu collatum. Communis tamen

[1] Cum *Lehmkuhl* (n. 64) putamus formulam "in nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Spiritûs S." esse validam, quamvis *Gury* eamdem tanquam dubiam habeat (Casus II, n. 191), quia sufficienter trinitatem personarum indicat, nec tritheismum importat ; in praxi tamen, si casus occurrat, adeantur Rom. Congregationes.

[2] *Act.* II, 38; X, 48 etc.

sententia contrarium tenet, et præfati Actuum loci duplici modo explicantur : (a) alii cum *S. Thomâ* (3 p. q. 66, a. 6 ad 1) tenent Apostolos per specialem dispensationem valide baptizâsse in nomine Christi, ut ejus nomen sic honorabile redderetur ; (b) alii vero putant baptizare in nomine Jesu nihil aliud significare nisi baptizare in Christum credentes, vel Christi Baptismum conferre, per oppositionem ad Joannis baptismum.

Quoad baptismi *materiam*, hæc attendatur recens *S. Officii* decisio, 21 aug. 1901 : " Plures medici in nosocomiis aut alibi casu necessitatis infantes, præcipue in utero matris, baptizare solent aquâ cum hydrargyro bichlorato corrosivo (gallice : *chloride de mercure*) permixtâ. Componitur fere hæc aqua solutione unius partis hujus chloreti hydrargyrici in mille partibus aquæ...

1. Estne baptisma cum hujusmodi aquâ administratum certo, an dubie validum?

2. Estne licitum, ad omne morbi periculum vitandum, hujusmodi aquâ sacram. baptismatis administrare?... " — Responsum est :

" Ad 1. Providebitur in secundo.

Ad 2. Licere, ubi verum adest morbi periculum "[1].

[1] *Ami du Clergé*, XXIV, 1902, p. 240.

Caput II.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Duplex est Baptismi effectus : *gratia* et *character*. Gratia autem in Baptismo collata est *remissiva peccati*, et *pœnæ* peccato debitæ, necnon *regenerativa*.

I. De gratiâ [1].

23. *1a Thesis :* **Baptismus vere et proprie delet omnia peccata, tam originale quam actualia antea commissa.** *De fide est*, contra Protestantes quorum plerique contendunt peccata non vere deleri per Baptismum, sed tantum radi. Probatur.

(**A**) *Script.* S. Petrus expresse neo-conversis declarat : " Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in *remissionem peccatorum* " [2] ; item Ananias S. Paulo dicit : " Exsurge et baptizare, et *ablue peccata tua* " [3] ; tandem S. Paulus multoties affirmat nos per Baptismum esse mortuos peccato : " Ita et vos existimate vos *mortuos* quidem *peccato*, viventes autem Deo " [4]. Atqui hæc verba sunt omnino generalia et applicantur omni peccato sive originali sive actuali ; ergo. Peccata autem illa vere deleri per gratiam justificationis intrinsece animæ inhærentem jam probatum est in *Tr. de Gratiâ*, n. 128.

(**B**) *Trad. Florentinum* ita loquitur de Baptismo : " Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque pœnæ ".

(**C**) *Rat. theol.* Ex doctrinâ S. Pauli [5], homo per Baptismum sepelitur cum Christo, et moritur pristinæ vetustati,

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 69; *Suarez*, disp. XXVI; *Bellarminus*, l. I, c. 12-18; *Drouin*, l. II, q. IV; *Tournely*, q. IV; *Billuart*, diss. IV; *de Augustinis*, a. 8; *Corblet*, op. cit. l. VIII.

[2] *Act.* II, 38. — [3] *Act.* XXII, 16. — [4] *Rom.* VI, 11. — [5] *Rom.* VI, 2-13.

et incipit in novitate vitæ ambulare ; atqui peccatum sive originale sive actuale pertinet ad pristinam vetustatem, ut colligitur ex eodem loco : " Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati " ; ergo tollitur per Baptismum. (*S. Th.* q. 69, a. 1.)

24. 2ª *Thesis :* **Baptismus remittit, simul cum culpâ, omnem pœnam peccato debitam, non autem omnes vitæ pœnalitates.** Prima pars est *de fide.*

(A) *Script. innuitur.* Dicit enim S. Paulus de iis qui inserti sunt in Christo per Baptismum : " Nihil ... damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu" [1]; quæ verba Patres et Concilia, præsertim *Florentinum* et *Tridentinum*, intellexerunt etiam de pænæ temporalis deletione.

(B) *Trad.* Præter verba Florentini jam citata, *Trid.* hac habet : " In renatis nihil odit Deus ... innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti ..., hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut *nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur* "[2]; jamvero si aliqua remaneret pœna ab eis luenda, sive æterna sive temporalis, non possent statim cœlum ingredi. Confirmatur *praxi Ecclesiæ*, quæ nunquam pœnitentiam imponit neo-baptizatis, dum e contra pœnitentibus semper imponit in sacro tribunali.

(C) *Arg. conv.* Per Baptismum homo ita incorporatur Christo, ut ipsi applicentur satisfactiones Christi in suâ passione ; atqui tales satisfactiones vim habent tollendi non solum omnem culpam, sed etiam omnem pœnam, quum Christus pro utrâque abundanter satisfecerit. (*S. Th.* q. 69, a. 2.)

25. *Secunda pars* certa est, et quotidianâ constat experientiâ ; nam dolores, mors, ignorantia, et concupiscentia, quæ sunt pœnalitates, in baptizatis existunt, nec totaliter auferentur nisi in cœlo ; variæ rationes convenientiæ afferri possunt ad hoc explicandum ;

(a) Ex parte *Christi :* nam convenit ut christiani, qui per Baptismum fiunt ejus membra Christi, similes sint Capiti suo; atqui tota vita Christi crux fuit et martyrium : "Nonne hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam"[3]?

---

[1] *Rom.* VIII, 1. — [2] Sess. V, can. 5. — [3] *Luc.* XXIV, 26.

Ergo talis debet esse vita christiani. Merito igitur *S. Bernardus* ait : " Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum ". (Serm. v in fest. omnium SS. n. 9.)

(b) Ex parte *hominis :* conveniebat ut homo victoriæ coronam mereretur, antequam illam acciperet ; atqui illæ pœnalitates homini præbent optimum medium ut possit, per multa certamina, coronam gloriæ mereri : " Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis "[1]. Ergo.

(c) Ex parte *Ecclesiæ :* conveniebat ut homines in Ecclesiam intrarent, Baptismumque acciperent propter motiva supernaturalia, non autem propter naturalia ; atqui si Baptismus tolleret vitæ pœnalitates, multi ad illum concurrerent non propter gratiam aut gloriam obtinendam, sed ut liberarentur ab incommodis illarum pœnalitatum. Ergo[2].

26. *3a Thesis :* **Gratia sacramentalis, per Baptismum collata, est gratia regenerativa, cum jure ad obtinendas gratias actuales pro vitâ christianâ recte instituendâ.** *Certum est.*

(A) *Script.* Etenim per Baptismum *renascimur* ex aquâ et Spiritu S.[3] et efficimur *filii Dei* per fidem[4], ita ut Baptismus vocetur "lavacrum *regenerationis* et renovationis Spiritus S... ut justificati gratiâ ipsius, heredes simus, secundum spem, vitæ æternæ "[5] ; atqui illæ expressiones evidenter important nos per Baptismum spiritualem nativitatem accipere. Quum autem illa nativitas nobis imponat obligationem vivendi christiane et in novitate vitæ ambulandi, teste S. Paulo, nullum dubium est quin tempore opportuno nobis dentur gratiæ actuales ad Christum imitandum.

(B) *Rat. Theol.* Essentia generationis est ut det genito primum esse et vivere ; atqui Baptismus, tollendo peccatum originale et actuale, gratiamque primam infundendo, eo ipso dat nobis primum esse et vivere in ordine spirituali ; ergo est vere sacramentum regenerationis.

Quam quidem gratiam comitantur virtutes infusæ ac dona Spiritûs S., ex dictis in *Tr. de Gratiâ*, n. 176-182. Simul

[1] *II Cor.* IV, 17. — [2] *S. Thom.* q. 69, a. 3. — [3] *Joa.* III, 5.
[4] *Galat.* III, 26. — [5] *Tit.* III, 5 7.

autem datur jus ad gratias actuales, quibus homo spiritualiter regeneratus vitam Christo dignam ducere valeat. Nam, ut arguit *S. Thomas* (l. c., a. 5), per Baptismum aliquis incorporatur Christo quasi membrum ipsius ; atqui, sicut a capite naturali derivantur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus motus spiritualis, scil. gratia actualis, vi cujus baptizati illuminantur in rebus fidei et fecundantur fecunditate bonorum operum.

Corollarium : Baptismus regni cœlestis januam aperit ; nam aperire januam regni cœlestis est removere impedimentum quo quis impeditur regnum cœleste introire. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Atqui supra ostensum est per Baptismum omnem culpam et reatum pœnæ tolli ; ergo effectus Baptismi est apertio januæ regni cœlestis. (*S. Th.* q. 69, a. 7.)

II. De charactere.

27. Jam probavimus existentiam illius characteris in *Tr. de Sacr. in genere* (n. 69) ; remanet ut ejus proprietates declaremus.

1° Per baptismalem characterem *homo unitur Christo, sicut membrum capiti.* Quo sensu dicitur : " Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis "[1] ; aut etiam : " Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi "[2] ; nam per hæc verba significatur nos per Baptismum fieri discipulos Christi, ejus subditos, et membra corporis cujus ipse est caput.

2° Per baptismalem characterem *homo fit civis Ecclesiæ.* Dicitur de illis qui ipso die Pentecostes a Petro conversi sunt : " Qui receperunt sermonem ejus baptizati sunt, et appositæ sunt (Ecclesiæ) animæ circiter tria millia "[3] ; quibus verbis implicite asseritur Baptismum esse veluti januam, per quam quis in Ecclesiam ingreditur, atque fit Ecclesiæ civis.

3° Per baptismalem characterem, *homo fit idoneus ad cetera sacramenta suscipienda et alia Ecclesiæ bona.* Illud

[1] *Galat.* III, 27. — [2] *I Cor.* VI, 15. — [3] *Act.* II, 41.

insinuatur a *Florent.* declarante Baptismum esse januam vitæ spiritualis, et expresse a Catechismo *Trid.* docetur[1]: "Baptismi quidem charactere ... consequimur, ut ad alia sacramenta suscipienda reddamur idonei". Ratio est quia Baptismus nos efficit membra et cives Ecclesiæ; atqui civis alicujus societatis eo ipso idoneus efficitur ad recipienda bona quæ in eâ sunt; ergo.

Corollarium. In Baptismo fit veluti contractus inter Deum et homines: ex unâ parte Deus (a) remittit omnem culpam et pœnam; (b) infunditque vitam spiritualem; (c) promittendo insuper omnia media necessaria ad eam servandam et augendam.

Ex alterâ parte, baptizatus (a) abnegat Satanam, ejusque pompas et opera, i. e. peccata et peccati occasiones; (b) suscipit obligationem christiane vivendi, Christi vestigia sequendo; (c) et profitetur obedientiam Ecclesiæ, ejusque Pastoribus, præsertim vero R. Pontifici, qui est Christi vicarius.

[1] Pars IIa de Sacram. in genere, n. 30.



Caput III.

DE MINISTRO.

Art. I. De ipso ministro[1].

Quilibet homo, rationis compos, valide baptizare potest : si vero de liceitate agatur, inter casum necessitatis et casum Baptismi solemnis distinguere oportet.

I. In casu necessitatis.

28. 1° *In casu necessitatis quilibet homo, ratione utens, non solum valide, sed etiam licite baptizare potest.* Certum est (a) ex *Lateran.* IV, cap. *Firmiter*, et ex *Florent.* : " In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ ". (b) Confirmatur *Ecclesiæ praxi ;* sæpe sæpius Baptismus a laicis collatus fuit in casu necessitatis ; et Patres, nedum talem praxim vituperarent, illam potius approbaverunt, ne quisquam sine remedio salutari de sæculo exiret (*S. Gelasius*, Epist. ad Episcop. Lucan. c. 7). Videtur quidem *Tertullianus* (de Baptis. c. 17) excludere feminas a facultate ministrandi Baptismum, sed ex contextu aliisque locis apparet feminas solummodo excludi a *solemni* et publicâ baptizandi administratione.
(c) *Rat. conv.* Convenit ut ea quæ sunt necessaria necessitate medii ad salutem facile inveniri possint; atqui Baptismus est necessarius ad salutem ; ergo conveniebat ut facile ministrari posset ac proinde ab omnibus, nec reservaretur sacerdotibus, qui aliquando deficere possunt. (*S. Th.* 3 p. q. 67, a. 3.)

---

[1] *S. Alphonsus*, 113-118 ; *Konings*, n. 1260 sq. ; *Marc*, n. 1460 sq. ; *Lehmk.* n. 65 sq. ; *Sabetti.* n. 658-59 ; *Ballerini-Palmieri*, n. 34 sq.

2° Attamen *ad liceitatem* aliquis ordo servari debet ; sc. si adsit sacerdos, diacono præferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminæ, nisi tamen femina melius sciret formam et modum baptizandi, aut nisi pudoris gratiâ deceat feminam potiusquam virum infantem nondum editum baptizare. Sed pater prolem suam baptizare non debet, si alii adsint qui baptizare possint. Sacerdos autem schismaticus vel hæreticus non debet adhiberi, nisi deficiente quacumque personâ catholicâ, item laicus deberet præferri sacerdoti excommunicato. Laicum sacerdoti præferre etiam consentienti, vel hæreticum aut excommunicatum laico catholico grave esset peccatum ; in ceteris autem casibus invertere ordinem esset veniale peccatum.

II. De Baptismo solemni.

29. 1° *Principium generale.* (a) Minister ordinarius Baptismi solemnis est Episcopus vel sacerdos. Diaconus est minister extraordinarius, et indiget speciali delegatione ut licite baptizet. Dicit enim *Florent.* : " Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare" ; quoad diaconum, licet in suâ ordinatione facultatem baptizandi accipiat, illa potestas exerceri nequit sine licentiâ Episcopi vel Pastoris, juxta locorum consuetudinem : " Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant nisi necessitas extrema compellat " (*S. Gelasius*, ad Epis. Luc. c. 7). Imo diaconus, qui sine delegatione Baptismum *solemniter* ministrat cum ritibus et ceremoniis, *probabilius* irregularitatem incurrit, licet probabiliter id negent alii eo quod potestas baptizandi eis competit, licet ligata.

(b) Insuper *jurisdictio* requiritur ad liceitatem in casibus ordinariis, quia per Baptismum quis aggregatur non solum Ecclesiæ universali, sed etiam Ecclesiæ particulari. Atqui aggregare aliquem Ecclesiæ particulari pertinet ad eum qui jurisdictionem habet in illâ ecclesiâ ; ergo.

30. 2° *Regulæ practicæ.* (a) " Gravissimâ reprehensione digni sunt sacerdotes qui infantes ab alienâ parochiâ sive diœcesi sibi allatos temere baptizant cum facile a proprio Parocho baptizari potuissent " (*Conc. Balt.* II, 227). Igitur peccant sacerdotes qui, extra causam necessitatis aut sine

ratione gravi, baptizant alienos parvulos absque licentiâ expressâ, tacitâ vel præsumptâ proprii Parochi aut Episcopi; item parentes, qui, sine gravi motivo, prolem baptizandam deferunt ad alienos sacerdotes.

(b) Peregrini vel vagi baptizari possunt in quâlibet Ecclesiâ quam elegerint.

(c) Insuper regulariter Baptismus debet sub gravi ministrari in Ecclesiâ, non autem in sacristiâ, nisi adsit gravis causa, ab Episcopo approbanda ut constat ex S. C. Rit., nec a fortiori in domiciliis privatis. Hæc habet *Conc. Balt.* II, 237 : " Qui ruri degunt, aut in pagis aut oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiorem... baptizandos adducant; quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam vel alias graves causas hoc fieri nequit, tunc missionarii conscientiæ relinquimus ut eos domi cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis baptizet ". In nonnullis diœcesibus, hæc concessio limitatur ad casum quo parvuli ab ecclesiâ distant tribus milliariis.

(d) Si infantes domi baptizantur sine cæremoniis, cæremoniæ postea supplendæ sunt; in supplendis ritibus omissis, ille ordo servandus qui servandus fuisset tempore quo Baptismus collatus fuit, sc. si tunc temporis baptizandus adhuc infans esset, supplendæ sunt cæremoniæ Baptismi parvulorum ; si adultus, supplendæ sunt cæremoniæ Baptismi adultorum (*Conc. Balt.* II, n° 239).

(e) Si adultus ab hæresi conversus conditionate baptizetur, adhibeantur cæremoniæ pro adultorum Baptismo, nisi speciale Indultum concessum fuerit. (*S. Cong. Rit.* 27 Aug. 1836, *Gardel.* n. 4780).

(f) Cæremoniæ, quæ in solemni Baptismo ad majorem pompam ac solemnitatem adhibentur, non possunt omitti, resecari, mutilari aut præpostero ordine usurpari. " Neque enim, ait *Benedictus XIV*[1], sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantæque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii ". Principium generale est grave esse peccatum omittere par-

[1] Constit. *Inter omnigenas*, die 2 Febr. 1744, n. 19 ; cfr. *Concil. Baltimor. II*, n. 235.

tem notabilem cæremoniarum ; ita v. g. omissio unctionis cum oleo catechumenorum vel chrismate esset grave peccatum, quia hæ unctiones specialem habent significationem ad declarandos sacramenti effectus ; hinc vetera olea servanda sunt, donec recentia obtineantur. Interrogationes a Rituali præscriptæ, latinâ linguâ faciendæ sunt, sed, quum patrini hanc generatim non intelligant, easdem sacerdos proponere potest linguâ vernaculâ, ubi hic usus prævaluit, ut in Statibus Fœderatis, dummodo tamen ea versio adhibeatur quæ fuerit ab Ordinario sancita.

Art. II. De Patrinis[1].

31. (A) Patrini sunt veluti patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant, et in se ejus curam suscipiunt, defectu parentum. Nam, ut recte ait *S. Thomas* (3, q. 67, a. 7), spiritualis regeneratio assimilatur carnali generationi; sicut parvulus recens natus indiget nutrice et pædagogo, ita pariter qui spiritualiter renascitur indiget spirituali nutrice et pædagogo, ut in fide ac vitâ christianâ instituatur. In Baptismo solemni, sub gravi adhiberi debet unus saltem patrinus, sive vir sive mulier, nec possunt adhiberi plus quam duo, ne multiplicentur impedimenta spiritualis cognationis. Si duo adhibentur, non debent esse duo mares vel duæ feminæ, sed vir et femina, saltem sub levi. In Baptismo privato non requiritur patrinus, quamvis laudabiliter adhiberi possit.

(B) Ut quis valide sit patrinus, necesse est ut : (a) rationis usum habeat et sit baptizatus ; (b) a parentibus vel a Parocho designatus fuerit ut patrinus ; (c) tangat physice, sive per se, sive per procuratorem, baptizatum ipso tempore ablutionis vel, statim post ablutionem, e manu sacerdotis eum accipiat; (d) habeat intentionem munus patrinii suscipiendi. Convenit etiam patrinos esse jam puberes, ac confirmatos, licet id non absolute requiratur.

(C) Valide, non autem licite patrini esse possunt : (a) religiosi utriusque sexus vota solemnia edentes quia, propter

[2] *S. Alphonsus*, 146-160 ; *Konings*, n. 1265 sq.; *Marc*, n. 1483 sq.; *Lehmk.*, 70 sq.; *Sabetti*, 663-64 ; *Ballerini-Palmieri*, n. 81 sq.

statum suum, aliorum curam gerere nequeunt; (b) conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum; (c) peccatores publici et a fortiori hæretici, quum hi catholicam educationem vix procurare valeant. In casu autem quo maximum incommodum timeretur, si hæreticus a parentibus designatus publice rejiceretur, potest admitti ut testis, quin tamen admoneatur de tangendo puero, cum aqua infunditur; quo tamen casu hæreticus non erit vere patrinus; sed melius est nullum adhibere patrinum quam hæreticum, ut constat ex responso *S. Offic.* die 3 maii 1893, ubi dicitur: "præstare ut Baptismus conferatur sine patrino, si aliter fieri non possit". Pariter catholicis non licet munus patrini exercere quoad hæreticos, quidquid in contrarium dixerint theologi non pauci [1].

32. (D) Patrini tenentur instruere baptizatum de fide et moribus christianis, defectu parentum.

(E) Insuper patrini contrahunt impedimentum spiritualis cognationis, etiam in baptismo privato, de quo in *Tr. de Matrim.* agitur.

[1] Hujusmodi auctores ignorabant decisionem *S. Officii* 10 maii 1770, recenter publici juris factam ap. *Acta S. Sedis*, vol. XXVII, p. 455: "Sanctissimus decrevit, catholicis regulariter non licere hæreticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis, matrimoniis interesse. Absolute autem non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, quæ hæreticorum filiis ab hæreticis ministrantur".

Caput IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Dicemus : 1° de *necessitate* Baptismi pro omnibus ; 2° de *infantium* Baptismo ; 3° de *dispositionibus* ad Baptismum requisitis ; 4° de *iteratione* Baptismi.

Art. I. De necessitate Baptismi.[1]

I. De necessitate Baptismi aquæ.

33. 1° *Status quæstionis.* (A) Duplici modo aliquid potest esse necessarium ad salutem, scilicet necessitate medii vel præcepti. (a) Illud est necessarium necessitate *medii*, quod est medium et quidem necessarium justificationis, ac proinde sine quo, etiam *inculpabiliter* omisso, salus obtineri nequit ; in hoc casu igitur, neque ignorantia, neque impotentia excusare potest. Aliquid autem potest esse necessarium necessitate medii dupliciter : (a) *absolute* vel *intrinsece*, quando ex *naturâ suâ* ordinatur ut medium necessarium ad salutem, ita ut suppleri nequeat, v. g. fides pro adulto in sacr. Bapt. vel Pœnitentiæ... etc. (b) *relative* vel *extrinsece*, quando solum ex *libera Dei institutione* requiritur ad salutem, ita ut per alia media, Deo volente, suppleri possit : v. g. Baptismus aquæ, sacr. Pœnitentiæ.
(b) Illud est necessarium necessitate *præcepti*, quod ita præscribitur ut libere omitti nequeat sine peccato ; si igitur culpabiliter omittatur, est causa damnationis ; si autem omittatur inculpabiliter, ob ignorantiam, vel impotentiam, absque eo salus obtineri potest ; ita est v. g. de susceptione Eucharistiæ.

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 68, a. 1 sq. ; *Suarez*, disp. XXVII ; *Bellarminus*, c. 4-5 ; *Drouin*, q. VI, c. 1 ; *Tournely*, q. II ; *Billuart*, diss. III, a. 1 ; *de Augustinis*, a. 5 ; *Corblet*, op. cit. lib. III ; *Pesch*, n. 409 sq.

34. (B) Circa necessitatem Baptismi multi sunt errores: (a) *Pelagiani*, necnon *Sociniani*, et *Unitarii* absolute negârunt ejus necessitatem, quippe qui simul existentiam originalis peccati rejiciebant. *Quakeri* negant necessitatem Baptismi aquæ, et docent solum spiritualem Baptismum esse necessarium.

(b) *Calvinistæ* docent Baptismum esse quidem necessarium necessitate præcepti, non autem necessitate medii, quum sola fides, inquiunt, possit hominem spiritualiter regenerare, ac proinde infantes absque Baptismo salvari posse; quod Calvinus docuit solum pro baptizatorum filiis, sed moderni Calvinistæ, ad omnes parvulos, etiam ex infidelibus natos, idem extendunt [1]. (c) Antiqui *Lutherani* docebant Baptismum esse necessarium ad salutem necessitate medii; hodie vero tenent eum posse suppleri per media extraordinaria Deo nota [2].

(d) Inter hodiernos *Anglicanos*, non desunt pariter qui negent hoc sacramentum necessarium esse necessitate medii. (e) Inter *Catholicos*, quidam Theologi, dum modo generali affirmant Baptismum necessarium esse necessitate medii, docuerunt parvulos, qui non possunt baptizari, vel invalide baptizati sunt, salvari posse per parentum orationes, et desiderium illis conferendi Baptismum, maxime si tale desiderium exteriori signo manifestetur, et hoc quidem semper ac certâ lege, juxta *Cajetanum* [3], aut saltem

---

[1] Cfr. *Hodge*, System. theol., vol. I, p. 26, vol. III, p. 586-599.

[2] "Docemus Baptismum esse quidem ordinarium initiationis sacramentum et regenerationis medium omnibus omnino etiam fidelium liberis ad regenerationem et salutem necessarium; interim tamen in casu privationis sive impossibilitatis salvari liberos Christianorum per extraordinariam et peculiarem dispensationem divinam". *Gerhard*, Loci theolog. XXI, VIII, 238.

[3] In 3, q. 68, a. 2 et 11. — Eamdem fere opinionem advocavit *Bianchi*, Disput. de remedio æternæ salutis pro parvulis in utero clausis, sed eam alio modo exponit; juxta eum videlicet, si mater prægnans Deo offerat mortem pueri in fidei ac baptismi protestationem, Deus hanc oblationem accipiet tanquam baptismi votum, ab ipso puero elicitum, propter intimam connexionem matris cum filio, eumque justificabit. Tandem auctor anonymus cujusdam dissertationis "De Intolerantiâ Catholicâ", Taurini editæ, 1868, tenet non esse contra fidem

interdum, et ex speciali misericordiâ, juxta *S. Bonaventuram*[1].

2° *Thesis generalis.* **Baptismus aquæ est necessarius necessitate medii, tum adultis, tum parvulis;** *ita tamen ut per martyrium, aut per Baptismi desiderium suppleri possit. De fide est* quoad adultos ex *Trident.* infra citando; certum est quoad infantes, ubicumque saltem lex evangelica fuit sufficienter promulgata.

35. *Prob.* (**A**) *Script.* Illud est necessarium necessitate medii quod exhibetur ut *conditio sine quâ* salus obtineri nequit; atqui Baptismus aquæ exhibetur ut conditio necessaria salutis: "Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei"[2]; (**a**) propositio illa est *universalis negans*, nullas ex se patiens exceptiones nisi eas quas Deus ipse positive instituit (scilicet martyrium et Baptismi votum, ut infra dicetur); (**b**) insuper verba illa non in formâ præceptivâ enuntiantur, sed declarant Baptismum necessarium esse, ut *medium ad finem*, sicut enim nativitas est medium ut quis vitâ naturali vivat, ita spiritualis renascentia per baptismum exhibetur ut medium necessarium ad salutem; (**c**) præterea in *tertiâ personâ* proferuntur, ac proinde conditionem absolutam exprimunt; quando verba in 2ª personâ enuntiantur, sæpe limitari possunt ad solos auditores vel eorum successores, ut quando dicitur: "nisi manducaveritis"[3]...; sed quando sunt in 3ª personâ, nullam limitationem ex se patiuntur, et parvulos æque ac adultos complectuntur; (**d**) tandem Christus ipse hanc interpretationem confirmat, dum immediate addit: "Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spiritu, spiritus est"; his enim verbis declarat cur Baptismus sit necessarius, et ratio est quia homo, qui ex carne nascitur, est peccator, et non potest spiritualem vitam acquirere nisi per Baptismum ex Spiritu denuo nascatur; atqui illa ratio evi-

---

catholicam asserere omnes parvulos sine baptismo decedentes, in limbum exspectationis recipi, donec in secundo adventu Christi per ipsum, *si ei placeat*, regenerentur". Quas opiniones confutat *Dublanchy*, op. cit., p. 210 sq.

[1] In 4, dist. 6, p. 2, a. 2. q. 1. — [2] *Joa.* III, 5. — [3] *Joa.* VI, 54.

denter valet pro omnibus hominibus, sive adultis, sive parvulis ; et ostendit Baptismum esse tam necessarium ad vitam spiritualem quam generatio ad vitam corporalem. Quod argumentum valde probabile est, non autem apodicticum, nisi auctoritate Ecclesiæ firmetur.

36. (B) *Trad.* (a) ex *Patribus*, quorum unum inter alios citare juvat, *Tertullianum* (de Baptismo, c. 12) : " Præscribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illâ maxime pronuntiatione Domini, qui ait : Nisi quis ... etc."

(b) Ex *controversia* cum *Pelagianis* qui ideo damnati sunt quia parvulos sine Baptismo salutem consequi docebant ; hinc Conc. plenarium *Carthag.* in canonibus ad Innocentium I missis, hæc habet : " Quicumque negat parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam, A. S.".

(c) Ex *praxi* tum adultos tum parvulos baptizandi, statim ac periculum mortis instabat; licet enim statuta essent tempora ad solemnem Baptismi administrationem, semper tamen provisum est ut, in periculo mortis, quolibet tempore ægrotantes baptizarentur ne forte, ait *S. Siricius* (Epist. ad Himer. c. 2), " si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam ". Item ratio cur omnibus, etiam mulieribus, baptizare permittitur in periculo mortis, non alia est nisi persuasio Baptismum esse ad salutem omnino necessarium.

(d) Ex *Trident.* : " Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, A. S." (sess. VII, can. 5 de Bapt.) ; quæ quidem verba modo generali Baptismi necessitatem proclamant, et magis elucidantur per alia, in quibus declaratur justificationem " post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non posse, sicut scriptum est : Nisi quis renatus fuerit etc." (sess. VI, cap. 4) [1].

(e) Nec dicatur plurimos in prioribus sæculis nonnisi ætate adulta baptizatos fuisse ; nam talis praxis ut perniciosissi-

[1] Exinde infert *Vega* (In Trident., lib. V, c. 16) parvulos sine baptismo morientes, non posse salvari ; nam ipsi neque votum formale baptismi habere possunt neque virtuale.

mus abusus a Patribus fuit improbatus; rationes autem propter quas per aliquod tempus perseveravit, fuerunt: (a) desiderium cum melioribus dispositionibus suscipiendi sacramentum, quod semel tantum ministrari potest; (b) vel aliquando ne statim contraherentur Baptismi obligationes; (c) vel ut securiores essent de salute suâ, Baptismum recipiendo immediate ante mortem.

37. (C) *Rat. theol.* Nullus potest salvari, post peccatum originale, nisi Christo incorporetur; nam, ex dictis in *Tr. de Verbo Incarnato*, nemo salvari potest nisi per eum; atqui sub N. L. medium quo Christo incorporamur est Baptismus, juxta illud: "Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis"[1]; ergo sine Baptismo non datur salus[2].

38. *Corollaria.* 1° Baptismus aquæ est etiam necessarius *necessitate præcepti* omnibus adultis; nam omne quod est necessarium necessitate medii eo ipso est necessarium necessitate præcepti pro adultis. Sed insuper Christus mandavit Apostolis ut baptizarent omnes gentes: "Euntes ergo docete... baptizantes eos" etc. Atqui obligationi baptizandi, Apostolis impositæ, respondet evidenter obligatio pro omnibus adultis Baptismum suscipiendi; ergo.

2° Opinio *Cajetani* de salute parvulorum non baptizatorum non est quidem hæretica, quia ab Ecclesiâ propriis verbis non est condemnata; contra ipsam tamen militant argumenta in thesi generali allata. Insuper ut censura digna a Congregatione theologorum in Conc. Tridentino judicata est[3], quamvis de facto damnata non fuerit; et postea, jussu Pii V, ab operibus ejus expuncta; tuto igitur tradi non posset. Opinio autem *S. Bonaventuræ* asserens aliquos saltem pueros non baptizatos, speciali privilegio salvari nullo positivo argumento firmari potest.

39. *Controvertitur* autem utrum Baptismus sit absolute necessarius pro infidelium filiis qui nunquam de Evangelio audierunt.

1° Juxta quosdam, ut *Perrone* (n. 135), lex circa necessitatem Baptismi non obligat infideles negativos, quia non

[1] *Galat.* III, 27. — [2] *S. Thom.* q. 68, a. 1.
[3] Cfr. *Pallavicini*, Storia del Concilio di Trento, lib. X, c. 8.

fuit sufficienter promulgata, ac proinde pro illis sufficit remedium ante Christum institutum pro remissione peccati originalis[1]. Sic enim argumentantur : Ut lex sit obligatoria, necesse est ut promulgetur, et, ut obliget omnes in foro interno, necesse est ut promulgetur non solum in uno aut in altero loco, sed etiam apud omnes gentes, imo apud omnia individua ; atqui infideles negativi nunquam de illâ promulgatione audierunt, et hodie adhuc inveniuntur integræ gentes, in quibus lex evangelica minime promulgata fuit, aut saltem valde insufficienter ; ergo lex evangelica illos non obligat.

2° Communius tamen theologi docent cum *Suarez* legem Baptismi obligare etiam infideles negativos. Nam illa lex est irritans, seu invalidans antiquum remedium ante Christum institutum ; atqui lex irritans obligat statim ac publice fuit promulgata, etiamsi per accidens a quibusdam subditis ignoretur, ita v. g. lex irritans clandestina matrimonia valet etiam pro illis personis, quæ legem ignorant.

Cum hic agatur de re quæ a voluntate divinâ maxime pendeat, nil certi definiri potest. Deus autem, qui sincere vult omnium salutem, etiam infantium, mediis sibi notis horum saluti misericorditer providere potest ; aut, si cum originali peccato decedant, eis quamdam conferre beatitudinem, ut dictum est *De Deo Creante*, n. 205.

Ceteroquin, cum baptismus sit medium a Christo institutum ad justificandos homines, enixe rogandus est Dominus messis ut mittat operarios in messem suam, qui parvulos baptizare valeant.

II. De mediis quibus suppletur Baptismus aquæ.

Media illa duo sunt : *caritas, aut contritio* perfecta, et *martyrium;* prius solos adultos, posterius tum adultos, tum parvulos respicit.

1° *De Baptismo flaminis.*

40. *Contritio aut caritas perfecta, cum voto saltem implicito Baptismi, supplet in adultis vices Baptismi aquæ, quoad remissionem peccatorum. Certum est.*

[1] Ita, inter alios, arguit *Dublanchy*, op. cit. p. 203-204.

Explicatur; (A) *cum voto saltem implicito*, quod scilicet includitur in generali desiderio omnia faciendi quæ Deus præcepit; quia, juxta omnes, illud votum implicitum sufficit in eo qui Baptismi legem invincibiliter ignorat, v. g. in infideli negativo; sed, juxta quosdam Theologos, explicitum esse debet in eo qui Baptismi necessitatem cognoscit, v. g. in catechumeno, licet communior sententia teneat etiam in hoc ultimo casu sufficere implicitum votum, quum possit quis actum caritatis perfectæ elicere, quin de Baptismo cogitet.

(B) *quoad remissionem... :* nam caritas perfecta, cum Baptismi voto, remittit quidem peccatum originale et peccata actualia, ac proinde gratiam sanctificantem infundit; sed baptismalem characterem non imprimit, nec ex se remittit totam pœnam temporalem peccato debitam; unde remanet pro illo qui hoc modo sanctificatus fuit obligatio Baptismum aquæ, datâ opportunitate, recipiendi, et nisi prius recipiatur, nullum aliud sacramentum valide recipi potest.

41. *Probatur* (A) *Script.* (a) Christus, etiam post sancitam necessitatem Baptismi aquæ, infallibiliter promisit gratiam sanctificantem illis omnibus qui caritatem perfectam haberent: "Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum ... Si quis diligit me ... ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus"[1]; hæc enim Dei habitatio non fit nisi in animâ justâ; atqui justificatio seu collatio gratiæ sanctificantis supponit remissionem peccatorum; ergo caritas perfecta sufficit ad remissionem peccatorum, et vices Baptismi sub hoc respectu supplere potest. Constat insuper exemplo centurionis, qui, antequam Baptismum reciperet, Spiritum sanctum, ac proinde gratiam, accepit[2]. (b) Idem argumentum valet pro contritione perfectâ, quia talis contritio in se perfectam caritatem involvit; sed insuper de pœnitentiâ perfectâ, seu de contritione dicitur: "Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, ... vitâ vivet et non morietur"[3]. Ex his textibus constat peccatorum remissionem esse cum contritione conjunctam; atqui

[1] *Joa.* XIV, 21-23. — [2] *Act.* X, 44.
[3] *Ezech.* XVIII, 21; cfr. *Isa.* I, 16; *Tr. de Pœnitent.*, n. 55.

talis contritio existere potest sine reali susceptione Baptismi ; ergo.

(B) *Tradit:* (a) *S. Ambrosius*, in oratione habitâ de obitu Valentiniani imperatoris, nondum baptizati, declarat eum Baptismi voto fuisse salvatum [1] : " Si (martyres) suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas ". (b) Item *Innoc.* III, interrogatus de Judæo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, respondit talem Baptismum esse quidem invalidum, sed Judæum propter fidem (i. e. votum) Baptismi salvatum fuisse (3 decretal. tit. 42, c. 4).
(c) Tandem *Trid.* (sess. VI, c. 4) declaravit : " Post Evangelium promulgatum nunquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiæ sine regenerationis lavacro aut ejus voto " ; quod manifeste supponit lavacri seu Baptismi votum sufficere ad justificationem ; ergo.

(C) *Rat. theol.* Ex dictis, Baptismus aquæ est quidem necessarius necessitate medii, sed solum extrinsece, ex positivâ Dei voluntate ; atqui quod est necessarium solum extrinsece potest per aliud suppleri, et conveniens omnino erat ut suppleretur per perfectam caritatem aut contritionem, quæ in se continent omnes internas dispositiones ad justificationem requisitas ; ergo.

2° *De Baptismo sanguinis.*

42. (A) *Ejus natura et conditiones.* Martyrium in adultis est perpessio mortis, vel cruciatûs ex se mortiferi, ob catholicam fidem vel aliam virtutem christianam, patienter tolerata. Unde ad verum martyrium requiritur : (a) *mors* vel *cruciatus ex se lethalis ;* unde non sufficit vulnus, nisi mors exinde naturaliter sequatur, nec sufficit dolor internus etiam maximus; ut dolor B. Virginis ad crucem stantis ; sufficit autem pœna ex se mortifera, v. g. pœna inflicta S. Joanni Apost., qui in ferventis olei dolium conjectus, nonnisi per miraculum mortem vitare potuit ; (b) mors propter *fidem* aut aliam *virtutem* tolerata ; nam, ut ait *S. August.* (serm. 2 in Ps. 34, n. 13), " martyres non facit pœna, sed causa ". Martyres igitur sunt illi qui ob fidem defendendam occiduntur, aut etiam pro defensione Ecclesiæ jurium, ut

[1] Ap. *Migne*, P. L. t. XVI, col. 1375.

S. Thomas Cantuariensis ; aut ob sigillum sacramentale, ut S. Joannes Nepomucenus ; vel propter castitatem servandam, ut multæ virgines ; vel ob aliam virtutem a Christo præscriptam. (c) *Patienter* tolerata ; unde martyr non debet vi resistere, sed *voluntarie* vitam suam dare ; proinde qui dormiens in Christi odium occideretur, non esset vere martyr, nisi antea martyrium ex supernaturali motivo exoptâsset.

Ut martyrium adultos justificare possit, quædam dispositiones internæ requiruntur : (a) Supernaturalis *attritio;* nullus enim adultus justificari potest, nisi a peccato saltem per attritionem se avertat ; hæc autem dispositio vix abesse potest in eo qui pro Deo vitam tradit. Insuper, juxta quosdam, requiritur perfecta contritio ; sed talis opinio communiter rejicitur, quia sic nulla esset specialis virtus in martyrio, et illud medium cum primo confunderetur ; quod est contra modum loquendi Script.[1] et Patrum. (b) *Votum* saltem implicitum Baptismi ; unde si quis ante martyrium baptizari posset, deberet hoc sacramentum recipere.

43. (B) *Ejus efficacia. Martyrium Baptismi vices supplet, quoad remissionem culpæ et pœnæ, tum in adultis, tum in parvulis.* Certum est.

Prob. Script. : Christus enim absolute promisit *salutem* illis omnibus qui nomen ejus confiterentur coram hominibus, aut qui animam suam propter Evangelium perderent : "Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam"[2] ; "Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est"[3] ; atqui illa verba spectant sine dubio adultos qui libere suam vitam pro Christo tradunt, et etiam parvulos qui in ejus odium occiduntur : illi enim non loquendo sed moriendo ipsum confitentur, et insuper vere animam suam perdunt propter Christum et Evangelium ; ergo.

---

[1] Christus enim discipulos ad martyrium excitat quandoque ex motivo timoris : "Nolite timere eos qui occidunt corpus... sed potius eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam" (*Matt.* X, 28); ergo motivum timoris sufficit ad martyrium.

[2] *Matt.* X, 39. — [3] *Matt.* X, 32.

Trad. (a) Ecclesia tanquam Sanctos honorat Innocentes pro Christo interfectos, item B. Simeonem octodecim circiter menses natum, qui a Judæis sævissime trucidatus fuit, aliosque infantes pro fide occisos ; atqui hoc explicari nequit, nisi martyrium vere parvulos justificet ; nec objici potest Innocentes per Circumcisionem justificatos fuisse, nam quidam inter ipsos nondum circumcisi erant et Ecclesia omnes simul illos honorat; aliunde illos honorat, non ut circumcisos, sed ut pro Christo mactatos.
(b) Item Ecclesia colere solet illos etiam qui, nondum baptizati, martyrium susceperunt (v. g. S. Emerentianam) et, nedum preces et sacrificia pro illis offerat, eorum contra opem implorat : " Injuriam martyri facit, qui orat pro martyre", ait *Innoc. III;* atqui illa praxis manifeste supponit martyrium supplere vices Baptismi quoad culpam et pœnam.

Ratione conv. Baptismus aquæ ideo virtutem habet peccata delendi, quia nos in similitudinem mortis Christi configurat ; atqui per martyrium, tum adulti, tum parvuli perfectius Christi morti configurantur quam per Baptismum aquæ, quum martyres ejus passionem imitentur; ergo valde convenit ut martyrium justificet æque saltem ac Baptismus aquæ. (*S. Th.* 3 p. q. 66, a. 12.)

44. (C) *Modus quo operatur.* Martyrium suos producit effectus, scil. remissionem culpæ et pœnæ etiam temporalis, ex *opere operato.* Certum est pro infantibus, quia incapaces sunt cujuscumque dispositionis, nec possunt justificari ex opere operantis; communiter admittitur etiam pro adultis ; nam.

(a) Juxta *S. Aug.* (De Civ. Dei, XIII, 7), " Quicumque pro Christi confessione moriuntur, tantum in eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis " ; atqui Baptisma ex opere operato remittit culpam et pœnam, ex dictis supra ; ergo.

(b) Insuper Ecclesia non orat pro martyribus ; atqui, si martyrium operaretur solum ex opere operantis, orandum esset pro eis ; nam dubitari posset utrum eorum contritio ita perfecta fuerit, ut totam temporalem pœnam tulerit ; ergo.

(c) Tandem si martyrium operatur solum ex opere operantis, suos effectus producit solummodo vi caritatis aut contritionis perfectæ, et si res ita se habeat, nulla ratio remanet cur Baptismus sanguinis a flaminis Baptismo distinguatur.

Art. II. De baptismo infantium.

I. De infantibus in genere[1].

45. 1° *Errores :* (A) Errant imprimis *Baptistæ*, qui *Waldensium* et *Anabaptistarum* vestigiis inhærentes, absolute negant Baptismum infantium validum esse, ideoque iterum baptizant eos qui in infantiâ baptizati sunt, si tamen signa fidei ostendant. Dicunt siquidem neminem baptizari posse, nisi prius signa fidei dederit, juxta illud : " Qui crediderit et baptizatus fuerit " etc.[2]

(B) *Erasmus*, qui sæc. XVI floruit, admittebat quidem validitatem Baptismi infantibus collati, sed simul contendebat pueros baptizatos interrogandos esse, quum ad annos discretionis pervenerint, utrum obligationes Baptismi ratas habere vellent necne, ut sic eorum libertas servari posset. Hodierni *Rationalistæ* pariter docent omnino injustum esse obligationes in Baptismo infantibus imponi, sine eorum consensu.

46. 2° *Thesis :* **Infantes valide et licite baptizari possunt.** *De fide est ex Trident. :* " Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse,... A. S." (Sess. VII, can. 12-14).

(A) *Scriptura.* (a) Deus enim vult salutem omnium, etiam infantium, ut probatum est in *Tr. de Gratiâ*, et constat aliunde ex verbis Christi : " Sinite parvulos venire ad me ... talium est enim regnum cœlorum "[3]. Atqui infantes salvari nequeunt nisi baptizentur, juxta illud : " Nisi quis renatus fuerit ex aqua", ut jam probatum est. Ergo infantes possunt et debent baptizari.

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 68, a. 9 ; *Suarez*, disp. XXV ; *Bellarminus*, l. I, c. 7-8; *Drouin*, q. VI, c. 2; *Tournely*, q. III, a. 3; *Billuart*, diss. III, a. 2 ; *de Augustinis*, a. 7.

[2] Cfr. *Hovey*, Systematic theology, p. 323. — [3] *Matt.* XIX, 14.

(b) Confirmatur ex eo quod Baptismus christianus sit completio et perfectio circumcisionis; atqui circumcisio sub Antiquâ lege infantibus conferebatur; ex praxi Apostolorum qui baptizabant sæpe sæpius neo-conversos cum omni domo seu familiâ eorum: "Baptizavi autem et Stephanæ domum"[1]; " Baptizatus est ipse et omnis domus ejus continuo"[2]; atqui omnino probabile est in hisce familiis fuisse quosdam puerulos, qui et ipsi baptizati sunt; ergo.

(B) *Tradit.* (a) Ex *praxi* Ecclesiæ; ait enim *Origenes* (in cap. VI ad Rom.): " Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit etiam parvulis Baptismum dare". Jam antea *S. Irenæus* dixerat (Adv. Hæres. l. II, c. 22, n. 4): " Omnes venit per semetipsum salvare; omnes inquam, qui per eum *renascuntur* in Deum, *infantes* et parvulos, et pueros...." Et revera, quidquid in contrarium dicant Baptistæ, etiam in primis Ecclesiæ sæculis Baptismus infantibus ministrabatur; pauci inter Patres dubitarunt utrum melius esset exspectare donec parvuli libere et cum cognitione perfectâ obligationes Baptismi suscipere possent, sed nullus docuit invalidum esse Baptismum infantibus collatum, et plerique commendarunt praxim eos baptizandi. Ille usus non solum viguit in Ecclesiâ Romanâ sed etiam Græcâ, imo apud schismaticos; est igitur praxis ab Apostolis ipsis descendens. De hác enim S. Augustinus dicit (Serm. 176, n. 2): " Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque in finem perseveranter custodit". Objicitur quidem prioribus sæculis multos ad adultam ætatem Baptismum distulisse; hoc autem explicatur tum propter rationes jam allatas (n. 36), tum quia infantium Baptismus supponit familias christianas jam integre constitutas, quarum nonnisi paucæ ab initio fuerunt[3].

(b) Ex Conciliis; v. g. ex *Milevitano*, cui S. Augustinus interfuit: "Quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat ... A. S. (*Denzing.* n. 65).

---

[1] *I Cor.* I, 16. — [2] *Act.* XVI, 33.

[3] Cf. *Schaff-Herzog*, Encyclopedia, voce *Baptism*, p. 210. — Præcipuos textus de infantium baptismo collegit *W. Wall*, History of Infant-baptism, 2ª ed. Oxford, 1844.

(C) *Rat. theol.* Illi omnes per Christum regenerari debent qui per Adamum peccaverunt ; atqui ex unâ parte omnes, etiam parvuli, in Adamo peccârunt, et ex alterâ nonnisi per Baptismum in Christo regenerari possunt, ex dictis ubi de necessitate Baptismi; ergo. Convenit pariter parvulos baptizari, ut a pueritiâ nutriti in his quæ sunt christianæ vitæ, firmius in eâ perseverent, secundum illud : " Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab eâ " [1].

47. 3° *Solvuntur difficultates.* (A) Opponunt *Baptistæ* textum S. Marci supra citatum ; sed frustra, nam talis textus solos adultos respicit, ut ex contextu evidenter apparet ; loquitur enim Christus de illis qui per prædicationem convertentur, ac proinde de adultis, et de illis solis exigit fidem ad hoc ut possint ad Baptismum admitti. Sed antea absolutam necessitatem Baptismi pro omnibus declaraverat; et verba consequentia Marci talem necessitatem minime infringunt.

(B) Objiciunt *Erasmus et Rationalistæ* violari libertatem parvulorum, si baptizentur sine propriâ eorum voluntate. Sed illa objectio non valet; nam in Baptismo non imponuntur nisi obligationes quas infans ipse tenetur accipere, statim ac rationis usum attingit. Baptismus enim non est quid supererogatorium ; adest vera et stricta obligatio pro omnibus illum suscipiendi ; proinde non læditur eorum libertas, sed e contra adjuvatur, quum ipsis detur ab initio medium adimplendi obligationes, quæ secus ipsis etiam impositæ fuissent. Idem fit in societate civili ; qui nascitur in aliquâ regione ex parentibus jura civium possidentibus, eo ipso acquirit jura et obligationes civium, absque ulla electione propriâ.

48. 4° *Corollaria.* (A) In praxi igitur Baptismus conferri debet infantibus quamprimum moraliter [2]. Differre per decem vel undecim dies, sive gravi ratione, esset peccatum mortale juxta *S. Ligorium*, n. 118 ; juxta alios tamen, extra casum periculi, dilatio unius vel alterius mensis requiritur ad peccatum mortale.

(B) Si timeatur infantem moriturum esse antequam edatur, baptizari debet in sinu materno, et si postea vivus editus fuerit, baptizandus est sub conditione, quia prior

[1] *Proverb.* XXII, 6 ; cf. *S. Th.*, 3 q. 68, a. 9.

[2] " Detestabilem quoque parentum Catholicorum socordiam, qui parvulorum ætatem tot casibus obnoxiam non statim Baptismatis sacramento muniendam curant, volumus ut pastores animarum acerrime ac sæpius reprehendant " (*C. Balt.* II, 225).

Baptismus est dubius, saltem practice, ex decisione S. C. C. 12 jul. 1794.

(C) " Curent sacerdotes ut omnes fideles, præsertim medici, nutrices atque obstetrices privati Baptismatis conferendi modum rite calleant. Sedulo etiam explicent gravissimam quâ tenentur omnes, absente sacerdote, obligationem illud infantibus, vel adultis consentientibus, qui in proximo mortis periculo forte constituantur, impertiendi " (Conc. *Balt.* II, 228).

(D) Fœtus abortivus baptizari debet, etiam recentissimus, quia hodie communis viget opinio animationem fieri ab initio conceptionis ; si de ejus animatione dubitetur, sub conditione baptizetur.

(E) Monstra pariter baptizanda sunt, dummodo humanam speciem præ se ferant : in dubio, addatur conditio : si tu es homo [1].

II. De filiis acatholicorum [2].

49. 1° *Principia generalia* (A) Filii acatholicorum, sive infidelium, sive hæreticorum, possunt quidem licite baptizari, etiam invitis parentibus, quando sunt in adultâ ætate, et postulant Baptismum; quia in rebus ad salutem pertinentibus, filii adulti non dependent a parentibus; " obedire oportet Deo magis quam hominibus " (*Act.* V, 29).

(B) Filii acatholicorum, dum infantes sunt, non possunt licite baptizari invitis parentibus, saltem regulariter. Ratio est quia secus (a) violaretur jus parentum, quia infantes qui nondum rationis usum attigerunt, sunt sub curâ parentum, ipsosque baptizare invitis parentibus, idem fere esset ac baptizare aliquem invitum; (b) insuper infantes sic baptizati facile ad infidelitatem aut hæresim redirent, propter naturalem affectum ad parentes (*S. Th.* 3 p. q. 68, a. 10).

50. 2° *Regulæ practicæ.* (A) Attamen filii acatholicorum, etiam infantes, licite baptizari possunt : (a) in *periculo*

---

[1] Hâc de re lege, præter theologos morales, *Capelmann*, Medical pastor, p. 107 ; *O'Kane*, Notes on the Rubrics, nn. 192-217.

[2] *S. Thom.* 3 p. q. 68, a. 10; *S. Alphonsus*, 126-132; *Konings*, 1261-62 ; *Marc*, 1471-73 ; *Lehmk.*, 80-86; *Sabetti*, 662; *Ballerini-Palmieri*, n. 55 sq.

mortis, quia tunc non timetur perversionis periculum, nec violatur jus parentum, quum infans ipsis non subtrahatur; quod etiam valet, ex decisione S. Officii 18 jul. 1892, in casu quo valde prudenter dubitatur quod ex infirmitate, quâ actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante ætatem discretionis. (b) Quando infantes sunt extra curam parentum, nec timor adest ipsos ad parentes reversuros; tunc enim non violatur jus parentum, nec periculum perversionis adest; (c) quando infantes perpetuo amentes sunt; (d) si unus parentum consentiat, vel si, mortuo patre, avus consentiat etiam altero parente reluctante, dummodo spes adsit puerum catholice educandi.

(B) Si autem parentes acatholici proprios infantes offerant sacerdoti baptizandos, potest eos baptizare, si probabilis adsit spes catholicæ eorum educationis [1], quæ quidem spes effulget, si unus saltem parentum promittat se fidem amplexurum, et permittat ut patrinus catholicus adhibeatur (Conc. *Balt.* II, 229).

Art. III. De dispositionibus ad Baptismum [2].

51. In infantibus nullæ requiruntur conditiones; in adultis autem, 1° *ad validam* susceptionem sacramenti requiritur et sufficit intentio saltem habitualis, i. e. antea habita et non retractata, Baptismum recipiendi. Hinc validus est Baptismus amenti vel dormienti collatus, qui antea sacramentum suscipere optavit. " Amentes et furiosi non baptizentur nisi tales a nativitate fuerint; tunc enim de iis idem judicium faciendum est quod de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint. Si vero, antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium

[1] Siquidem *S. C. Officii* an. 1867 declaravit id remittendum esse prudenti arbitrio et conscientiæ Missionariorum (audito, si fieri possit, Ordinario), qui baptizare possint pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo in singulis casibus non prævideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes ob superstitionem filios offerre baptizandos (*Collectanea*, n. 592).

[2] *Tournely*, q. III, a. 3, de Baptismo adultorum; *Marc*, n. 1474 sq. *Lehmkuhl*, n. 73, 77-78.

ostenderint ac vitæ periculum imminent, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur" (Conc. *Balt.* II, 230).

52. 2° Ad *licitam et fructuosam* sacramenti susceptionem requiruntur insuper: (a) *recta fides:* "Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit" [1]; "Si credis ex toto corde, licet" [2]; (b) *attritio supernaturalis* de peccatis mortalibus a subjecto commissis: nullum enim peccatum remitti potest quin retractetur: "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum" [3]. Non requiritur autem attritio de peccato originali, quia nemo retractare potest peccatum quod non commisit. Nec præmitti debet confessio sacramentalis, quum peccata ante Baptismum commissa per sacr. Pœnitentiæ non remittantur.

Ad praxim quod attinet, hæc attendantur: "Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum apostolicam regulam, in christianâ fide, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari. Pro hujus veneratione sacramenti, tam sacerdotem qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos qui sani sunt, *convenit* esse jejunos". (*Rituale Rom.* tit. II, c. 3, n. 1, 8).

Art. IV. De iteratione Baptismi [4].

53. 1° *Principia.* (a) Baptismus non debet iterari nisi adsit *dubium prudens* de illius validitate: qui secus ageret, graviter peccaret, et si baptizaret solemniter et absque conditione, irregularitatem incurreret. (b) Baptismus iterari debet quoties, post diligens examen, dubium de ejus validitate superest.

2° *Regulæ particulares.* (A) Infantes *expositi* debent baptizari sub conditione, etiamsi inveniantur cum schedulâ attestante ipsos baptizatos fuisse, nisi tamen schedula subscribatur a personâ notâ, quæ interrogari possit.

(B) Infantes *baptizati domi ab obstetrice*, vel aliâ peritâ personâ, non sunt rebaptizandi, nisi, re diligenter perpensâ,

[1] *Marc.* XVI, 16. — [2] *Act.* VIII, 37. — [3] *Act.* II, 38.

[4] *S. Alphonsus*, n. 134-137; *Konings*, 1263 sq.; *Marc*, 1476 sq.; *Kenrick*, de Baptismo n. 118-119; *Sabetti*, n. 662.

probabilis sit erroris suspicio ; quæ quidem suspicio aderit generatim, nisi testimonium obstetricis testimonio testium oculatorum confirmetur, aut hæc sit omni fide digna.

(C) *Quoad hæreticos*, (a) regula generalis a S. Officio (1878) tradita, est ut in singulis casibus instituatur examen ad inquirendum de validitate Baptismi in hæresi collati, ac proinde non est approbanda praxis *indiscriminatim* et *semper* hæreticos rebaptizandi sub conditione. (b) Attamen, in praxi, tale examen non est necessarium in multis casibus, quia difficile est invenire testes fide dignos, aut quia sunt sectæ, ut *Quakeri*, quæ nullum Baptismum administrant. Imo hodie, si excipiantur *Ritualistæ* qui generatim caute baptizant, fere semper dubitari potest de Baptismo ab hæreticis collato. Siquidem *Unitarii* et *Universalistæ*, imo et *Congregationalistæ* ejus necessitatem rejiciunt, ac proinde de illo ministrando parum curant; *Methodistæ* et *Presbyteriani* baptizant per aspersionem, et dubitari potest utrum aqua pellem tetigerit aut fluxerit ; *Baptistæ* baptizant per immersionem, et sub hoc respectu sacramentum validum est, sed sæpe formam pronuntiant antequam subjectum immergatur, *Episcopaliani* quidam hodie sat negligentes se gerunt in ejus administratione. Unde in praxi, sæpe iterandus est Baptismus hæreticorum ; attamen "quantum possibile fuerit, inquirendum est in singulorum neophytorum Baptismo, ut obtineatur, qualis in casu haberi queat, vel certitudo vel probabilitas eos fuisse vel non fuisse valide baptizatos" (Conc. *Balt.* III, 122).

54. *Scholion : De servandis in receptione Neo-Conversorum*[1]. "In conversione hæreticorum inquirendum est de validitate Baptismi in hæresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peractâ, adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem Fidei. Triplex igitur in conciliandis hæreticis distinguitur procedendi methodus :

[1] Cf. Concil. *Balt. II*, p. 291 ; *Konings*, 1264.

1. Si Baptismus *absolute* conferatur, nulla sequitur abjuratio, nec absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum Regenerationis.

2. Si Baptismus sit *sub conditione* iterandus, hoc ordine procedendum erit: (a) Abjuratio seu Fidei professio; (b) Baptismus conditionatus; (c) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionatâ.

3. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abjuratio, seu Fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur". (Instructio S. Cong. S. Officii die 20 jul. 1859.)

Professio fidei emittenda in hâc regione non est Piana formula, sed specialis quæ in Supplemento Ritualis Romani pro Provinc. Amer. Septent. fœderatæ reperitur. Quando Baptismus sub conditione iteratur, jure communi iterari debet juxta ordinem Baptismi adultorum. In nonnullis tamen hujus regionis diœcesibus brevior formula pro parvulis constituta, ex speciali concessione, permittitur: talis autem concessio non est universalis, nec indefinita, sed *renovari* debet. Non autem a S. Sede permissum fuit conversos baptizare sub conditione privatim, cum aquâ tantum *lustrali*, et absque cæremoniis, prout fit in Angliâ. (*C. Pl Balt. II*, 243-244.)

Tractatus de Confirmatione.

Auctores consulendi.

De Confirmatione scripserunt, præter auctores allegatos ubi *de Sacramentis in genere:*

Inter **Patres**: **Innocentius I** († 417), Epist. ad Decentium, cap. 3; **Gregorius M.** († 604), Epist. lib, IV, ep. 9 et 26[1].

Inter **Theologos**: **Jos. Vicecomes** (**Visconti**), De Ritibus Confirmationis, Mediolani, 1618; **Basilius Pontius**, O. S. Aug. De sacr. Confirmationis, 2ª edit. Lovanii, 1642; **Gulielmus Beyer**, De sacr. Confirmationis, Antuerpiæ, 1650; **L. Holstenius**, De sacr. Confirmat. apud Græcos, Romæ, 1669; **Sainte-Beuve**, De Confirmatione et Ex. Unctione, 1686; **Vitassius**, seu potius Oratorianus sub nomine Vitassii, Tr. de Confirmatione, Venetiis, 1738, ap. *Migne*, Theol. Curs. vol. XXI, p. 545 sq.; **Andreas Gau**, De valore manuum impositionis atque unctionis in sacr. Confirmationis, Coloniæ, 1832.

Inter **Protestantes**: **Bachmann**, Die Confirmation der Katechumenen in der Evangelischen Kirche, Berlin, 1852; **Schaff-Herzog**, Encyclop., p. 530; **Smith-Cheetham**, Dict. of Christian Antiq., voce *Confirmation;* **Lichtenberger**, Encycl., t. III, p. 354.

Ex Decreto Concilii Florentini sub Eugenio IV pro instructione Armenorum.

Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

Ordinarius minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat: "Cum "enim audissent, inquit, Apostoli qui erant Hierosolymis, quia re-

---

[1] Patrum varia testimonia de Confirmatione erudite collegit auctor *Tr. de Confirm.* ap. *Migne*, Theol. Curs., vol. XXI, p. 569-761.

"cepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joan-
"nem. Qui cum venissent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiri-
"tum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed
"baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc impone-
"bant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum".

Loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio. Legitur tamen, aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causâ, simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes; ut videlicet christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem ejus quæ "Judæis quidem est scandalum, Gentibus autem stultitia", secundum Apostolum; propter quod signo crucis signatur.

Canones Concilii Tridentini de Confirmatione.
(*Sess. VII.*)

1. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant; A. S.

2. Si quis dixerit, injurios esse Spiritui Sancto eos qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; A. S.

3. Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; A. S.

Objectum et divisio tractatus.

1. Vita spiritualis, in Baptismo inchoata, augetur in *Confirmationis* sacramento, quod definitur: *Sacramentum N. Legis, quo baptizatus in gratiâ roboratur et ut miles Christi signatur.* Vocabulum "*baptizatus*" significat *subjectum* hujus sacramenti esse omnes et solos baptizatos; ultima verba duplicem ejus *effectum* declarant, sc. *gratiam roborantem*, quâ juvatur subjectum ad firmiter credendum et fidem strenue profitendum, et *characterem* quo miles Christi efficitur. Abstinemus in ipsâ definitione a vocabulis materiam et formam designantibus, propter controversias hâc de re existentes. Sacramentum illud varia sortitum est nomina: a materiâ remotâ dictum est *Chrisma*, vel chrisma salutis;

a Græcis sæpe vocatur μύρον, i. e. unguentum; a materiâ proximâ *impositio manuum;* ab effectibus *Confirmatio* (quæ vox apud *S. Ambrosium* jam invenitur, de Mysteriis, c. VII.), *signaculum* dominicum, *sigillum, perfectio, consummatio* et sacramentum *plenitudinis*, quia Baptismum veluti perficit. Breviter disputabimus de hujus sacramenti *existentiâ, materiâ et formâ, effectibus, ministro et subjecto.*

Art. I. Existentia[1].

2. 1° *Errores.* Jam *Novatiani* et *Albigenses* Confirmationem rejecerant ut ritum inutilem. *Lutherus* eam ut ritum mere ecclesiasticum habuit, *Calvinus* ut abortivam sacramenti larvam. Hodie Protestantes fere omnes, *Ritualistis* exceptis, negant Confirmationem esse sacramentum; *Anglicani* autem, imo et multi *Lutherani* aliquem ritum Confirmationis nomine retinent, quem dicunt esse meram cæremoniam, in quâ baptizati, quum annos discretionis attingunt, promissa in Baptismo facta, publice renovant.

3. 2° *Thesis.* **Confirmatio est verum et proprie dictum N. Legis sacramentum.** *De fide est ex Trident.:* "Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, A. S." (sess. VII, can. 1 de Conf.)

(**A**) *Script.* Christus, in ultimâ Cœnâ, Apostolis et omnibus in eum credituris, mittere promiserat Spiritum S., qui mansurus esset cum eis in æternum[2]. Hanc promissionem adimplevit quoad B. Virginem, Apostolos, paucosque alios discipulos, die Pentecostes, mittendo Spiritum S. sub formâ linguarum ignis[3]. Sed decebat ut idem Spiritus omnibus Fidelibus communicaretur ritu visibili ac perpetuo. Hunc ritum fuisse revera a Christo institutum et ab Apo-

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 72, a. 1; *Suarez*, de Sacrament. disp. XXXII; *Bellarminus*, l. II de sacr. Confirmat. c. 1-7; *Migne*, Theol. Curs. vol. XXI, p. 547 sq.; *de Augustinis*, de Confirmat. a. 1; *Pesch*, n. 491 sq.

[2] *Joa.* XIV, 16; cfr. *Joa.* VII, 38-39. — [3] *Act.* II, 3-4.

stolis adhibitum ex libro *Actuum* colligitur[1]. Narratur siquidem multos Samaritanos, viros et mulieres, a diacono Philippo conversos fuisse, et ab eodem baptizatos; postea autem Apostoli Petrus et Joannes venerunt ab Hierosolymâ, ut ipsis conferrent Spiritum S. "Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum S." Item S. Paulus, inveniens Ephesi quosdam discipulos Joannis Baptistæ, illos primum baptizavit, et postea manus imposuit super illos, ut acciperent Spiritum S.: "Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos"[2].

Unde sic: Ad sacramentum N. L. tria requiruntur et sufficiunt: signum sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum; atqui hæc tria inveniuntur in Confirmationis ritu supra descripto: (a) signum *sensibile*, sc. impositio manuum; nec dicatur illam impositionem eamdem esse ac ea quæ invenitur in Ordine, aut non differre a cæremoniis Baptismi, nam talis impositio fiebat super viros et mulieres[3], ac proinde Ordo esse non poterat; insuper fiebat super christianos jam antea perfecte baptizatos[4], nec proinde cæremonia erat ad Baptismum pertinens. (b) *Gratiæ* productivum, nam talis impositio Spiritum S. conferebat, ut apparet ex locis citatis et insuper clarius exprimitur ex verbis: "Cum vidisset.... quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus S."[5]. Atqui Spiritus S. non potest conferri sine gratiâ; ergo.

Nec dicere juvat hic agi solum de dono miraculorum, aliisve donis gratis datis; nam, licet frequenter primis temporibus illa extraordinaria dona cum illâ manuum impositione connecterentur, non conferebantur primario et semper, nec gratiam sanctificantem excludebant, sed potius eamdem interius dari significabant. Aliunde Apostoli Samariam perrexerunt non ut donum miraculorum, sed gratiam ad salutem utilem conferrent, ut patet ex sensu obvio narrationis, et Patrum auctoritate, v. g. *S. Cypriani* (Ep. 73, n. 9) qui, post factum hujus manuum impositionis relatum, addit: "Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem *Spiritum S. consequantur*, et signaculo dominico con-

[1] *Act.* VIII, 12-18. — [2] *Act.* XIX, 1-6. — [3] *Act.* VIII, 12.
[4] *Act.* VIII, 16. — [5] *Act.* VIII, 18.

summentur". Iterum quando S. Paulus discipulos, quos Ephesi invenit, interrogavit dicens : "Si Spiritum S. accepistis credentes"? liquet ipsi persuasum fuisse christianos omnes Spiritum S. per manuum impositionem accipere; quod quidem de dono miraculorum intelligi nequit, quum non omnes illud semper acciperent; ergo.

(c) *Permanenter a Christo institutum;* solus enim Deus potest gratiam alligare signo sensibili, et quamvis non directe asseratur in *Script.* quo tempore Confirmatio instituta fuerit, dici potest illam promissam fuisse in ultimâ cœnâ, quando Christus semel et iterum Spiritus S. adventum annuntiavit, et definitive institutam fuisse post Resurrectionem, dum Christus loqueretur cum Apostolis de regno Dei, sc. de Ecclesiâ ejusque constitutione. Insuper permanentia illius ritus probatur ex praxi Apostolorum in locis jam citatis, et ex praxi primævæ Ecclesiæ. Patres enim Apostolici jam subobscure commemorant Confirmationis ritum ; *Tertullianus*, exeunte sæc. II, explicite de eo loquitur [1] : "Post Baptismum manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum S." Item *S. Cyprianus* (sæc. III) diserte eumdem ritum describit [2] : "Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus est, ut, accepto chrismate, i. e. unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit". Et *S. Cyrillus Hierosolymitanus* (sæc. IV) integram catechesim circa Confirmationem scripsit.

4. (B) *Rat. convenientiæ* [3]. Quum sacramenta ad speciales gratiæ effectus ordinentur, ubi occurrit specialis gratiæ necessitas, ibi speciale sacramentum esse convenit ; atqui quando adultam ætatem attingimus, speciali gratiâ roboris indigemus : sicut enim in vitâ naturali non sufficit ut homo nascatur, sed requiritur ut crescat, roboretur, virilemque fortitudinem acquirat ad vitæ difficultates strenue superandas, ita pariter in vitâ spirituali non sufficit ut per Baptismum nascamur, sed requiritur ut virtute crescamus, virilemque fortitudinem acquiramus, quâ contra salutis hostes strenue dimicare valeamus, prout decet milites Christi ; nam "militia est vita hominis super terram" [4] ; ergo.

---

[1] *Tertull.* De Bapt. c. 8. — [2] Epist. 70, n. 2.
[3] *S. Thom.* 3, q. 72, a. 1. — [4] *Job.* VII, 1.

Art. II. De materiâ et formâ.

I. De materiâ[1].

5. 1° *Varia systemata.* In Actibus Apostolorum solius fit mentio *impositionis* manuum ; nec chrismatis unctio commemoratur a Patribus nisi circa finem sæc. II, probabiliter a *Theophilo* (Ad Autolyc. I, 12), certo autem a *Tertulliano* (de Resurrec. 8). Imo hodie in Græcorum Euchologio ne vel minimum quidem verbum reperitur de impositione manuum a chrismatione distinctâ, et orthodoxa Confessio Eccl. Orientalis (a. 1662) declarat hoc sacramentum, quod ævo Apostolorum per manuum impositionem ministrabatur, postea in unctione unguenti fuisse peractum. (Cf. *Martene*, op. cit. lib. I, c. 1, a. 3).

6. His positis, mirum non est theologos circa materiam Confirmationis acriter disputâsse. (a) Alii, ut *Sirmondus*, *Habert*, dixerunt materiam essentialem totam esse reponendam in *primâ manuum impositione*, quæ ab Episcopo peragitur dum dicit : "Omnipotens sempiterne Deus". Quæ quidem opinio, quatenus declarat hodie non sufficere chrismationem cum impositione manûs quæ eam comitatur, probabilitate caret post decreta *Florentini* et Encycl. *Ben. XIV*. (b) Alii vero, cum *S. Thomâ* (l. cit. art. 2) et *Maldonato* docuerunt materiam essentialem in solâ chrismatione consistere, quæ manuum impositioni substituta fuit. (c) Nonnulli, ut *Morinus* et *Tapper*, tenuerunt et manuum impositionem et unctionem seorsim esse materiam essentialem, ita ut una vel altera ad validitatem sufficiat : et hæc sententia non spernendis nititur argumentis præsertim historicis, ut constat ex factis supra relatis. (d) Probabilior tamen a plerisque modernis habetur opinio asserens materiam essentialem esse tum chrismationem, tum impositionem manûs quæ unctionem comitatur. Nam ex unâ parte textus Scripturæ supra allati declarant gratiam per impositionem ma-

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 72, a. 2-3; *Suarez*, disp. XXXIII; *Bellarm.*, c. 8-9; *Migne*, C. Theol. p. 768 sq.; *de Augustinis*, a. 2; *Sasse*, th. 2; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 161 sq.; *Konings*, n. 1270; *Marc*, n. 1493; *Lehmk*, n. 92; *Sabetti*, n. 668.

nuum conferri, ex alterâ *Decret. ad Armenos* aperte dicit : " Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo " ; ergo utraque materia est essentialis. Quidquid sit, merito cum *Benedict. XIV (Ex quo primum)* concludere licet : " Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur : nimirum in Ecclesiâ latinâ Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate sive oleo olivarum balsamo commixto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formæ verba pronunciat ". Hinc certum videtur primam manuum impositionem ad validitatem non requiri, nam a Græcis non adhibetur, qui tamen valide sacramentum administrant, juxta illud *Bened. XIV* verba (l. cit.) : " Nemini fas est asserere in Ecclesiâ græcâ non adesse sacram.Confirmationis " ; aliunde proposito dubio an, prætermissâ primâ manuum impositione, repetendum esset sacramentum sub conditione, *S. C. P. F.* 6 Aug. 1840 respondit non esse repetendum vel sub conditione (*Collectanea*, n. 663).

7. 2° *Regulæ practicæ.* Hic subjungimus regulas communiter a theologis traditas, quæ adamussim in praxi servandæ sunt, quidquid speculative de eis censeatur : nam quando agitur de validitate sacramenti, tutior pars est eligenda.

8. (**A**) Materia *remota* debet esse (**a**) *oleum olivarum*, non autem petroleum, aut oleum ex aliâ materiâ quam ex olivis expressum ; nam oleum simpliciter est oleum ex olivis ; per illud significatur tum *robur* in hoc sacramento collatum, quia oleo athletæ olim ungebantur, tum *nitor* bonæ conscientiæ. (*S. Th.* 3 p. q. 72, a. 2). (**b**) Illud oleum debet cum *balsamo* misceri, saltem ad liceitatem, sed etiam probabilius ad validitatem, ut sic exprimatur bonus odor virtutum, quibus confirmatus ornari debet. (**c**) *Chrisma* (i. e. commixtio olei et balsami) debet *benedici* ab Episcopo, et quidem speciali benedictione[1], ad liceitatem, imo ad validitatem, juxta communiorem sententiam ; attamen, sacerdos, cum speciali delegatione S. Pontificis, illud probabiliter be-

[1] Sunt tamen theologi qui putant quodcumque oleum ab Episcopo benedictum, v. g. oleum catechumenorum, ad validitatem sufficere; hinc in articulo mortis deficiente chrismate, hæc materia conditionate adhiberi posset. (*Pesch*, n. 509.)

nedicere potest. (d) Chrisma debet esse *novum*, seu ânni illius, ad liceitatem tantum, et quidem sub gravi, nisi S. Pontifex ab hoc præcepto dispensaverit, vel adsit necessitatis casus.

9. (B) *Materia proxima* est unctio Chrismatis cum impositione manûs Episcopi. Illa unctio debet esse : (a) *Immediata* et non mediante instrumento; secus enim non adesset manûs impositio, quæ, juxta plures, ad validitatem requiritur ; (b) *In fronte ;* ad ostendendum quod confirmatus Christum erubescere non debeat [1] ; illud requiritur certo ad liceitatem, et probabilius ad validitatem ; olim unctio non solum in fronte, sed in oculis, auribus, manibusque fiebat. (c) *Per modum crucis*, ut sic confirmatus accipiat signum Christi, cujus miles efficitur : quod requiritur certo ad liceitatem, et probabilius etiam ad validitatem. (d) Cum *pollice dextro* regulariter saltem, quamvis hoc ad validitatem non requiratur.

II. De formâ [2].

10. Varias fuisse formas in administratione hujus sacramenti adhibitas historice constat, ut videre est apud *Martene* et *Chardon*, loc. cit.

1° Forma, quæ nunc in Eccl. *Romanâ* adhibetur, non fuit in usu communi ante sæculum XII [3] ; sic se habet : " Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii et Spiritûs S." (A) Illa forma omnino conveniens est ; nam optime designat præcipuos *effectus* Confirmationis, ejusque *causam* principalem ; siquidem, (a) per verba " *signo te signo crucis* " designatur *character*, quo confirmatus fit miles Christi et signo crucis munitur ; (b) per verba " *confirmo te* " designatur *gratia roboris*, quâ

1 *S. Thomas*, 3 p. q. 72, a. q.

2 *S. Thom.* 3 p. q. 72, a. 4; *Bellarminus*, c. 10; *Migne*, op. cit. p. 880 sq.; *de Augustinis*, l. c.; *Pesch*, n. 521 sq.; *S. Alphonsus*, n. 167 sq.; *Konings*, 1272; *Marc*, 1496; *Sabetti*, 670; *Lehmk.* 95.

3 In antiquis Ritualibus, hæ vel similes formæ inveniuntur : "Signum Christi in vitam æternam. Signet te Deus sigillo fidei suæ in consignatione fidei. In nomine Patris... Confirmo et consigno te in signo sanctæ crucis in nomine Patris ... Confirmo te in nomine Patris "... (Cfr. *Martene*, De antiquis eccl. rit., lib. I, c. 2, a. 4).

confirmatus, sicut athleta, ungitur; (c) tandem per reliqua verba "*in nomine Patris*" exprimitur *causa efficiens*, sc. *SS. Trinitas.*

(B) Verba essentialia hujus formæ sunt, juxta *S. Ligorium*, aliosque permultos: "*Signo, Confirmo, Te, Invocatio Trinitatis, Signo Crucis* et *Chrismate salutis*". Mutatio esset accidentalis si diceretur "*corroboro*" pro "*confirmo*", vel "*sanctificationis*" pro "*salutis*".

2° *Apud Græcos.* Forma est: "Signaculum doni Spiritus S." Urbanus VIII declaravit hanc formam esse validam. Quod facile explicatur, si admittatur formam hujus sacramenti in genere solum fuisse institutam, ut in *Tr. de Sacrament.* (n. 84) exposuimus; secus magna est difficultas, quum non sine verborum detorsione in formâ græcâ inveniri possint ea omnia quæ ut essentialia communiter habentur in formâ latinâ.

Art. III. De effectibus[1].

Duplex est Confirmationis effectus, *Gratia* et *Character.* Gratia autem producta in hoc sacramento non est gratia prima, sed augmentum gratiæ, cum abundantiori infusione donorum Spiritus S.

II. 1° *De Gratiâ.* (A) *Gratia sacramentalis Confirmationis est gratia roborans, ad fidem verbo et opere strenue profitendam.*

(a) *Script.* Gratia propria Confirmationis eadem est quoad substantiam ac ea quæ collata fuit Apostolis die Pentecostes, ut constat ex *Decret. ad Armen.* infra citando; atqui gratia Apostolis collata in illa die fuit præcise gratia perficiens et roborans, juxta illud promissum Christi: "Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ"[2]. Et revera Apostoli, hucusque debiles et timidi, fidem deinceps strenue propugnarunt[3].

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 76, a. 5; *Suarez*, disp. XXXIV; *Bellarm.* c. XI; *Migne*, op. cit. p. 1073 sq.; *Pesch*, n. 530 sq.

[2] *Act.* I, 8.

[3] *Act.* V, 29, 41. Quod sic optime evolvit *Catech. Conc. Trid.*, p. 2, de Confirmat., n. 19: "Illi enim ante passionem, vel sub ipsam pas-

(b) *Traditione.* Hoc aperte declarat *Decret. ad Armen.*: "Effectus autem hujus sacramenti est quia in eo datur Spiritus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi nomen confiteatur".

(c) *Rat. conv.* Sicut Baptismus est spiritualis regeneratio, ita Confirmatio ordinatur ad spirituale augmentum, ut nos sc. constituat in spirituali ætate perfectâ; atqui illud quo indigemus, dum ætatem perfectam attingimus in vitâ spirituali, est spirituale robur ad pugnandum contra spirituales hostes, præsertim vero contra eos qui fidem cavillationibus, minis vel irrisione impugnant; ergo.

12. (B) *Illam gratiam roborantem comitatur abundantior infusio donorum Spiritus S.* Dico "*abundantior*" quia illa dona jam infunduntur in Baptismo, quum semper comitentur gratiam sanctificantem, ex dictis in *Tr. de Gratiâ.*

(a) Constat ex textibus *Script.* jam citatis in quibus dicitur per Confirmationem conferri Spiritum S.; per hoc enim Patres intelligunt non solum gratiam sed etiam dona Spiritus S.; nam, ut ait *Rabanus* (De instit. cleric. l. I, c. 30): "Signatur baptizatus chrismate in summitate capitis per sacerdotem, per pontificem in fronte; ut in priori unctione significetur super ipsum Spiritûs S. descensio ad habitationem Deo consecrandam; in secundâ quoque, ut ejusdem Spiritûs S. septiformis gratia, cum omni plenitudine sanctitatis, et scientiæ et virtutis, venire in hominem declaretur".

---

sionis horam adeo infirmi et remissi fuerunt ut cum Dominus comprehensus est, statim se in fugam conjecerint: Petrus vero qui Ecclesiæ petra et fundamentum designatus fuerat, et summam constantiam excelsique animi magnitudinem præ se tulerat, unius mulierculæ voce perterritus, se Jesu Christi discipulum esse, non semel aut iterum, sed tertio negaverit, ac post resurrectionem, omnes propter metum Judæorum inclusi domi se continuerint. At vero in die Pentecostes tantâ Spiritûs S. virtute omnes repleti sunt, ut dum Evangelium quod eis commissum erat, non solum in Judæorum regione, sed in universo orbe audacter et libere disseminarent, nihil sibi felicius accidere posse existimaverint, quam quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent"

(b) Ex precibus Ecclesiæ in collatione hujus sacramenti; dicitur enim : " Emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cœlis " etc. [1].

13. 2° *De Charactere.* Jam probatum est in Confirmatione characterem imprimi : (a) Ille autem character differt a charactere Baptismatis, in eo quod baptizatus sit solum Ecclesiæ civis, dum confirmatus constituitur miles Christi, specialiter deputatus ad fidem propugnandam, contra ejus hostes. (b) Insuper Christianum habilem reddit ad licite suscipiendos ordines ; quum enim per ordinationem quis dux exercitûs Christi efficitur, non convenit ut qui miles non est ad officium ducis eligatur.

Art. IV. De ministro [2].

Duplex est minister Confirmationis : *ordinarius* et *extraordinarius*. *Prior* ille est qui, vi ordinationis suæ, completam habet potestatem valide ministrandi Confirmationem ; *posterior* ille est qui speciali delegatione indiget ut valide confirmet, quia vi ordinationis, inchoatam solum potestatem habet confirmandi.

14. 1° MINISTER CONFIRMATIONIS ORDINARIUS EST SOLUS EPISCOPUS. *De fide est*, contra Photium et Græcos schismaticos, ex *Trident.* infra citando.

(A) *Scripturâ innuitur.* Quum enim Philippus diaconus Samaritanos baptizavisset, ex civitate Jerusalem missi sunt, ad illos confirmandos, non qualescumque ministri, sed duo Apostoli, sc. Petrus et Joannes ; ex hoc autem Patres merito inferunt solos Apostolorum successores, sc. Episcopos, esse ministros ordinarios illius sacramenti. Ait enim Innocentius I (Ep. ad Decent.) : " De consignandis infantibus manifestum est non ab alio quam ab Episcopo fieri licere... Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum *consuetudo ecclesia-*

[1] Descriptio illorum donorum videri potest in *Tr. de Gratiâ*, et apud *Manning*, Internal Mission of the H. Ghost, lect. VII sq.

[2] *S. Thom.* 3 p. q. 72, a. 11; *Suarez*, disp. XXXVI; *Bellarm.* c. 12; *Migne*, op. cit. p. 914 sq.; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 170 sq.; *Konings*, 1274 ; *Marc*, 1497 ; *Lehmk.*, n. 93 ; *de Augustinis*, a. 3.

stica demonstrat, verum et illa lectio Act. Apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum S."

(B) *Trad., ex Trident.:* "Si quis dixerit S. Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, A. S." (Sess. VII, can. 3).

(C) *Rat. convenient.* Ad superiorem artificem pertinet ultima operis consummatio, et ad superiorem ducem cives militiæ ascribere; atqui Confirmatio est ultima Baptismi consummatio, et simul spirituali militiæ ascriptio; ergo superiori duci, seu Episcopo, reservatur. (*S. Thom.* l. c.)

15. 2° *Minister Confirmationis extraordinarius potest esse simplex sacerdos, specialiter delegatus a Sede Apostolicâ.* Certum est. (A) Ex praxi Ecclesiæ *Romanæ.* Citantur enim multi Pontifices R., qui talem potestatem concesserunt Presbyteris; eadem potestas concessa fuit *J. Carroll*, in hac regione, antequam ad Episcopatum eveheretur; ordinarie etiam nunc datur Præfectis Apostolicis, qui non sunt Episcopi, et mittuntur in regiones longinquas; imo, dum morbus Asiaticus hisce ultimis temporibus Neapoli grassaretur, data fuit Archiepiscopo facultas delegandi sacerdotes qui Confirmationem ministrarent, ne quidam ægroti privarentur beneficio illius sacramenti.

(B) Ex praxi Ecclesiæ *Græcæ;* nam longe ante schisma Photianum, Græci sacerdotes baptizatos confirmabant, tanquam ministri extraordinarii, et illud sacramentum ut validum habebatur, ob tacitum privilegium, a S. Sede concessum, nec unquam revocatum [1]. Atqui praxis tam universalis Ecclesiæ Græcæ et Latinæ est veritatis argumentum quum Ecclesia in determinatione jurium suorum errare nequeat. Revera *Florentinum* expresse ait: "Legitur tamen aliquando per apostolicæ Sedis delegationem ex rationabili et urgente admodum causâ simplicem sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrâsse Confirmationis sacramentum" (*Denzing.* 592).

[1] Illud tamen Italo-Græcis, qui degunt in insulis Italiæ adjacentibus, non permittitur, ne ex hoc disciplina in Latinâ Ecclesiâ vigens perturbetur

16. 3° *De ejus officiis.* (**a**) Episcopus tenetur ministrare sacramentum Confirmationis subditis suis, ac proinde præcipua loca suæ diœcesis circumire; differre longo temporis spatio, per octo vel decem annos, esset peccatum grave. (**b**) Non tenetur sub gravi alicui ægroto petenti ministrare Confirmationem in particulari, quamvis illud laudabiliter fiat, si possibile sit. (**c**) Episcopus confirmans in *diœcesi non suâ* valide quidem agit, sed peccat graviter, et incurrit suspensionem a Pontificalibus. Si autem in propriâ diœcesi confirmat extraneos, illud per se est illicitum, sed licitum fit ex præsumpto consensu proprii Episcopi. (**d**) Sacerdos delegatus confirmans extra limites delegationis suæ, non solum illicite sed etiam invalide ageret, quum potestas ei collata ad determinatum territorium limitetur. (**e**) Confirmatio conferri potest quâlibet die, mane aut vespere, regulariter tamen in ecclesiâ, nisi adsit rationabilis causa.

Art. V. De subjecto [1].

17. 1° *Quodnam sit?* (**A**) Omnis et solus homo baptizatus valide confirmari potest; hinc infantes, vel perpetuo amentes valide confirmari possunt; licet enim nullos hostes spirituales impugnandos habeant, tamen robur spirituale et augmentum gratiæ accipere possunt.

(**B**) Qui prudenter dubitat utrum valide confirmatus fuerit, potest iterum sub conditione confirmari, sed ad hoc non tenetur, quum agatur de sacramento ad salutem valde utili, sed non necessario.

18. 2° *Dispositiones.* (**A**) Pro infantibus et amentibus nulla requiritur dispositio. Sed, juxta hodiernam praxim Ecclesiæ, regulariter illicitum est confirmare infantes, antequam usum rationis attingant, nisi sint morituri, aut adsit legitima consuetudo, ut in Hispaniâ et hispanicis coloniis, v. g. in diœcesi *S. Fidei;* quod quidem sancitum est propter majorem reverentiam sacramenti, et ut cum uberioribus fructibus reciperetur.

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 79, a. 8; *Suarez*, disp. XXXV; *de Augustinis*, a. 4; *S. Alphonsus*, n. 176 sq.; *Marc*, 1499; *Lehmk.* n. 101 sq.

(B) Adultis vero inesse debent: (a) *status gratiæ*, quia Confirmatio est sacramentum vivorum; (b) *scientia* competens circa rudimenta fidei et ea quæ spectant Confirmationem; (c) non tenentur stricte loquendo esse jejuni, quamvis illud sit laudabile, si mane suscipiatur sacramentum. (d) Insuper patrinus, isque unus tantum, adhibendus est ejusdem sexus ac confirmandus; debet esse confirmatus et tangere confirmandum. Non expedit ut unus patrinus vel una matrina pro omnibus adhibeatur, nisi necessitas adsit, de quâ Episcopus est judex. Ita *S. C. O.* 16 junii 1884.

19. 3° *Obligatio confirmationem suscipiendi.* (a) Certum est Confirmationis sacramentum *non* esse necessarium necessitate *medii;* vita enim spiritualis sine Confirmatione accipi et servari potest.

(b) Certum est illud sacramentum esse necessarium necessitate præcepti *per accidens* quoties sc. ex ejus omissione sequeretur contemptus sacramenti, aut scandalum, aut periculum amittendi fidem.

(c) Controvertitur autem utrum necessarium sit necessitate præcepti *per se*, ita ut graviter peccet qui negligit illud recipere, data opportunitate; probabilius affirmatur, præsertim ob auctoritatem *Bened. XIV* [1]; attamen etiam hodie non desunt graves auctores qui verba Pontificis interpretentur de præcepto per accidens, et teneant omissionem Confirmationis non esse peccatum grave, præter casus citatos: nulla enim exhiberi potest lex divina aut ecclesiastica jubens hoc sacramentum ab omnibus recipi; exstat solum præceptum ne quis tonsuram accipiat nisi confirmatus. Unde in praxi valde hortandi sunt fideles ad eam recipiendam, omissâ tamen mentione gravis peccati.

[1] "Monendi sunt ab Ordinariis locorum eos gravis peccati reatu teneri, si cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt" (*Etsi pastoralis*). Sed *Scavini* animadvertit hic agi de invalide confirmatis a Presbyteris græcis, qui renuebant ad Confirmationem de novo accedere, quasi haberent primam validam: unde hic habebatur ratio peculiaris. Cfr. *Pesch*, n. 538 sq.

De SS. Eucharistia.

Auctores consulendi.

Præter auctores allegatos, ubi *de Sacramentis in genere*, conferri possunt : Inter **Patres** : *Sæc. IV*, **Cyrillus Hierosolym.**, Cateches. XXII-XXIII ; **Gregorius Nyss.**, Oratio catechetica magna, c. 37 ; **Ambrosius**, de Mysteriis, c. 8 9 ; **Chrysostomus**, Homil. II de proditione Judæ et alibi passim ; *Sæc. V*, **Cyrillus Alex.**, Adversus Nestorii blasphemias, lib. IV ; *Sæc. VIII*, **Joannes Damascenus**, Epistola de Corpore et Sanguine Domini.

Inter **Theologos** : *Sæc. IX*, **Paschasius Radbertus**[1], Liber de Corpore et Sanguine Domini ; **Ratramnus**[2], De Corpore et Sanguine Domini ; *Sæc. X*, **Gezo**[3], Liber de Corpore et Sanguine Christi ; **Gerbertus**[4], Libellus de Corpore et Sanguine Domini ; **Durandus**, *abbas*[5], Liber de Corpore et Sanguine Domini ; *Sæc. XI*, **Guitmundus**, De Corpore et Sanguine Domini[6] ; **Lanfranc**[7], De Corpore et Sanguine Domini adv. Berengarium ; *Sæc. XIII*, **S. Thomas**, 3, q. 73 sq. ; Cont. Gentil., lib. IV, c. 61 sq. ; Opuscula de Venerabili Sacramento Altaris, De Sacram. Euchar. ad modum prædicamentorum ; *Sæc. XIV*, **Ambrosius Camaldulensis**, Sermones de admirabili Sacramento Corporis Christi ; *Sæc. XV*, **Bessarion**, Tract. de Sacramento Eucharistiæ ; **Gabriel Biel**, Expositio Canonis Missæ. — *Sæc. XVI*, **Claudius d'Espence**, De Eucharistiâ et ejus adoratione, Parisiis, 1573 ; **Andreas Maas**, De Cœnâ Domini ; **Cl. de Sainctes**, O. S. A., Examen doctrinæ calvinianæ et bezanæ de Cœnâ Domini, 1566 ; De rebus Eucharistiæ controversis, Parisiis, 1575 ; **Fr. Torres**, S. J., De SS. Eucharistiâ, Florentiæ, 1561 ; **P. Skarga**, S. J., Pro SS. Eucharistiâ contra hæreses Zwingl., Vilnæ, 1576 ; **Brillmacher**, S. J., Controversiarum de Eucharistiæ sacram. dialogi quinque, Coloniæ, 1584. — *Sæc. XVII*, **Richeome**, S. J., La sainte Messe décla-

---

[1] *Migne*, Patrol. L., CXX, 1267. — [2] *Migne*, P. L., CXXI, 103.
[3] *Migne*, P. L., CXXXVII, 371. — [4] *Migne*, P. L., CXXXIX, 177.
[5] *Migne*, P. L., CXLIX, 1375. — [6] *Migne*, P. L., CXLIX, p. 1427.
[7] *Migne*, P. L., CL, 407.

rée et défendue contre les erreurs sacramentaires, Burdigalæ, 1600; **P. Coton**, S. J., Du très-sainct et très-auguste sacrement et sacrifice de la Messe, Parisiis, 1600; **Seb. Heiss**, O. S. A., Dialogi 6 de august. Corporis et Sanguinis sacram. ac sacrificio missæ, 1605; **L. Albertus**, O. S. A., De reali præsentiâ Christi in Euchar. sacramento, 1613; **Nic. Coeffeteau**, O. P., Les Merveilles de la Ste Eucharistie, Paris, 1605; La défense de la Ste Eucharistie, Paris, 1607; **M. Becanus**, S. J., De triplici Cœnâ calvinisticâ, lutheranâ, catholicâ, Moguntiæ, 1608; **J. de Lugo**, S. J., De venerabili Euchar. sacramento et de sac. Missæ sacrificio; **Du Perron**, Traité du Sacr. de l'Eucharistie, 2ª ed. 1620; **Zach. Pasqualigo**, De Sacrificio N. Legis quæstiones theologicæ, morales ac juridicæ, Veronæ, 1641; **Modestus Gavatius**, O. M., De SS. Euchar. sacramento, ad mentem Scoti, Romæ, 1656; **Nicole**, **Arnauld**, **Renaudot**, Perpétuité de la Foi Catholique, 1669-1713. — *Sæc. XVIII*, **Babenstuber**, O. S. B., Deus absconditus in sacramento altaris, Salisburgi, 1700; Sacross. missæ sacrificium, 1710; **A. Cienfuegos**, Vita abscondita, Romæ, 1728; **Benedictus XIV**, De SS. missæ sacrificio; **R. Billuart**, O. P., De mente Ecclesiæ circa accidentia eucharistica; **V. M. Fassini**, O. P., De singularibus euchar. usibus apud veteres Græcos, Brixiæ, 1769. — *Sæc. XIX*, **George Corless**, The Catholic doctrine of Transsubstantiation, London, 1827; **J. Fletcher**, Transsubstantiation, London, 1836; **Wiseman**, Lectures on the Real presence, 1836, on the principal doctrines (l. XIV-XVI); **Frédet**, **S. S.**, Treatise on the Eucharistic mystery, Baltimore, 1844; **Gerbet**, Considérations sur le dogme générateur de la piété catholique, 1853; **Stockl**, Das Opfer nach seinem Wesen und nach seiner Geschichte; **Hergenröther**, Die Eucharistie als Opfer; **Gihr**, Das heilige Messopfer; **Vande Burght**, De celebratione missarum; **Franzelin**, S. J., De SS. Eucharistiæ sacramento et sacrificio, Romæ, 1868; **M. Rosset**, De SS. ac divinissimo Eucharistiæ mysterio, Camberii, 1876; **Lambrecht**, De SS. missæ sacrificio; **P. Einig**, De SS. Eucharistiæ mysterio, 1888; **F. W. Faber**, The B. Sacrament; **Dalgairns**, Holy Communion, 1861; **Corblet**, Histoire du Sacrement de l'Eucharistie, Paris, 1885-86; **Maurel**, Traité de la Communion fréquente; **Gasparri**, Tr. canonicus de SS. Eucharistiâ, Parisiis, 1897; **Auriault**, S. J., Le Tr. de l'Eucharistie dans S. Thomas, ap. *Revue de l'Institut Cathol. de Paris*, 1897-99; **S. Many**, Prælect. de Missâ, Parisiis, 1903.

Inter **Protestantes** : **Calvinus**, Instit. lib. IV, c. 17-18; **J. H. A Ebrard**, Das dogma vom heil Abendmalh und seine Geschichte, Frankfort, 1845-46; **Kaknis**, Die Lehre vom Abendmalhe, Leizick, 1851; **R. Wilberforce** (postea conversus), The doctrine of the H. Eucharist, London, 1853; **E. B. Pusey**, The doctrine of the Real presence, Oxford, 1855; **J. Macnaught**, Cœna Domini, London, 1878; **Steeg**, Histoire de l'Eucharistie, Bordeaux, 1872.

Ex decreto pro Armenis.

Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, juxta testimonia sanctorum Patrum ac doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde quia hoc convenit dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus a beato Petro : in sacramentorum oblationibus, quæ intra missarum solemnia Domino offeruntur, panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum ; quia utrumque, id est, sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur ; tum etiam, quod convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundum illud Apocalypsis: *Aquæ multæ, populi multi.* Et Julius Papa secundus post beatum Sylvestrum ait : Calix dominicus juxta canonum præceptum, vino et aquâ permixtus debet offerri ; quia videmus in aquâ populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vinum et aqua miscentur, Christo populus adunatur, et fidelium plebs ei, in quem credidit, copulatur et jungitur. Cum ergo tam sancta Romana Ecclesia, a beatissimis Petro et Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis et doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint et modo servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali et rationali discrepet observantiâ. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum est, admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in personâ Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur : ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini : sub quâlibet quoque parte hostiæ consecratæ et vini consecrati, separatione factâ, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in animâ operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem : in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.

Declarationes et canones conc. Trident. de SS. Eucharistiæ sacramento [1].

(Sess. XIII).

CAP. 1. De reali præsentiâ D. N. Jesu Christi in SS. Eucharistiæ sacramento.

Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis et vini consecrationem *Dominum nostrum Jesum Christum,* verum Deum atque hominem, *vere, realiter* ac *substantialiter sub specie* illarum rerum sensibilium *contineri:* nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dextram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, eâ existendi ratione quam, etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus, et constantissime credere debemus.

Ita enim majores nostri omnes, quotquot in verâ Christi Ecclesiâ fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultimâ cœnâ Redemptorem nostrum instituisse; cum, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est, quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad *fictitios* et *imaginarios tropos,* quibus *veritas carnis et sanguinis Christi negatur,* contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper et memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

CAP. 2. De ratione institutionis sanctissimi hujus Sacramenti.

Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi

[1] Patrum Tridentinorum hâc de re discussiones, invenire est apud *Theiner,* Acta Sa. Œcum. Conc. Trident., vol. I, p. 466 sq.

autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vitâ illius qui dixit : Qui manducat me, et ipse vivet propter me[1] : et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissimâ fidei, spei et caritatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

CAP. 3. De excellentiâ sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua sacramenta.

Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem : verum illud in eâ excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistiâ ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod præbebat. Et semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem *verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem*, sub panis et vini specie una cum ipsius *animâ* et *divinitate* existere : sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex *vi verborum;* ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque *vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ*, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et animâ *hypostaticam unionem*. Quapropter verissimum est, *tantumdem* sub *alterutrâ specie* atque sub *utrâque contineri : totus* enim et *integer* Christus, sub *panis specie*, et sub *quâvis* ipsius speciei *parte; totus* item sub *vini specie*, et sub *ejus partibus* existit.

CAP. 4. De transsubstantiatione.

Quoniam autem Christus Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini *conversionem* fieri *totius substantiæ* panis *in substantiam corporis* Christi Domini nostri, et *totius substantiæ vini* in *substantiam sanguinis ejus;* quæ conversio convenienter et proprie a sanctâ catholicâ Ecclesiâ *transsubstantiatio* est appellata.

[1] *Joa.* VI, 58.

CAP. 5. De cultu et veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibendo.

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholicâ Ecclesiâ semper recepto, *latriæ cultum*, qui vero Deo debetur, huic *sanctissimo Sacramento* in veneratione *exhibeant*. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum ; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : "Et adorent eum omnes Angeli Dei"[1]; quem Magi procidentes adoraverant ; quem denique in Galilæâ ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.

Declarat præterea sancta Synodus, pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rarâ quâdam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur. Atque sic equidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tantâ universæ Ecclesiæ lætitiâ positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

CAP. 6. De asservando sacræ Eucharistiæ sacramento, et ad infirmos deferendo.

Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos et in hunc usum diligenter in ecclesiis conservari, præterquam quod cum summâ æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

CAP. 7. De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis sacram Eucharistiam percipiat.

Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte; certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magnâ reverentiâ et sanctitate ad id percipiendum acce-

[1] *Hebr.*, I, 6.

dat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*[1]. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum: *Probet autem seipsum homo*[2]. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ *sacramentali confessione*, ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, *modo non desit illis copia Confessoris ;* quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævià confessione celebraverit, *quamprimum confiteatur.*

CAP. 8. De usu admirabilis hujus Sacramenti.

Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt; quosdam enim docuerunt *sacramentaliter duntaxat* id sumere, ut peccatores : alios *tantum spiritualiter*, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt : tertios porro *sacramentaliter simul* et *spiritualiter ;* hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.

In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesiâ Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent ; qui mos, tanquam ex traditione Apostolicâ descendens, jure ac merito retineri debet.

Demum autem paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ Majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum ; hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus, eâ fidei constantiâ et firmitate, eâ animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem *frequenter suscipere possint ;* et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.

---

[1] *I Cor.* XI, 29. — [2] *I Cor.* XI, 28.

Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes jam agnitâ Catholicâ doctrinâ, intelligant quoque quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

CANONES.

Can. 1. Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum animâ, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figurâ, aut virtute; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; A. S.

Can. 3. Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquâque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; A. S.

Can. 5. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire; A. S.

Can. 6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus, necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, Christum in Eucharistiâ exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter; A. S.

Can. 9. Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri sin-

gulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ; A. S.

Can. 10. Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare; A. S.

Can. 11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum; A. S. Et, ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Doctrina de Communione sub utrâque specie, et parvulorum [1].

(Sess. XXI).

CAP. 1. Laicos, et Clericos non conficientes, non astringi jure divino ad Communionem sub utrâque specie.

Itaque sancta ipsa Synodus, a Spiritu Sancto, qui Spiritus est sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laicos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utrâque specie sumendum, neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. Nam, etsi Christus Dominus in ultimâ Cœnâ venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit; non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur. Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur, utriusque speciei Communionem a Domino præceptam esse, utcunque juxta varias sanctorum Patrum, et Doctorum interpretationes intelligitur. Namque, qui dixit: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis" [2]; dixit quoque: "Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum" [3]. Et qui dixit: "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam" [4]; dixit etiam: "Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ" [5]. Et denique, qui dixit:

[1] Cfr. *A. Theiner*, op. cit. vol. II, p. 3 sq. — [2] *Joa.* VI, 54.
[3] *Joa.* VI, 52. — [4] *Joa.* VI, 55. — [5] *Joa.* VI, 52.

"Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo"[1]; dixit nihilominus: "Qui manducat hunc panem vivet in æternum"[2].

CAP. 2. Ecclesiæ potestas circa dispensationem sacramenti Eucharistiæ.

Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesiâ fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: "Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei"[3]; atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, "Cetera, inquit, cum venero, disponam"[4]. Quare agnoscens sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis latissime jam immutatâ illâ consuetudine, gravibus et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub alterâ specie communicandi approbavit, et pro lege habendum decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libitu mutare, non licet.

CAP. 3. Totum et integrum Christum, ac verum Sacramentum sub quâlibet specie sumi.

Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in supremâ illâ Cœnâ hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub alterâ tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ, necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

CAP. 4. Parvulos non obligari ad Communionem sacramentalem.

Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illâ ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversiâ credendum est.

[1] *Joa.* VI, 57. — [2] *Joa.* VI, 59. — [3] *I Cor.* IV, 1. — [4] *I Cor.* XI, 34.

CANONES.

Can. 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; A. S.

Can. 3. Si quis negaverit, totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem, sub unâ panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub utrâque specie sumatur; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem; A. S.

Conc. Tridentini decreta et canones de sacrificio Missæ[1].

(Sess. XXII).

CAP. 1. De institutione sacrosancti Missæ sacrificii.

Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in arâ crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat in cœnâ novissimâ, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc

[1] Cfr. *A. Theiner*, op. cit. vol. II, p. 58 sq.

verba: "Hoc facite in meam commemorationem"[1], uti semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit. Nam, celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesiâ per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit.

Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam[2] "nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam" prædixit: et quam non obscure innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens[3], cum dicit, "non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri": per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

CAP. 2. Sacrificium visibile esse propitiatorium pro vivis et defunctis.

Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missâ peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in arâ crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium istud vere *propitiatorium* esse, per ipsumque fieri, ut, *si cum vero corde, et recta fide*, cum metu et reverentiâ, *contriti ac pœnitentes* ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, *gratiam et donum pœnitentiæ concedens*, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ. Cujus equidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur.

CAP. 3. De Missis in honorem Sanctorum.

Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: "Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule"

[1] *Luc.* XXII, 19. — [2] *Malach.* I, 11. — [3] *I Cor.* X, 21.

sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

CAP. 4. De Canone Missæ.

Et cum sancta sancte administrari conveniat, sicque hoc omnium sanctissimum sacrificium; Ecclesia Catholica ut digne reverenterque offerretur, ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat; id enim constat tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

CAP. 5. De solemnibus Missæ sacrificii cæremoniis.

Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam ut scilicet quædam submissâ voce, alia vero elatiore, in Missâ pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolicâ disciplinâ et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

CAP. 6. De Missâ, in qua solus Sacerdos communicat.

Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

CAP. 7. De aquâ, in calice offerendo, vino miscendâ.

Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere

ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hâc mixtione recolitur; et cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

CAP. 8. De Missâ vulgari linguâ passim non celebrandâ, et mysteriis ejus populo explicandis.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, et a Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, omnium Ecclesiarum matre et magistrâ, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missâ leguntur aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis et festis.

CAP. 9. Prolegomenon canonum sequentium.

Quia vero adversus veterem hanc, in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrinâ fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur, atque disputantur; sacrosancta Synodus, post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ adversantur, damnare, et a sanctâ Ecclesiâ eliminare, per subjectos hos canones, constituit.

Can. 1. Si quis dixerit, in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, illis verbis: "Hoc facite in meam commemorationem", Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum: A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere: A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari: A. S.

Can. 5. Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit: A. S.

Can. 6. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse : A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis : A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas : A. S.

Can. 9. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, et verba Consecrationis proferuntur damnandum esse ; aut linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere ; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem : A. S.



Prolegomena.

1° Objectum, utilitas et divisio Tractatus.

1. (A) In præsenti Tractatu disserere intendimus de illo mirabili dono, quod vocatur Eucharistia (seu bona, optima gratia), et est simul sacramentum et sacrificium; *sacramentum*, quatenus gratiam continet et producit *ex opere operato; sacrificium*, quatenus Christus, in eo præsens sub speciebus panis et vini, vere immolatur. In *Tr. de Baptismo* diximus quomodo Christiani spiritualiter renascantur; in *Tr. de Confirmatione* quomodo in vitâ spirituali roborentur; remanet igitur exponendum quomodo per sacramentum Eucharistiæ spiritualiter nutriantur, et, quia doctrina de sacrificio Missæ intime cum doctrinâ de sacramento Eucharistiæ connectitur, in eodem Tractatu utramque complectimur.

2. (B) *Utilitas* ejusdem facile agnoscitur: (a) si enim multum prosit apprime cognoscere ea omnia quæ ad sacramenta referuntur, singulare exigit studium sacramentum Eucharistiæ quod est inter cetera nobilissimum; nam in se continet non solum gratiam, sed gratiæ ipsius *fontem* et *Auctorem;* præterea est veluti *centrum* ad quod cetera sacramenta referuntur, ita, v. g. Ordo refertur ad Eucharistiæ consecrationem, Baptismus et Pœnitentia ad Eucharistiæ receptionem ordinantur, et sic de ceteris [1]. (b) Insuper quum Eucharistiæ sacramentum necessarium sit necessitate præcepti, et sacrificium Missæ sit veluti centrum totius religionis nostræ, maxime expedit ut fideles optime instruantur circa ea omnia quæ ad utrumque referuntur, melius sese

---

[1] *S. Thom.* 3, q. 65. a. 3.

præparent ad sacram communionem, majorique devotione sacrificio Missæ assistant. (c) Tandem *Protestantes* plerique, ab initio Reformationis, denegarunt præsentiam realem Christi in Eucharistiâ et veritatem sacrificii Missæ, dogmaque Transsubstantiationis omni modo impugnarunt atque etiam impugnant; maximi igitur est momenti eorum errores confutare, eorumque difficultates solvere.

3. (C) *Divisio.* Eucharistia est Incarnationis non solum adumbratio, sed etiam continuatio et extensio; (a) sicut enim Verbum incarnatum sub velo carnis hominibus apparuit, in præsepio jacuit et in domo nazarethanâ vitam prorsus absconditam, licet plane divinam, duxit, ita pariter Christus in hoc sacramento sub speciebus eucharisticis sese latitat, et in tabernaculo vitam absconditam, licet vere divinam, ducit; (b) sicut Palæstinam pertransiit benefaciendo et sanando omnes, ita per communionem in animas nostras gratiam suam diffundit; (c) sicut in cruce moriens sese in sacrificium obtulit, ita et in altari quotidie offertur ut victima [1]. Hinc Eucharistia est simul *mysterium* quod credere debemus, *sacramentum* quo sanctificamur, *sacrificium* quo religionis officia Deo persolvimus. Triplex igitur est caput, ut sequenti synopsi exponitur.

[1] Cf. *Hurter*, n. 379; *Lessius*, de perfect. moribusque divinis l. XII, c. XVI, n. 129.

- **Caput I. de mysterio præsentiæ realis.**
  - **Art. I. Veritas realis præsentiæ demonstratur**
    - Script.
      - Verbis promissionis.
      - Verbis institutionis.
      - Verbis circa usum.
    - Trad.
      - Patribus.
      - Liturgiis.
      - Praxi Ecclesiæ.
      - Præscriptione.
  - **Art. II. Modus realis præsentiæ.**
    - Modus quo Xtus fit præsens.
    - Modus quo Xtus existit sub speciebus.
    - Modus quo Xtus permanet.
    - Corollarium: de cultu Eucharistiæ debito.
  - **Art. III. Concordia hujus mysterii cum ratione.**
    - Non repugnat rectæ rationi.
    - Convenit.
- **Caput II. de sacram. Eucharistiæ.**
  - Art. I. Existentia et natura.
  - **Art. II. Materia et forma.**
    - Materia.
      - de pane.
      - de vino.
      - de consecratione utriusque.
    - Forma.
      - super panem.
      - super vinum.
  - **Art. III. Effectus.**
    - quoad gratiam.
    - quoad peccata.
    - quoad corpus.
  - Art. IV. Minister.
  - **Art. V. Subjectum.**
    - de obligatione Euch. recipiendi.
    - de extensione hujus obligationis.
    - de dispositionibus requisitis in genere, et relate ad frequentem communionem.
- **Caput III. de sacrif. Missæ.**
  - Art. I. Notio, existentia et essentia.
  - Art. II. Effectus.
  - Art. III. Minister.
    - de potestate celebrandi.
    - de obligationibus ministri.
  - Art. IV. Subjectum.

2° Varia nomina[1].

4. Varia nomina sortitum est hoc mysterium : (a) ratione *materiæ* ex quâ conficitur, vocatum est *panis eucharisticus*, *panis vitæ*, *panis supersubstantialis*, *panis angelicus* : quæ quidem nomina simul ejus virtutem et dignitatem declarant. (b) Ratione *rei* quam continet, dicitur *Corpus Domini*, *sacramentum corporis* et *sanguinis* Christi. (c) Ratione *finis*, vocatur *Eucharistia* (εὐχαρις) quæ vox duo significat : *bonam gratiam*, quia in eo totus ille sumitur qui est finis et origo totius gratiæ ; *gratiarum actionem*, tum quia Christus gratias agendo illud instituit, tum quia per illud Deo gratias excellentissimas reddere valemus. (d) Ratione *dignitatis*, *sanctissimum Sacramentum*, quasi omnium sit nobilissimum. (e) Ratione *effectuum*, dicitur sacra *synaxis* σύναξις, seu *communio*, quia fideles tum Christo capiti, tum inter se arctissimo conjungit vinculo ; vel etiam *viaticum*, quia viatoribus in terrâ distribuitur tanquam medium ad cœlestem patriam perveniendi ; aut *sacramentum amoris*, utpote dilectionem erga Deum et proximum maxime fovens. (f) Ratione *temporis* et *loci* quo institutum fuit aut celebratur, nuncupatur *Cœna Domini*, *sacramentum altaris*.

3° Figuræ[2].

5. Eucharistia, utpote donum excellentissimum, et mysterium difficile creditu, multiplici modo præfigurata fuit : (a) *signum sensibile* hujus sacramenti adumbrârunt *oblatio Melchisedech*, qui panem et vinum Deo obtulit[3], *propositionis panes*, qui singulis sabbatis coram Arcâ offerebantur[4] et *panis subcinericius*, quem sibi ab Angelo oblatum Elias manducavit, et quo mirifice refectus fuit[5]. (b) *Effectus* ejusdem præfigurati fuerunt tum per *arborem vitæ*, quæ in medio paradisi plantata fuerat, ut esset immortalitatis pharmacum[6] : Eucharistia enim est veluti Ecclesiæ centrum,

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 73, a. 4 ; *Suarez*, in h. artic.; *Drouin*, l. IV, q. I. § 1.; *Einig*, p. 1.

[2] *S. Thom.* 3 p. 73, a. 6 ; *Suarez*, in h. artic.; *Einig*, p. 2.

[3] *Gen.* XIV, 18. — [4] *Levit.* XXIV, 5, sqq. — [5] *III Reg.* XIX, 6.

[6] *Gen.* II, 9.

pignusque immortalitatis; tum per *manna*, quod Judæis in deserto peregrinantibus divinitus fuit concessum tanquam optimus cibus omne delectamentum in se habens[1]; Eucharistia enim nobis in terrâ peregrinantibus præbetur ut sit simul spiritualis cibus et delectatio. (c) *Christus*, in hoc sacramento contentus, per antiqua sacrificia repræsentatus fuit, præsertim vero per inchoatam immolationem Isaac. (d) Tandem *Agnus paschalis* hæc omnia simul præfigurabat: *signum sensibile* hujus sacramenti, quia cum panibus azymis manducabatur; *effectus* ejusdem, quia, sicut sanguine Agni paschalis Judæi a devastante Angelo protecti et ab ægyptiacâ servitute liberati sunt, ita pariter Eucharistiæ virtute ab impugnationibus et captivitate diaboli liberamur; tandem *Christum ipsum*, nam sicut Agnus paschalis immolabatur et comedebatur, ita Christus in Eucharistiâ primum immolatur et deinde comeditur[2].

[1] *Exod.* XVI, 13; *Num.* XI, 6. — [2] *S. Thom.* 3, q. 73. a. 6.

Caput I.

DE MYSTERIO PRÆSENTIÆ REALIS.

Tria sunt investiganda : *veritas* realis præsentiæ Christi in Eucharistiâ, *modus* hujus præsentiæ, ejusdem cum ratione *concordia*.

Art. I. De veritate realis præsentiæ Christi.

6. *Errores contrarii.* 1° Inter *antiquos* hæreticos, pauci sunt qui veritatem realis præsentiæ negaverint. (a) *Docetæ*, Christum veram carnem habere non admittentes, indirecte negabant Eucharistiam esse carnem Christi : a *S. Ignatio* Martyre, jam initio secundi sæculi, impugnati sunt. (b) Medio Ævo, *Scotus Erigena* (ix sæc.), vir doctus sed novitatum amator, ita obscure de reali præsentiâ scripsit, ut eam negâsse multis visus fuerit, licet ab illo errore immunis a nonnullis censeatur [1]. *Berengarius* autem, patriâ Turonensis, archidiaconus Andegavensis in Galliâ (sæc. XI), Eucharistiam esse verum corpus Christi negavit, ut ex ejus opere *de Sacrâ Cœnâ* constat [2], sed a *Lanfranco* aliisque confutatus, et a pluribus Conciliis, tum in Galliâ tum in Italiâ habitis, condemnatus, post multas tergiversationes, errores suos tandem retractavit [3]. (c) Eumdem errorem renovârunt *Petrobrussiani* (sæc. XII.), *Albigenses* (sæc. XIII.), et, juxta nonnullos, *Wicleffus*, Protestantium præcursor, licet,

---

[1] Cf. *J. Healy*, Ireland's Ancient schools, Dublin 1890, p. 583 sq., *Chriestlieb*, The Life and Doctrine of J. Scot Erig., Gotha 1860.

[2] *Alzog*, Histoire de l'Eglise, vel Church History, vol. II, § 206; *Hefele*, Histoire des Conciles, vol. 4, p. 703 sq.

[3] Quidam tamen contendunt non præsentiam realem, sed solum transsubstantiationem a Berengario negatam fuisse : plerisque tamen visum est solummodo dynamicam seu virtualem præsentiam ab eo fuisse agnitam.

juxta alios, non realem præsentiam, sed transsubstantiationem impugnaverit [1].

7. 2° *Novatores* plerique realem præsentiam pariter negârunt. (a) *Lutherus* quidem illud dogma rejicere non ausus est, quia, ut ipse fatebatur, nimis evidenter in Scripturâ declaratur; hinc in confessione *Augustanâ* (1530) legitur: "De Cœnâ Domini docent quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus, in cœnâ Domini, sub specie panis et vini, et improbant secus docentes" [2]. Diu Lutherani eamdem doctrinam tenuerunt, sed hodie multi inter ipsos, in Germaniâ præsertim, in dubium revocant præsentiam realem. (b) *Sacramentarii*, sc. *Zwinglius* et *Œcolampadius*, docuerunt Eucharistiam nihil aliud esse nisi signum vel figuram Christi: juxta priorem, ἐστι (est) in consecrationis formâ reddi debet per "*significat*", ita ut sensus sit: "hoc est *signum* corporis mei" [3]; juxta posteriorem, σῶμα (corpus) idem significat ac *figura corporis*, ita ut sensus sit: hoc est *figura* corporis mei. Exinde deducebant Christum non realiter, sed solum per fidem manducari. (c) *Calvinus*, ut mediam viam inter Lutheranos et Sacramentarios teneret, docuit corpus et sanguinem Christi *virtualiter* esse in Eucharistiâ, sicut sol præsens est terræ per suam virtutem seu per calorem. (d) Plerique *Anglicani* [4],

[1] De quibus vide *Alzog*, op. cit. § 234, 236, 279. *Petrobrussiani* dicebant Christum reliquisse Apostolis potestatem consecrandi, sed non eorum successoribus.

[2] Apud *Schaff*, Creeds of Christendom, vol. III, p. 13.

[3] *Zwinglius* ita suum systema illustrat: "Cum paterfamilias peregre profecturus nobilissimum annulum suum, in quo imago sua expressa est, conjugi matrifamiliæ his verbis tradit: En me tibi maritum, quem absentem teneas, et quo te oblectes. Jam ille paterfamilias D. N. Jesu Christi typum gerit. Is enim abiens Ecclesiæ conjugi suæ imaginem suam in cœnæ sacramento reliquit". (*Zwinglii* opera, t. II, p. 549). Quem errorem amplexi sunt multi hodierni Protestantes, præsertim qui *liberales* dicuntur; cfr. *Lichtenberger*, op. cit. p. 792.

[4] Hæc enim in *art. XXVIII* leguntur: "Cœna Domini non est tantum signum mutuæ benevolentiæ Christianorum inter sese, verum potius est sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis. Atque adeo rite, digne, et cum fide sumentibus, panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi; similiter poculum benedictionis est communicatio sanguinis Christi. Panis et vini transsubstantiatio in

post nonnullas variationes, eumdem errorem amplexi sunt, et hodie retinent, paucis exceptis, præsertim *Ritualistis*, qui doctrinam catholicam de reali præsentiâ tenent. (e) Tandem *Unitarii*, aliique Protestantes *liberales* dicti, longius procedunt, docentque Eucharistiam esse vacuum signum, et nihil aliud præ se ferre nisi fraternæ caritatis symbolum et memoriam passionis Christi [1].

8. *Doctrina Catholica.* Præfatos errores *Tridentinum* his verbis condemnavit : " Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum animâ et divinitate D. N. Jesu Christi, ac proinde totum Christum ; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute, A. S.". Hinc de fide est totum Christum esse *vere, realiter* et *substantialiter* in Eucharistiâ ; dicitur " *vere* ", non autem *in signo* tantum, contra *Zwinglium* qui vocabulum " *est* " metaphorice intelligebat ; " *realiter* ", non vero in figurâ tantum, contra *Œcolampadium*, qui vocem " *corpus* " figurative accipiebat ; " *substantialiter* ", non autem in virtute solum, contra *Calvinum*, qui contendebat Christum per suam virtutem solummodo esse præsentem in Eucharistiâ. Dogma catholicum contra Protestantium cavillationes tum Scripturâ, tum Traditione demonstrabimus.

§ I. Argumenta ex scriptura.

1. Realis præsentia Christi in Eucharistiâ ex verbis promissionis [1] demonstratur.

9. Ut melius demonstratio intelligatur, tres partes in capite sexto Joannis distinguere licet : in primâ (1-25) descri-

Eucharistiâ ex sacris litteris probari non potest, sed apertis Scripturæ verbis adversatur, sacramenti naturam evertit, et multarum superstitionum dedit occasionem. Corpus Christi datur, accipitur et manducatur in cœnâ, tantum cœlesti et spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur et manducatur in cœnâ, *fides est* ". (Apud *Schaff*, op. cit. p. 505.506).

[1] " Cœna est fraternæ charitatis signum... ipsa quoque Christi mortem pro generis humani salute in memoriam revocat... Manducare ejus carnem et ejus sanguinem bibere, nihil aliud est quam nostram vitam ejus præceptis et exemplis conformare." (*Clarke*, Manual of Unit. belief, p. 48). — [2] *Joa.* VI, 48-59.

buntur miracula Christi quinque panes multiplicantis, et super aquas deambulantis, quæ, potentiam ejus exhibendo, animos præparabant ad credendum ea quæ de pane eucharistico annuntiaturus erat ; secunda sermonem Domini refert (26-60); tertia vero declarat effectus a sermone productos. Iterum sermo ipse, præter *exordium* (26-34), in quo Christus Judæos hortatur ut spiritualem cibum quærant, duas partes omnino distinctas habet : in *priori* (35-47) quæ sic incipit : " Ego sum panis vitæ ", asserit se esse panem vitæ, eo sensu quod omnes qui salvi fieri volunt, in ipsum credere debeant ; in *posteriori* autem (48-59)[1], quæ eodem modo incipit : " Ego sum panis vitæ ", declarat iterum se esse panem vitæ, sed sensu prorsus diverso, quatenus sc. promittit se nobis daturum carnem suam ad manducandum, et sanguinem suum ad bibendum. Jamvero *priorem* partem de *fide in Christum* intelligi posse libenter agnoscimus, licet quidam inter Catholicos id concedere nolint ; dicunt siquidem in *priori* agi de Eucharistiâ, minus tamen diserte, et in *posteriori* magis explicite *naturam* hujus cibi declarari. Sed, quidquid de hâc controversiâ dicatur, contra Protestantes, contendimus posteriorem ejusdem sermonis partem non posse metaphorice intelligi, sed de verâ et reali manducatione corporis Christi accipiendam esse. Quod ut demonstremus, duo probabimus : 1° *transitum* fieri (*v.* 48) a pane vitæ qui per fidem sumitur ad alium panem vitæ, sc. panem eucharisticum qui nihil aliud est nisi corpus Christi; 2° verba de eucharistico pane proprie et non metaphorice esse intelligenda[2].

10. 1° *Versiculo* 48 *fit transitus ab uno pane ad alterum plane diversum.* Imprimis animadvertere licet versiculum 47 " *amen, amen dico vobis* " optime priorem partem sermonis

[1] Nonnulli auctores, præsertim veteres, posteriorem partem versu 51 incipere putarunt, sed divisionem, quam nostram facimus, admittendam esse *Wiseman* validis argumentis exegeticis probavit. (Lect. on Real Pres., lect. I).

[2] Totum argumentum dilucide simul et nervose evolutum habes apud *Wiseman* (op. cit., lect. I-V.). Cf. *Maldonat*, Comment. in Joa. c. 6; *Franzelin*, th. 3 ; *Corluy*, Spicilegium, vol. II, p. 336 sq. ; *Pesch*, n. 576.

concludere, dum versiculus 48 "*Ego sum panis vitæ*" apte posteriorem partem incipit, quum nihil aliud sit nisi repetitio generalis propositionis a Christo enuntiatæ; sensus enim est: ego sum panis vitæ alio et altiori modo jam nunc declarando [1]; sed insuper,

(a) Occurrit *nova phraseologia*, seu modus loquendi novus; verba "*manducare carnem, bibere sanguinem*" quibus in primâ parte sermonis Christus nunquam usus est, in secunda parte sæpius adhibentur. Atqui illa verba non possunt referri ad eumdem panem; nam in usu loquendi Judæorum, voces "*panis, cibus*", adhibentur quidem in sensu metaphorico, ad designandam doctrinam seu fidem [2], sed nunquam formulæ "*manducare carnem, bibere sanguinem*" adhibitæ fuerunt ad significandum "credere in aliquem"; sed sensum prorsus diversum exhibent, sc. *aliquem calumniari*, ut infra probabitur.

(b) De facto in primâ parte Christus sua verba explicat de fide in seipsum; "Qui *venit ad me* non esuriet, qui *credit* in me non sitiet unquam" (35); e contra in secundâ parte declarat cibum, quem dabit, carnem suam vere esse: "*caro* mea *vere est cibus*" (56).

(c) Panis, de quo agitur in primâ parte, a *Patre* datur (32, 39, 44), dum secundus panis *a Christo* datur (52); per priorem *ad Christum venimus*, Deo nos trahente (35, 36, 44, 45); per posteriorem, *Christus a nobis manducatur* et in nobis habitat (57). Igitur quæstio non est de eodem pane, quum differentia adsit inter utriusque *datores* et *effectus*.

(d) Confirmatur intimâ connexione secundæ partis cum institutione Eucharistiæ in ultimâ cœnâ; hic enim Christus promittit quod in cœnâ dedit, et qui verba Joannis in capite sexto cum verbis Evangelistarum, Eucharistiæ institutionem describentium, attente confert, de eâdem re in utrisque agi non potest non videre: sicut enim Jesus hic dicit: "Nisi *manducaveritis* et *biberitis*", ita in ultimâ cœnâ ait: "*comedite ... bibite*"; sicut *carnem* et *sanguinem* suum hic

[1] Huic argumento accedit parallelismus inter priorem et posteriorem partem, ut optime declaratur a C. *Wiseman*, op. cit., lect. I.

[2] Cfr. *Isa.* LV, 1-2; *Prov.* IV, 5; *Eccli.* XXIV, 5.

commemorat, ita ibi dicit : "Hoc est *corpus* meum... hic est *sanguis meus*" [1].

II. 2° *Verba Christi de pane eucharistico, in secundâ parte, sensu proprio intelligenda sunt.* Probatur

(A) Ex *ipso textu ;* nam ex unâ parte sensus *proprius* est clarus et obvius, et ex alterâ sensus *metaphoricus* absolute repugnat. Sensus *proprius* obvius est : ea enim verba Christus adhibet quæ adeo clara sunt ut statim litteralem sensum menti exhibeant : (a) diserte asserit panem, quem dabit, esse propriam carnem : "Panis, quem ego dabo, *caro mea* est pro mundi vitâ" (52); (b) quum Judæi murmurarent, sub *comminatione mortis* spiritualis *præcipit* manducationem carnis suæ : "Nisi *manducaveritis carnem* Filii hominis"... (54); (c) idem præcipit *sub promissione vitæ* æternæ : "Qui *manducat* meam *carnem* ... habet vitam æternam" (55); (d) *rationem* hujus manducationis assignat quæ sensum metaphoricum excludit : "Caro enim mea *vere* est cibus, et sanguis meus *vere* est potus" (56) ; *vere* enim idem sonat ac *proprie;* (e) *effectum* ejusdem declarat qui consistit in eo quod *Christus ipse* maneat in nobis, nosque in eo : "Qui manducat meam carnem ... in me manet, et ego in illo" (57). Atqui hæc omnia primâ facie nihil aliud nisi realem manducationem veri corporis Christi menti exhibent, adeo ut si eadem verba a Protestante ministro, sine præviâ monitione, ex pulpito proferrentur, a suis tanquam *papista* existimaretur.

Aliunde idem patet ex *impossibilitate sensûs metaphorici in præsenti casu admittendi;* etenim locutiones "*manducare carnem, bibere sanguinem* alicujus" in nonnullis orientalibus linguis metaphorice adhibentur, sed tunc, ex usu apud Judæos et Orientales recepto, unum significant, sc. aliquem calumniari, aut persecutione prosequi, sicut v. g. dicitur apud *Job* [2] : "Quare persequimini me .. et carnibus meis sa-

[1] Cfr. *Bossuet*, La Cène, 33e jour. Quod concedunt non pauci hodierni Protestantes, ut *Olshausen, Delitzsch, Stier, Keil, Ellicott*, Handy Comment., St John, p. 435.

[2] *Job*, XIX, 22; cf. *Ps.* XXVI, 2; *Mich.* III, 3; *Eccles.* IV, 5; *Galat.* V, 15. Exempla hujusmodi multa invenies apud *Wiseman*, op. cit., lect. II. Quod ipsi Protestantes fateri coguntur; ita *Winer*, (Lexicon Man. Hebr. et Chald., Lips. 1828, p. 874) : "Hinc tropice alicujus

turamini"? Si igitur Protestantes metaphorice interpretari verba Christi velint, ipsis tribuere debent sensum apud Judæos receptum, et ita transferre verba Evangelii : "Nisi meipsum calumniaveritis ... non habebitis vitam in vobis"; quod quidem omnino repugnat. Idem dicendum de formulâ "*bibere sanguinem*", quæ *metaphorice* intellecta *maledictionem* pessimam exprimit [1]. Nec dicere juvat, cum nonnullis Protestantibus, vocabula *manducare* et *bibere* metaphorice de accipiendâ doctrinâ apud auctores tum sacros tum profanos sæpe intelligi ; hic enim agitur de *complexâ locutione* "*manducare carnem* et *bibere sanguinem*", quæ nonnisi de insignibus injuriis et persecutionibus usurpatur [2].

---

frusta (vel *carnes*) comedere; quâ phrasi, etiam in Targum, et in N. T. Syriaco frequentata, *obtrectatio* et *calumnia* exprimitur. Assimilantur sc. calumniatores canibus rabidis, qui frusta corporibus avulsa avide devorant". Nec aliter *Gesenius* (Thesaurus. Lips. 1829, t. II, p. 91) : "Veram formulæ rationem dudum recte intellexit Aben Esra, eum qui clam alterius famam *lacerat*, instar ejus esse monens, qui *carnem ejus arrodit*". Unus opponitur textus ex *Job* (XXXI, 31) : "Quis det de carnibus ejus ut saturemur"? Sed immerito, nam, textu hebraico inspecto, sensus est : "Quis reperiet aliquem qui de carne (i. e. victu) ejus non sit saturatus"?, seu aliis verbis declaratur liberalem victum hospitibus et pauperibus a pio Job suppeditatum fuisse ; proinde verba hujusmodi litteraliter, non metaphorice intelligenda sunt.

[1] Cf. *Levit.* III, 17; VII, 26; *Sap.* XI, 7; *Apoc.* XVI, 6; *Isa.* XLIX, 26.

[2] Quod agnoscit protestans *Tittman* (Meletemata sacra, Lips. 1816, p. 274) : "Provocant ad usum loquendi scriptorum profanorum qui usi fuerint verbis *edere* et *bibere* de eo qui imbuitur alicujus doctrinâ, ut eam suscipiat et probet. Atque id quidem verissimum est, scriptores græcos et latinos usurpâsse verba *edere* et *bibere* hoc significatu : eos vero hoc tali modo usos fuisse formulis *edere carnem et bibere sanguinem* alicujus id doceri potest ne uno quidem exemplo". Hinc *D. Alford* (Greek *Test.* in h. loc.) interpretationes metaphoricas hujus loci ut præposteras rejicit, sed simul ut *litteralem (?)* hanc proponit explanationem : "Christi carnem manducare idem est ac in vitâ nostrâ interiori illius corporis a mortuis excitati mysterium exprimere, et quidquid hujus corporis ad nos pertineat, id digerere ac in nostram carnem assumere ; item bibere ejus sanguinem nihil aliud est quam in vitâ nostrâ interiori, oblatæ pro peccato satisfactionis mysterium exprimere, et quidquid satisfactionis effusique pro nobis sanguinis ad nos pertineat, id digerere ac in nostrum assumere sanguinem". Hujusmodi interpretationem nimis contortam esse nemo est qui non videat et mirum

(B) Ex *contextu* firmatur interpretatio litteralis ac propria; nam in præfatis verbis Christus *præceptum* tradit: "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis"; et quidem sub formâ *emphaticâ*, juramenti vim fere habente: "amen, amen, dico vobis". Atqui legislator, legem condendo, clare loqui debet, præsertim quum tam emphatice loquitur, et vel metaphoras prorsus omittere, vel eis tantum uti quæ sine difficultate intelligi possunt; jamvero Christus clare non loqueretur in hoc loco, si metaphorice loqui intenderet: nam tam inaudita metaphora neque intelligi poterat, neque de facto a Judæis intellecta fuit; imo per quindecim sæcula plerisque Christianis impervia fuit; et hodie etiam vix intelligi potest a Protestantibus, qui perpetuo novas expositiones invenire conantur; ergo.

(C) Ex *modo intelligendi auditorum et ratione agendi Christi.* Hic enim certe nolebat auditores suos decipere. Atqui si metaphorice locutus fuerit, certo eos decepit; nam, ex unâ parte, Judæi sensu proprio ejus verba intellexerunt, quum dixerint: "Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum?" (53): certe non objiciunt amplius necessitati fidei, quum post expositionem a Christo factam, jam acquieverint; sed objiciunt manducationi ejus carnis; et ex alterâ, Christus, qui uno verbo rem facile explicare poterat, nedum sua verba explicaret et emolliret, ut facere consueverat in rebus gravis momenti, quando auditores ipsius verba sua non intellexerant, e contra eadem potius exaggerat, iterum atque iterum cum majori perspicuitate affirmans se ipsis daturum propriam carnem ad manducandum, imo præceptum condit manducandi suam carnem, ita ut non solum Capharnaitæ, sed etiam quidam inter discipulos ipsum propterea statim reliquerint (67).

Vis hujus argumenti melius percipietur ex ejus consuetâ agendi ratione cum discipulis. Quando enim locutiones metaphoricæ, ab ipso nonnunquam usurpatæ, ex simplicitate vel ignorantiâ non intelligebantur, eas explicare sole-

est sane virum tam doctum meliorem invenire non potuisse! Nihil sane veritatem catholicæ interpretationis magis probat quam vani Protestantium conatus ad verba Christi diverso modo exponenda.

bat, præsertim quoties agebatur de rebus ad salutem pertinentibus ne discipuli in errorem inducerentur; ita cum Nicodemo egit, qui *spiritualem regenerationem* sensu materiali intellexerat[1]; ita cum Apostolis qui verba ejus de *fermento* Pharisæorum litteraliter acceperant[2]. Ex adverso, quando ejus doctrina recte intellecta fuerat, licet auditoribus displiceret, Christus emphatice eam repetere consueverat; exempla habentur apud *Matth.*[3], ubi Jesus paralytico dixit: "Remittuntur tibi peccata tua"; murmurantibus enim scribis, magis explicite sibi vindicat potestatem peccata remittendi; apud *Joan.*[4]: quum enim Christus implicite affirmâsset se majorem esse Abraham, Judæis contradicentibus, rem magis diserte iterum declaravit[5]. Atqui in casu nostro tum Judæi, tum discipuli verba Domini sensu proprio acceperant, ut ex toto contextu patet, et quidem in re gravi, ad salutem necessariâ; divinus autem Magister, qui id optime noverat, et uno verbo explicare potuisset se in figurâ locutum fuisse, nullam hujusmodi explicationem dedit, sed permisit multos discipulos abire, "Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant" (67). Jamvero, si revera auditores decepti fuissent, Christi *sapientia* et *bonitas* postulabant ut hujusmodi error corrigeretur: qui enim venerat salvum facere id quod perierat, permittere nequibat multos ex discipulis suis perire propter metaphoram, sine culpâ, male intellectam. Ergo auditores recte verba Magistri acceperant; ergo Christus sensu obvio ac proprio verba sua audiri volebat.

(D) Ex consensu *Patrum* moraliter unanimi, qui, paucis exceptis, litteraliter præfata verba de Eucharistiâ intelligunt. "Nemini enim fere auctori bono malove ante Lutherum venit in mentem, ut diceret, hoc loco de Eucharistiâ non agere. Si quis dubitat, *Origenem* legat (hom. in Num. XVI, 2), legat *Cyprianum* (in lib. de Cœnâ Dom., in libro de Orat. Domini, et lib. I contr. Jud., c. XXII), legat *Hilarium* (lib. VIII de Trinit.), legat *Basilium* (In reg. moral.

[1] *Joa.* III, 3-8. —[2] *Matt.* XVI, 6-12. — [3] *Matt.* IX, 2-7.

[4] *Joa.* VIII, 51-59.

[5] Hanc fuisse Christi communem praxim optime demonstrat *Wiseman* (lect. III) ex multis Evangelii locis, præsertim *Joa.* III, 5; *Matt.* XVI, 6-11; *Joa.* VIII, 21; VI, 33; *Matt.* IX, 2; *Joa.* VIII, 56-58 etc.

reg. 21, c. 1), legat *Chrysostomum* (homil. 45 et 46 in Joa.), legat *Epiphanium* (Hæres. 55), legat *Ambrosium* (lib. 4 de Sacrament., c. 5)[1], legat *Augustinum* (lib. 1 de pecc. mer. cap 20 et 24, et lib. 1 contra Julianum et serm. 2 de verb. Apost.), legat *Hieronymum* (Comment. in cap. 1 ad Ephes.), legat *Theophylum* (lib. 11 Paschal.), legat *Gregorium Nyss.* (In Ecclesiast. et lib. de perfecti christiani hominis formâ), legat *Cyrillum* (hoc loco)... Concilia omnia, quæcumque hunc locum citavere, de Eucharistiæ sacramento intellexerunt, *Ephesinum*, *Tridentinum*, Conc. *Cabilonense et* Conc. *Senonense.* Audacius nunc dico quod dixi in principio, neminem sine temeritate posse a tot Patribus in re tam gravi dissentire "[2].

12. 3° *Solvuntur Protestantium difficultates*[3]. (A) Christus, in capite sexto, non potest loqui de Eucharistiâ; nam tale sacramentum nondum erat institutum; atqui loquitur de manducatione quæ fieri poterat, dum loqueretur: " Qui manducat carnem meam, etc.". Resp.: *Nego minorem.* Nam Christus antea (versu 52) promiserat Eucharistiam pro futuro tempore tantum, et ejus necessitatem promulgaverat: dein modo loquendi utendo, qui sæpe ab oratoribus usurpatur, describit futuros effectus, tanquam si præsentes essent. Quod jam fecerat, dum loqueretur de necessitate Baptismi: quamvis enim hoc sacramentum nondum fuerat institutum, dixit: " Nisi quis renatus fuerit... non potest introire in regnum Dei "[4].

13. (B) Christus de illâ manducatione loquitur, quæ infallibiliter vitam æternam confert: "Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum " (52). Atqui hoc de Eucharistiâ dici nequit, quæ aliquando ab indignis recipitur, sed solum de manducatione per fidem. Ergo. *Resp.:* Christus loquitur de manducatione quæ vitam æternam confert, *positis ponendis*, sc. cum debitis dispositionibus; quod quidem verum est de Eucharistiâ, quæ *ex se* confert vitam æternam, dummodo rite accipiatur. Confirmatur ex iis quæ de ipsâ fide dicuntur: " Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur "[5]; nam, fatentibus ipsis Protestantibus, non omnis fides justificat, sed solum ea quæ debitis conditionibus est vestita.

---

[1] Opus hujusmodi non a S. Ambrosio scriptum fuit, sed a quodam ejus discipulo, qui stylum S. Doctoris imitatur, et ex ejus scriptis multa excerpit.

[2] Ita *Maldonatus*, op. cit. in vers. 54. Testimonia Patrum citata vide apud *Corluy*, op. cit. p. 362 sq. *Tridentinum* noluit quidem definire caput sextum de Eucharistiâ intelligendum esse, sed ejus mens clare colligitur ex sess. XXI, c. 1, ubi hoc caput citatur.

[3] Præcipuæ difficultates desumuntur ex opere *G. Faber*, Christ's Discourse at Capernaum, præsertim ex capite VIII.

[4] *Joa.* III, 5. — [5] *Marc.* XVI, 16.

14. (C) Christus de cibo agit ad salutem necessario : "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis" (54). Atqui Eucharistia non est necessaria ad salutem, quum infantes sine eâ salvi fieri possint. *Resp. : dist. majorem :* loquitur de cibo necessario ad salutem necessitate *præcepti*, concedo; necessitate *medii*, nego : cum enim sermo dirigatur ad auditores, qui *adulti* erant, verba hæc ad ipsos eorumque successores restringi possunt proindeque pueros non amplecti ; insuper id quod præscribitur, est *cibus*, qui necessarius est regulariter ut vita per longum tempus præservetur, sed alio modo suppleri potest, ac proinde non præcipitur tanquam conditio sine quâ non. Nonne et ipsi Protestantes hoc admittere debent etiam quoad manducationem spiritualem, seu fidem? Nam certo infantes non possunt actu credere in Christum.

15. (D) Christus ipse declarat verba sua metaphorice intelligenda esse, dum addit : " Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam ; verba quæ ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt" (64). *Resp. : nego antecedens ;* quoad textum, duplici modo explicari potest. (a) Vox "*Spiritus*", ubi *carni* opponitur, non significat sensum spiritualem, seu metaphoricum, ut volunt Protestantes, sed elementum spirituale, seu divinum Christi, et sensus est : caro sola non potest vivificare, sed caro mea, simul cum spiritu, seu divinitate meâ, vivificat[1]. (b) Vox "*Spiritus*", quando carni opponitur, sæpe sæpius in Scripturâ designat intellectum hominis per gratiam adjutum[2], dum caro significat hominem suæ nativæ corruptioni relictum ; unde sensus est : intellectus spiritualis, seu fide adjutus, hæc intelligit, sed intellectus carnalis, seu nativæ corruptioni relictus, non prodest quidquam ad intelligendum ea quæ dixi. Utraque solutio probabilis est ; Protestantium autem interpretatio, qui per "*spiritum*" audiunt sensum metaphoricum, et per "*carnem*" sensum litteralem, omnino repugnat usui apud Judæos recepto, ut fatentur optimi moderni interpretes, etiam hæretici[3].

---

[1] Ita *S. Augustinus*, *Cyril. Alex.*, *Beelen*, *Maier*, apud *Corluy*, *l. c.* p. 372. Cf. *Matt.* XXVI, 41; *Joa.* III, 6; *Rom.* I, 3; VIII, 5.

[2] Ita *Athanasius*, *Chrysostom.*, *Theophylactus*, apud *Maldonat*, in h. loc. Cf. *Wiseman*, op. cit. lect. IV. Cf. *Matt.* XVI, 17; *I Cor.* II, 14-15.

[3] Protestantium testimonia non pauca collegit Card. *Wiseman*, op. cit. lect. IV. Ita *Kuinoel* (in Joa. VI, 63) ait : " Sed hæc verborum interpretatio usu loquendi scriptorum N. T. comprobari nequit..... Præplacet igitur mihi eorum ratio quibus πνεῦμα (spiritus) est perfectior, sublimior sentiendi ratio quam doctrina Xti efficit ; σάρξ (caro) humilis, vilis sentiendi ratio.... ut adeo sensus sit, valedicere debetis opinionibus vestris præjudicatis, nam sublimior tantum sentiendi et statuendi ac operandi ratio salutem affert ; humilis, vilis statuendi ac sperandi ratio, judaica illa ratio, nihil confert ad veram felicitatem ".

II. Realis præsentia ex verbis institutionis demonstratur[1].

16. Quod Christus promiserat in capite sexto Joannis, id fideliter præstitit in ultimâ cœnâ. Pridie enim quam pateretur, post celebrationem cœnæ paschalis, discipulis adhuc mensæ recumbentibus, "accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: "*Hoc est corpus meum*"; "quod pro vobis datur", juxta *S. Lucam*; "quod pro vobis tradetur", juxta *S. Paulum*. "Et accipiens calicem gratias egit, et dedit eis dicens: Bibite ex hoc omnes; *Hic est enim sanguis meus* etc."[2]. Evidens est illa verba sensu proprio intellecta realem præsentiam invicte demonstrare; totis igitur viribus contendunt Protestantes ea metaphorice intelligenda esse, et ad hoc textus congerunt, in quibus verbum "*est*" idem significat ac "*repræsentat*"; et exinde concludunt verba Christi nihil aliud significare nisi: hoc est signum seu figura corporis mei. Nos autem, cum *Trident.* (sess. XIII, cap. 1), demonstrabimus præfata verba *proprie* esse interpretanda de vero corpore et sanguine Christi.

Principium generale est verba Scripturæ proprio sensu accipienda esse, nisi adsit ratio evidens eadem aliter interpretandi. Atqui, in casu præsenti, nedum talis adsit ratio[3]

---

[1] *Bellarminus*, l. I, c. 8-11; *Wiseman*, lect. V-VII; *Frédet*, op. cit. p. 60 sq.; *Franzelin*, th. 4-6; *de Augustinis*, th. 2; *Pesch*, n. 591 sq.

[2] Quatuor sunt narrationes institutionis Eucharistiæ: *Matt.* XXVI, 26-28; *Marc.* XIV, 22-24; *Luc.* XXII, 19-20; *I Cor.* XI, 23-25. Joannes, qui ea præsertim refert quæ a tribus Synopticis omissa fuerant, de institutione ipsâ silet, sed ea quæ de ultimâ Cœnâ habet, hanc institutionem supponunt.

[3] Unica ratio ad sensum figuratum confugiendi est apparens mysterii impossibilitas; sed illa ratio non valet; nam infra demonstrabitur mysterium illud esse quidem supra, sed non contra rationem; aliunde in rebus fidei præ oculis habenda sunt hæc Christi verba: "Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum" (*Luc.* XVIII, 27). Quando Deus claris verbis aliquam veritatem revelat, impudens esset dicere: hoc admittere nequeo, quia non intelligo. Sane Protestantes mysterium Trinitatis multaque alia accipiunt, quæ intelligere non valent.

omnia potius litteralem sensum exigunt, sive *textus*, sive *contextus*, sive etiam *alia adjuncta*.

17. 1° Si *textus* ipse inspiciatur, (A) verba litteraliter intellecta tam clara sunt ut nulla clariora ad dogma catholicum exponendum inveniri possint [1]; e contra sensus metaphoricus tam difficilis et obscurus est ut, fatentibus adversariis, nonnisi post multa sæcula excogitari potuerit, tam ænigmaticus, ut jam anno 1577 ducentæ numerarentur hæreticorum expositiones, quarum nulla plene ipsis placuit; jamvero quando sensus proprius perspicuus est, metaphoricus vero obscurus et contortus, prior certe præferri debet. Nec dicere juvat in linguâ aramaicâ seu syro-chaldaicâ quâ Christus utebatur, nullum inveniri vocabulum verbo *significare* respondens, proindeque Dominum voce "*est*" uti debuisse ad illam ideam exprimendam; hodie enim peritis compertum est, etiam Protestantibus, plures dicendi modos esse in illâ linguâ quibus Jesus uti potuit ad figuratum sensum exprimendum [2]; aliunde Marcus, Lucas et Paulus,

[1] "Nos credimus corpus et sanguinem Jesu Christi esse vere et realiter in adorabili Eucharistiâ præsentia, quia accepto pane et vino, Ille qui erat Omnipotens, ait : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Hoc totum argumentum nostrum. Quid vero firmius, quid clarius in medio afferri potest, ut notum evadat doctrinam nostram vere esse Salvatoris doctrinam, quam nostræ fidei simplicem enunciationem ponere juxta verba quibus Dominus noster usus est in hujus dogmatis manifestatione? *Hoc est corpus meum*, ait Dominus noster. *Credo hoc esse tuum corpus*, respondet Catholicus. *Hic est sanguis meus*, adjicit Redemptor. *Credo hoc esse sanguinis tui figuram*, subdit Protestans. Qui respondet : Utique, utique? Quis dicit *amen* Jesu Christi doctrinæ? Catholicus aut Protestans?" (*Wiseman*, Confér. 5e; cfr. *Migne*, Démonstrat. evangél., t. XV, p. 1237.)

[2] Card. *Wiseman* plus quam quadraginta modos quibus dici potest "hoc est *symbolum* corporis mei" in linguâ syriacâ computavit, quæ non substantialiter differt a linguâ syro-chaldaicâ. (Lect. VII.) Aliunde *Drach* idem probavit quoad ipsam linguam aramaicam, quâ Christus utebatur (Inscript. hébraïque, 2a edit. Romæ, p. 33.) Insuper hic adimadvertere licet in versione syriacâ Matthæi, Lucæ et Pauli verbum substantivum *est* omitti, ita ut ibi legatur : hoc corpus meum ; quod, secundum grammaticæ leges nihil aliud exprimere potest nisi identitatem inter subjectum *hoc* et prædicatum corpus. "Protestantes, hac super re confutati, autumant Jesum verba quibus usus est, a rituali

græce scribentes, figuratum illum sensum exprimere debuissent, dum e contra in suâ narratione verba adhibent quæ illum excludunt.

18. (B) Frustra pariter congeruntur textus, in quibus vocabulum "*est*" idem significat ac "repræsentat, seu est figura"; inspectis enim omnibus locis ad quæ provocant, colligitur verbum *est* non metaphorice intelligi nisi quando res, de quâ agitur, sive ex *naturâ suâ*, sive ex *usu loquendi* aut *præviâ monitione*, est *signum*, *figura* aut *symbolum* alterius rei; sic v. g. Platonis *statuam* exhibendo dicere possum: "hic est Plato", quia statua ex naturâ suâ est signum, figura alterius rei; item *somnium* explicando quis dicere potest: "Septem boves pulchræ... septem ubertatis anni sunt"[1], quia, ex *usu loquendi* recepto, in hoc casu exspectatur alicujus signi explicatio; idem dici potest de explicatione *typorum* V. Testamenti, vel *parabolarum*[2], quia, ex præviâ *monitione* plus minusve explicitâ, sensus metaphoricus naturaliter menti se exhibet; sic v. g. quando S. Paulus ait[3]: "Petra autem Christus"; infra enim addit: "Hæc autem in *figurâ* facta sunt nostri". Sed præter hos et similes casus, vocabulum "*est*", apud auctores tam sacros quam profanos, suum genuinum et *litteralem* sensum reti-

judaicæ Paschatis mutuasse, juxta quem paterfamilias buccellam sumens panis, aiebat: "Hic est panis afflictionis quem patres nostri manducarunt"; agnum quoque accipiebat, dicens: "Hoc est corpus Paschatis". Sed Maimonides nos docet hujusmodi formulas adhibitas non fuisse nisi post Judæorum dispersionem. Cæterum hæc verba: "Hic est panis afflictionis", in sensu naturali accepta, haud significant: "Hic est figura panis", sed: "Hoc est genus panis quem manducaverunt patres nostri in die afflictionis". — Quod ad alteram formulam attinet: "Hoc est corpus agni", protestans Schœttgen (*Horæ hebraicæ*, t. I, p. 227 et sq.) demonstrat in sermone syro-chaldaico, vocem *corpus* idem significare ac *realiter et veraciter*, vel ut pronomina "*ipsemet, ipsamet*"; et ideo verba: "Hoc est corpus meum", si a paschali formula mutuata fuissent, contra intentionem et desiderium Protestantium significarent: Hoc est egomet". (*Fouard*, Vie de Jésus-Christ, 3e édit. 1884, Paris, t. II, p. 262, n. 2; anglice versum *The Christ the Son of God*, vol. II, p. 229, note.)

[1] *Gen.* XLI, 26.

[2] *Matt.* XIII, 36-39; *Galat.* IV, 24.

[3] *I Cor.* X, 4.

net. Atqui, in casu nostro, panis neque ex *naturâ* suâ, neque ex *usu loquendi* aut *prævia monitione* dici potest signum corporis Christi; quis enim, panis frustulum ostendendo, dicere auderet: hic est Plato, hic est Socrates? Aliunde nullus Scripturæ textus ab hæreticis inveniri potuit ex quo concludere liceat panem unquam fuisse corporis humani signum; tandem Christus, antequam verba "*Hoc est corpus meum*" proferret, nullomodo directe aut indirecte Apostolos monuit se in figurâ locuturum esse, aut parabolam explicaturum. Ergo illa verba metaphorice intelligi nequeunt.

19. 2° Ex *contextu:* nam *Christus* veluti *emphatice* affirmat hoc quod tradit discipulis esse *ipsum corpus suum*, illud ipsum corpus quod pro illis tradetur, esse ipsum sanguinem, qui pro eis effundetur: hæc est enim vis articuli "τὸ", qui in textu græco sæpius repetitur, ut fatentur ipsi Protestantes cum *Clarke*[1]. Atqui talis loquendi modus sensum metaphoricum excludit; si quis enim exhibendo veterem codicem manuscriptum diceret: "Hic est codex summæ theol. S. Thomæ, *ipse* codex cui commisit fructus suarum meditationum, *ipse* codex super quem laborando insudavit, etc." certe intelligeretur litteraliter de genuino codice a S. Thomâ scripto, non autem de merâ transcriptione, seu repræsentatione ejusdem codicis. Ergo.

20. 3° Ex *adjunctis* personarum et circumstantiarum:

(**A**) *Apostoli*, quibus Christus loquebatur, erant homines simplices, ab interpretationibus metaphoricis alieni, proni ad interpretandum litteraliter etiam locutiones metaphoricas[2]; insuper, miraculorum testes, et Christi omnipotentiæ conscii, parati erant affirmationibus Magistri, etiam captu difficilibus simplicem fidem adhibere, rati apud Deum omnia possibilia esse[3]; hanc fidei simplicitatem Dominus ipse exigebat, nihil magis reprobando quam incredulitatem eorum; tandem per sermonem in capite sexto Joannis relatum, dispositi fuerant ad admittendam realem manduca-

[1] Apud *Wiseman*, op. cit. lect. VI.: "Omnis fere syllaba græci textûs, præsertim articuli repetitio, omnino emphatica est". Revera in textu græco hæc habentur: τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμα μου τὸ ὑπέρ ὑμῶν διδόμενον... το αἷμα μου τό ὑπὲρ ὑμων ἐκχυννόμενον.

[2] *Matt.* XVI, 11. — [3] *Matt.* XIX, 26.

tionem corporis et sanguinis Domini. Atqui, in talibus adjunctis, repugnat Jesum verbis metaphoricis captu difficilibus, usum fuisse, quin ea explicaret, præsertim quum alloqueretur Apostolos, "quibus datum est nosse mysteria regni cœlorum" [1], quibus explicare solebat parabolas ceteris absconditas; prævidere enim poterat et debebat Apostolos verba hujusmodi accepturos sensu litterali. Ergo repugnat sensus metaphoricus.

(B) Si *circumstantiæ* spectentur, Christus, Eucharistiam instituendo, *testamentum* condebat : "HIC EST SANGUIS MEUS *Novi Testamenti*"; sui *amoris memoriale* perpetuum relinquebat : "HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM"; simulque *legem* imponebat Missam celebrandi, et quidem in *ultimo sermone* ad discipulos ante mortem habito; atqui hæc omnia sensum metaphoricum intellectu difficilem excludunt; nam *testamentum* clarum esse debet, ac proinde nullas continere metaphoras insolitas et captu difficiles; jamvero si vox "*est*" figurate intelligatur, talis loquendi modus adeo difficilis est ut per longa sæcula a nemine fuerit intellectus; nec mirum; quis enim, audiens patremfamilias filio dicentem : "hæc est domus quam tibi relinquo", hæc verba intelligeret de figurâ aut picturâ domus? Insuper, si Eucharistia est solum figura corporis Christi, non potest dici *singulare amoris pignus*, quum multa sint alia ejusdem amoris pignora merâ figurâ præstantiora. Tandem *lex* debet verbis omnino perspicuis exprimi, præsertim quum legislator jam prope est moriturus et *ultimâ vice* suos subditos alloquitur; nulla enim alia erat opportunitas verba obscuriora ante mortem explicandi; aliunde post resurrectionem ea non emollivit, sed permisit eadem litteraliter ab Apostolis et Ecclesiæ Patribus interpretari, ita ut, si sensus metaphoricus verus sit, per innumera sæcula multi ex ejus discipulis idololatriæ addicti fuerint, adorando ut verum corpus Domini quod nihil aliud erat nisi panis frustulum et figura ejus corporis! quis Christianorum hoc admittere potest, nisi simul fateatur Christum vel futuri ignarum vel deceptorem esse? Repugnat ergo ex omni parte sensus metaphoricus.

[1] *Matt.* XIII, 11.

21. 4° *Solv. diffic.* (A) Si propositio "hoc est corpus meum" litteraliter intelligatur, pronomen *hoc* demonstrat vel panem, vel species panis, vel corpus Christi; atqui nullum ex his dici potest; etenim *hoc* neque panem neque species panis demonstrare potest, quia falsum est panem aut ejus species esse corpus Christi; item corpus Domini demonstrare nequit, quia dum *hoc* pronuntiatur, corpus Christi nondum adest; ergo sensus litteralis admitti nequit.

Resp. (a) Nego *suppositum;* nam *hoc*, instanti quo pronuntiatur, neque panem, neque species, neque corpus Christi *determinate* designat, sed *indeterminate* significat *id quod manibus teneo, quod sub his speciebus continetur :* hæc est enim vis pronominis demonstrativi sine substantivo adjuncto positi. (b) Probabiliter etiam cum *Maldonato*[1] dici potest *hoc* designare corpus Christi; nam in propositionibus quæ significant id quod fit eo præcise instanti quo propositio enuntiatur, pronomen demonstrativum designat non id quod est, sed id quod erit, sicut v. g. ille qui circulum pingit dicere potest, "hic est circulus", licet, tempore quo loqui incipit, circulus nondum existit.

22. (B) Christus figurate locutus est, dum dixit : "Hic est calix novum testamentum in meo sanguine"[2], significare volens id quod in calice continebatur; ergo et verba ejus, "hoc est corpus meum", figurate accipi debent.

Resp. : Neg. conseq.; nam apud omnes gentes *calix* sumitur metaphorice pro liquore in eo contento : quod aliunde satis ex contextu intelligitur, ubi dicitur "*accipite et bibite*", non enim vas ipsum, sed liquor in eo contentus bibitur; dum e contra *panis* usu communi pro figurâ corporis humani minime usurpatur; unde negatur paritas ac proinde conclusio ex eâ deducta; nam ex eo quod metaphoris intellectu facilibus uti licet, minime sequitur obscuros tropos adhiberi posse.

23. (C) Quod in calice continebatur vocatur a Christo vinum, etiam post consecrationem : "Non bibam amodo de hoc genimine vitis"[3]; ergo calix, etiam post consecrationem, nihil aliud nisi vinum continebat.

Resp. (a) Valde probabiliter verba illa ante consecrationem prolata sunt, postquam calicem vini inter cœnandum Jesus distribuerat, ut ex *Lucâ*[4] constat; (b) si concedatur eadem post consecrationem prolata fuisse, non est mirum sanguinem Christi vocari *genimen vitis*, sicut revera corpus ejus vocatur *panis*[5], quum ex vino fiat et vini speciem retineat; simili modo vinum per miraculum ex aquâ factum in nuptiis Canæ dicitur *aqua*[6]; ita etiam virga Aaron, in serpentem mutata, vocatur tamen virga[7]; et cœcus, licet curatus,

[1] Comment. in Matt., in h. loc. — [2] *Luc.* XXII, 20.
[3] *Matt.* XXVI, 29. — [4] *Luc.* XXII, 17-18. — [5] *I Cor.* XI, 26-27.
[6] *Joa.* II, 9. — [7] *Exod.* VII, 12.

non cessat vocari cœcus[1]; sic etiam hodie in sacrâ liturgiâ species consecratas dicimus "panem sanctum vitæ æternæ, panem cœlestem" etc.

24. (D) Ex contextu verba Christi *metaphorice* audienda sunt; nam Eucharistia est sacramentum; atqui sacramentum est signum alterius rei; ergo verba Christi de signo corporis sui accipi debent.

Resp.: Disting. min.; Sacramentum est signum *gratiæ, conc.;* est signum *corporis et sanguinis* Christi, *nego.* Igitur Apostoli intelligere potuerunt Eucharistiam esse signum gratiæ quæ in hoc sacramento producitur, non autem signum ejus corporis; quod quidem constat ex modo quo verba Magistri referunt, quum expressiones ab ipsis adhibitæ sensum metaphoricum excludant, ex jam dictis.

25. (E) Christus Eucharistiam instituit in sui commemorationem: "Hoc facite in meam commemorationem"[2]; atqui commemoratio non fit præsentis, sed absentis[3]; ergo Christus non est præsens in Eucharistiâ.

Resp.: Disting. min., non fit commemoratio rei præsentis simul et visibilis, *conc.;* rei præsentis, sed non visibilis, *nego;* nam quum invisibilis sit, in oblivionem cadere posset, et re aliquatenus visibili commemorari debet. Jamvero Christus est quidem realiter præsens in Eucharistiâ, sed *invisibiliter*, sub speciebus panis et vini latens, proindeque potest et debet commemorari, prout fusius ab Apostolo declaratur[4]: "Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat". Et sane perfectius memoriale passionis Domini excogitari nequit quam sacra Eucharistia, sensu catholico intellecta, in quâ Christus realiter præsens sub speciebus panis et vini de novo Patri seipsum offert.

26. (F) *Zwinglius* aliam difficultatem, angelo quodam nocturno suggerente, proposuerat quam insuperabilem putabat, sed quæ hodie a doctis Protestantibus ut imbelle telum agnoscitur; arguebat sc. ex *Exod.* XII, 11, ubi de agno paschali dicitur: "Sic autem comedetis illum: renes vestros accingetis ... *est enim phase* (i. e. *transitus*) Domini"; sensus enim hujus textus est, aiebat, agnum paschalem esse, i. e. *significare* transitum Domini; ergo a pari hoc est corpus meum idem est ac hoc significat corpus meum.

Resp.: Contextu inspecto, vocabulum *est* ibi non idem sonat ac *significat*, sed suam propriam significationem retinet: videlicet hic describitur ritus paschalis, et postea subjungitur, juxta hebraicum textum: *phase est Domino*, seu hæc dies, *sacra, dicata* est Domino, sicut et nos dicimus: hæc est Pascha, seu dies Paschæ Deo dicata.

---

1 *Joa.* IX, 17. — 2 *Luc.* XXII, 19.
3 Ita *Schaff-Herzog* Encycl. p. 1347. — 4 *I Cor.* XI, 26.

Quæ interpretatio tum ex contextu[1], tum ex locis parallelis firmatur[2]. Eodem fere modo solvitur difficultas desumpta ex *Gen.* (XVII, 10), ubi de circumcisione legitur : " Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum " ... Nam sensus hujusmodi verborum non est : " hoc *significat* pactum meum", ut volunt Protestantes ; sed : hoc *revera est* pactum et præceptum meum, ut circumcidatur omne masculinum, ut ex toto contextu patet[3].

Addi etiam potest in utroque casu agi de rebus quæ naturâ suâ aliarum rerum symbola erant, in quibus proinde vocabulum *est* metaphorice intelligi posset quin cogeremur eodem modo accipere verba Christi de corpore suo, quod nullius rei symbolum esse potest.

III. Realis præsentia probatur ex verbis S. Pauli circa usum Eucharistiæ[4].

27. Post relatam Eucharistiæ institutionem, hæc subjicit Apostolus de indignâ communione : " Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, *reus* erit *corporis et sanguinis* Domini "[5]. Atqui indigne communicans *reus corporis* Christi dici nequit, si panis eucharisticus sit solum figura corporis ejus, non autem verum ipsius corpus ; nunquam enim Judæi, qui agnum paschalem, Christi figuram, indigne comederunt, rei ejus corporis dicti sunt, nunquam qui regis imaginem aut statuam injuriâ afficiunt rei corporis et sanguinis ejus habentur ; offendunt siquidem ejus personam, non autem ejus corpus. Pari igitur ratione si Christus esset solum metaphorice præsens sub sacris speciebus, indigne accedens posset quidem ejus personam offendere, non vero ejus corpus. Ergo in Euchari-

[1] *Exod.* XII, 27.

[2] *Exod.* XX, 10 ; XXXII, 5. " Rosenmüller notavit in originali textu non dici *transitum* aut *Pascha* τοῦ *Domini*, sed *transitum* aut Pascha τῷ *Domino*. Quæ vero locutio immutabiliter significat *sacrum* aut *dicatum Domino*. Plura præsto sunt exempla. Ita legitur in textu hebraico. (Exodi cap. XX, 10) : *sabbatum* (sacrum) *Domino* et (cap. XXXII, 5) : *dies festus* (sacer) *Domino*." *Wiseman*, Lect. V, p. 217, vel Confér. 5e, ap. *Migne*, Démonstr. évang., XV, p. 1253.

[3] Cf. *Wiseman*, l. cit. p. 209 sq.; *Franzelin*, th. V.

[4] *Bellarminus*, l. I, c. 12-13 ; *Wiseman*, op. cit. lect. VIII ; *Fredet*, op. cit. p. 82 sq. ; *Franzelin*, th. IV ; *de Augustinis*, l. cit. p. 43.

[5] *I Cor.* XI,27.

stiâ verum Domini corpus, non autem ejus figura solum invenitur. Confirmatur iis quæ paulo ante Apostolus dixerat[1]: "Calix benedictionis... nonne *communicatio sanguinis* Christi est? et panis, quem frangimus, nonne *participatio corporis* Domini est"? Non possumus enim *corpori* et *sanguini* Christi in Eucharistiâ communicare nisi sint ibi realiter; unio cum Christo per solam fidem accurate dici nequit communicatio ejus *corporis* et *sanguinis*, sed solum participatio in ejus spiritu.

Ut breviter omnia comprehendamus, in tribus diversis circumstantiis sacri scriptores de Eucharistiâ loquuntur: (a) quando Christus, etiam ante institutionem hujus sacramenti, promittit propriam carnem propriumque sanguinem tanquam cibum et potum discipulis se daturum, ea verba adhibet quæ statim realem manducationem menti exhibent, nec nonnisi approbatas hermeneuticæ regulas violando in metaphoram detorqueri possunt; (b) in ipsâ institutione tam perspicue et evidenter affirmat in hoc sacramento contineri suum corpus et sanguinem, ut ipse Lutherus[2] postquam totis viribus a litterali interpretatione sese extricare conatus fuerit, nullam evadendi viam esse fassus fuerit; (c) tandem, institutione factâ, quando Paulus modum Eucharistiam recipiendi ejusque effectus describit, tam lucide de *corpore* et *sanguine* Christi loquitur, ut ejus verba non solum modum excedere, sed prorsus falsa esse videantur, nisi admittatur Christum vere, realiter et substantialiter esse sub speciebus consecratis. Si igitur error est, ab ipsis auctoribus sacris decepti sumus, simul cum totâ antiquitate christianâ, ut jam demonstraturi sumus.

---

[1] *I Cor.* X, 16.

[2] Scribit enim ad *Argentinenses*: "Hoc diffiteri nec possum nec volo, quod si Carlostadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in sacramento præter panem et vinum esse nihil, ille magno me beneficio sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius et in hâc discutiendâ materiâ multum desudans, omnibus nervis extensis me extricare et expedire conatus sum, cum ipse perspiciebam, hâc re papatui imprimis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video, nulla evadendi via relicta est; textus enim evangelii nimis apertus est et patens..."

§ II. REALIS PRÆSENTIA TRADITIONE DEMONSTRATUR[1].

Argumenta ex Scripturâ desumpta Traditione confirmantur, quæ manifeste ostendit verba supra allata litteraliter interpretata fuisse. Quod constat :

I. Ex Patribus.

Pauca testimonia ex innumeris quæ afferri possunt seligemus.

28. 1° Jam *primo sæculo*, *S. Ignatius*, S. Joannis discipulus, condemnat quosdam hæreticos, "qui ab Eucharistiâ se abstinent, eo quod non confiteantur ipsam esse carnem Salvatoris nostri J. C." (ep. ad Smyr. 7). Ergo juxta ipsum Eucharistia est vere *caro* ipsius Christi.

2° *Secundo sæculo*, *S. Justinus*, qui in Palestinâ natus, orientales ecclesias primum visitavit, et deinde Romæ docuit, in Apologiâ I^a ad Imperatorem Antoninum scriptâ docet (n. 66) : "Eucharistiam non esse communem panem, sed Incarnati Verbi carnem et sanguinem". Eodem sæculo, *S. Irenæus*, in Asiâ Minori natus, et S. Polycarpi discipulus, qui in Galliâ evangelium prædicavit, et Episcopus Lugdunensis fuit, affirmat pariter panem eucharisticum esse "corpus Domini, et calicem esse sanguinem ejus"[2].

3° *Tertio sæculo*, in Ecclesiâ Latinâ, *Tertullianus* declarat[3] "nos corpore et sanguine Christi vesci"; alibi adhibet quidem expressionem æquivocam, ex quâ inferunt Protestantes Eucharistiam esse figuram corporis Christi; sed, inspecto contextu, sensus Tertulliani hic esse videtur : "illud, quod in V. T. erat solum figura corporis Christi, factum est verum corpus Christi in ultimâ cœnâ"[4]. Item in Ecclesiâ Græcâ, *Origenes*[5] manna cum Eucharistiâ comparans docet prius fuisse cibum in ænigmate seu in figurâ,

[1] Hoc argumentum fuse solideque exposuerunt auctores operis *Perpétuité de la foi*, præsertim vol. II, p. 187 sq. ed. *Migne* 1841; *Bellarm.* l. II; brevius autem, licet erudite, *Franzelin*, th. VII-X; *Frédet*, op. cit. p. 89 sq.; *Hurter*, n. 403-430, *de Augustinis*, p. 1, a. 4.; *E. B Pusey*, Doctrine of the Real presence.

[2] Adv. hæres. lib. IV, c. 18, n. 5. — [3] De Resur. carnis, c. 8.

[4] Cont. Marc. lib. IV, c. 40; — cfr. *Franzelin*, th. X.

[5] Homil. VII in Num.

et addit : "nunc autem in specie (i. e. realitate) caro Verbi Dei est verus cibus, sicut et ipse dicit quia caro mea vere est cibus".

4° *Quarto jam sæculo*, Patres fusius et clarius loqui incipiunt, quia tunc persecutiones non amplius vigebant. Sic, inter Græcos, *Macarius Magnes*, commentando verba "*Hoc est corpus meum*", addit : "Non enim figura corporis est, neque figura sanguinis, ut quidam stupidâ mente nugati sunt, sed secundum veritatem sanguis et corpus Christi" [1]. Nec minus clare loquitur *S. Cyrillus Hierosolymitanus* [2], dum catechumenos instruit : "Qui videtur panis, non est panis, sed corpus Christi ; quod videtur vinum, non est vinum ... sed sanguis Christi".

29. A quarto autem sæculo testimonia Patrum tam copiosa et clara evadunt, ut ipse *Zwinglius* (De verâ et falsâ relig.) fateri debuerit "tempore S. Augustini opinionem de carne corporali jam victricem fuisse". Ut vero Patrum doctrina nobis tantisper innotescat, ad sequentia capita, eamdem revocamus [3] : (**a**) Patres docent inter figuras Eucharistiæ in V. T. et ipsam Eucharistiam tantum esse discrimen quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur : ex quo sequitur Eucharistiam non esse figuram tantum corporis Christi, sed ipsum realiter continere (*Hieronymus*, *Salvianus*, *Chrysost.*, *Athanas.*, *Cyril. Alex.*). (**b**) Mirantur stupenda miracula, quæ realem Christi præsentiam comitantur, quomodo sc. unum corpus omnibus fidelibus distribui possit et simul integrum manere, quomodo Jesus in ultimâ Cœnâ proprium corpus manibus suis tulerit, quomodo vere in sacrificio missæ immoletur (*Greg. Nys.*, *Augustinus*, *Chrysost.*). (**c**) Rationes exponunt cur voluerit Salvator carnem suam dare ad manducandum, ut sc. secundum *rem ipsam* cum illâ carne commi-

[1] Ap. *Pitra*, Spicileg. Solesmense, Parisiis, 1852, t. II, 548.

[2] Catech. IV. — Testimonia Patrum multa invenire est in Breviario Romano, in lectionibus II et III Nocturni infra Octav. Corporis Christi.

[3] Fusiorem hujus doctrinæ expositionem tradit *Hurter*, l. c.

sceamur; item summam reverentiam, imo adorationem ejus corpori reddendam esse præcipiunt, et indignæ communionis peccatum crimini Judæ æquiparant *(Cyril. Hier., Chrysost., Tertul.)*. (d) Dogmate realis præsentiæ Christi utuntur principii instar, quo contra hæreticos alias fidei catholicæ veritates comprobent; sic *S. Irenæus* probat J. Christum Creatorem esse ex eo quod panem in corpus suum convertat; *S. Cyrillus* unionem hypostaticam Verbi cum humanâ naturâ demonstrat ex verbis "Qui manducat meam carnem ... in me manet, et ego in eo", seu ex eo quod caro Christi in Eucharistiâ sit vere caro Verbi; *S. Irenæus* et *S. Cyril. Alex.* carnis nostræ resurrectionem ex eo quod carnem Domini manducemus inferunt; imo nonnulli hæretici, v. g. Paulus Samosatenus, Eutychiani, ad hoc dogma provocant ut suos stabiliant errores. (e) Tandem Patres vel in antecessum diserte et æquivalenter Novatorum errores damnarunt; volunt enim ut verba Christi in institutione Eucharistiæ sensu *obvio* accipiantur; docent illa verba clara esse, nec permittunt mysterium hoc secundum sensus dijudicari, sed secundum fidem; addunt panem converti in corpus Domini non minus vere ac Verbum caro factum est; negant Eucharistiam esse imaginem corporis Christi, aut eum solâ fide manducari. *(Cyril. Hier., Chrysost., Justinus, Conc. Nic. II, Anastasius Sinaita, Joan. Damas., Cyril. Alex.* etc.)

30. Negari nequit nonnulla Patrum testimonia contra realem Christi in Eucharistiâ præsentiam opponi posse; quum singula discutere non expediat, quædam trademus principia, sive *generalia*, sive *particularia*, quibus pleraque explicari possunt [1]. Imprimis mirum non est quædam inveniri apud Patres loca intellectu difficilia: nullum enim est dogma contra quod citari non possint aliquot testimonia particularia; nam Patres, nullâ adhuc obortâ controversiâ, securius et liberius loquebantur.

(A) *Principia generalia:* Hæc igitur notanda sunt: (a) loca difficilia et obscura auctoris cujuslibet explicari debent juxta ejusdem auctoris doctrinam alibi clarius expres-

[1] Hæc fusius evoluta vide ap. *Franzelin*, th. 10.

sam[1]; (b) aliunde ratio habenda est *legis arcani*, quæ vetabat ne coram omnibus clarius exponeretur dogma Eucharistiæ, ut infra declarabimus; (c) tandem, pauca testimonia quæ objici possunt nullum fere effectum apud Fideles habuerunt, quum ubique terrarum in suâ fide de reali præsentiâ perseveraverint, nec proinde contra consensum moraliter unanimem Ecclesiæ universalis militare possunt.

(B) *Particularia.* (a) Aliquando Eucharistia dicitur a Patribus *signum, typus, figura, imago corporis Christi;* quia constituitur revera duplici elemento, *speciebus* et *corpore* Christi; species autem panis et vini dici possunt figura corporis sub illis speciebus contenti, quin eo ipso præsentia realis negetur[2]; nusquam vero asseritur Eucharistiam esse *tantum figuram* Christi. (b) Item quidam negant contineri in Eucharistiâ ipsum illud corpus quod natum est de Mariâ Virgine; quod quidem explicatur, si præ mente habeatur triplicem distingui posse statum corporis Christi, passibilem ante Resurrectionem, gloriosum in cœlo et sacramentalem in Eucharistiâ; hoc enim posito dici potest, cum *Lanfranco* (sæc. XI), Eucharistiam "vere posse dici et ipsum corpus quod de Virgine sumptum est, et tamen non ipsum: ipsum quidem quantum ad essentiam ... non ipsum autem si spectes panis vinique speciem" (Adv. Bereng. c. 18). (c) Pariter pauci negare videntur nos manducare corpus Christi:

[1] Ita v. g. *S. Augustinus* (De doctr. Christ. l. III, c. 16) asserit verba Domini: "Nisi manducaveritis..." figurata esse. Sed alibi diserte et explicite docet Christum realiter esse in Eucharistiâ præsentem: "Christus ergo præsto est in mensâ, *Christus ipse* ibi occiditur, Christus immolatur, Christus ibi in *suo corpore* et *sanguine* sumitur" (serm. 143, n. 3). Proinde verba obscura prius prolata explicari debent; quod fieri potest si, cum eodem Augustino (De doctr. Christ. l. III, c. 12), duplex sensus figuratus distinguatur, unus mere *metaphoricus*, alter *typicus*, qui, præter id quod verba exprimunt, aliquid aliud designat; quo sensu manducatio corporis Christi in Eucharistiâ, licet realis, typus dici potest spiritualis manducationis, quâ ejus vitæ et passioni communicamus. (Cf. *Hurter*, n. 392.)

[2] Quod jam animadverterat *Gerbertus Remensis (Sylvester* II, † 1003): "Simpliciter fateamur, quia figura est (eucharistia), dum panis et vinum extra videtur: veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interius creditur" (de Corp. et Sang. Domini, n. 4).

sed quum iidem alibi diserte affirment nos illud vere manducare, illa apparens contradictio explicatur si triplex manducatio Eucharistiæ distinguitur, *sacramentalis tantum* quæ consistit in materiali receptione sacramenti a peccatoribus; *spiritualis tantum* per fidem et desiderium; *sacramentalis simul et spiritualis*, quæ fit a justis sacram communionem recipientibus [1]; quo posito, intelligitur quo pacto justi manducent, peccatores autem non manducent corpus Domini : *priores* siquidem non solum materialiter, sed etiam spiritualiter ; *posteriores* vero materialiter sed non spiritualiter. Iterum Patres non pauci dicunt corpus Christi non manducari, i. e. dentibus non teri, quia revera species panis, non autem corpus ipsum, dentibus teruntur.

II. Ex liturgiis [2].

31. Liturgiæ, ut constat ex *Tr. de Fontibus Theol.* (n. 23-24) invictum sunt argumentum fidei Ecclesiæ, quum de aliquo dogmate unanimiter consentiunt ; atqui liturgiæ non solum modernæ, sed etiam antiquæ, non solum Latinæ, sed etiam Græcæ, non solum orthodoxæ, sed etiam schismaticæ, tales preces et formulas exhibent quæ sensum metaphoricum excludunt, et e contra important veram mutationem panis in corpus Christi. Sic v. g. in Liturgiâ *S. Jacobi*, sacerdos, dum particulam accipit, ait : " Teneo te, qui contines fines terræ ; te in manibus habeo, qui regis profunda ; te, Deus, pono in os meum ". Ita etiam in liturgiâ *S. Marci*, apud Ægyptios adhibitâ, et in liturgiâ *Copticâ*, sacerdos dicit : " Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum spiritum quod sit ipsa caro vivifica Unigeniti Filii tui ..... credo eam ipsam vere esse ". In liturgiâ *S. Chrysostomi* sic orat sacerdos ante consecrationem : " Fac quidem panem

[1] Quo sensu ait *Augustinus* (serm. 131, n. 1) : " Illud manducare refici est, et illud bibere, quid est nisi vivere ? ... tunc autem hoc erit, i. e. vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsâ veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur ".

[2] Cf. *Perpétuité de la Foi*, ed. Migne, vol. III, p. 219 sq.; *Renaudot*, Collectio liturg. orient. t. II; *Rock*, Hierurg. sacra, t. II, Appendix I; *Wilberforce*, The doctrine of the H. Eucharist, c. III ; *de Augustinis*, l. cit. p. 69 ; *Pesch*, n. 650-666.

hunc pretiosum corpus Christi tui". Item in liturgiâ *Ambrosianâ*, in Cœnâ Domini, legitur : " Ad quid desperare de tuâ misericordiâ possumus qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereremur, *corpus* scilicet et *sanguinem D. N. Jesu Christi*". In liturgiâ *Gothicâ* seu *mozarabicâ* orat sacerdos, " ut fiat nobis Eucharistia legitima in transformationem corporis ac sanguinis D. N. Jesu Christi". Et sic de aliis [1]. Ergo, jam a primis sæculis, in omnibus Ecclesiæ partibus universim tenebatur Christum vere, realiter et substantialiter præsentem esse sub speciebus consecratis.

III. Ex praxi Ecclesiæ.

32. Plurima sunt facta quæ perpetuam Ecclesiæ fidem hac de re confirmant.

1° Primis Ecclesiæ sæculis vigebat *disciplina arcani* [2] (the discipline of the secret) quâ Fideles prohibebantur, ne mysteria fidei, sed præsertim mysterium Eucharistiæ, paganis manifestarentur ; imo ipsi catechumeni illud mysterium ignorabant, ideoque primæ solum parti Missæ assistebant, et ante offertorium dimittebantur. Quod quidem fiebat ut vitarentur calumniæ paganorum, qui, mysterium illud non in-

---

[1] Cfr. *Wiseman*, Lect. on the principal doct., lect. XVI.

[2] Hujus disciplinæ amplitudinem et momentum non pauci theologi exaggerârunt, ut probat *Batiffol*, ap. *Vacant*, Dict. de Theol., voce *Arcane*, et in opere cui titulus *Etudes d'Histoire et de Théologie positive*, Paris 1902, p. 2-41. Attamen hanc *arcani disciplinam* a sæculo tertio ad sextum viguisse certo constat, præsertim quoad catechumenos qui de mysterio *eucharistico* et aliis hujusmodi nonnisi post baptismum receptum edocebantur. Imo, etiam antequam hæc vigeret disciplina, christiani nonnisi caute de sacrâ communione coram paganis loquebantur. — Ita *Origenes*, publice prædicans in cœtu christiano, in quo cathechumeni aderant, ait : " Novit qui mysteriis imbutus est, et *carnem et sanguinem Verbi Dei* : non ergo immoremur in his quæ scientibus nota sunt, et *ignorantibus patere* non *possunt.* " (In Levit. homil. IX, 10, ap. *Migne*. P. G. XII, 523). Exinde factum est ut pagani aliquid obiter de mysterio eucharistico audientes ac perverse intelligentes, Christianos insimularent eo quod in secretis conventibus humanam carnem manducarent et sanguinem biberent.

telligentes, accusabant christianos eo quod carnem infantis comederent ejusque sanguinem biberent, in conventibus suis ; atqui talis disciplina non explicaretur, nisi Ecclesia credidisset in realem Christi præsentiam ; si enim Eucharistia fuisset spectata solummodo ut figura corporis Christi, nihil facilius erat quam calumnias paganorum confutare, manifeste docendo panem eucharisticum non esse verum ejus corpus, sed solum ejusdem figuram. Ergo.

2° Insuper fideles, antequam Eucharistiam acciperent, illam *adorabant*, teste *Augustino* qui dicit (in Ps. 98) : " Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit "[1] ; ad illam accedere non audebant nisi cum conscientiâ purâ sanctoque timore, eamque tanto honore prosequebantur ut *S. Tarcisius*, acolythus, mori voluerit potiusquam profanis manibus eam tradere[2] ; atqui hæc omnia bene quidem explicantur, si Christus sit vere præsens in Eucharistiâ, sed vix intelligi possunt, si Eucharistia sit solum figura corporis Christi ; ergo.

3° Confirmatur (A) ex *inscriptionibus* antiquis, inter quas præcipua est quæ in epitaphio *Abercii* recenter inventa est[3]; Abercius siquidem, Episcopus Hieropoleos in Phrygiâ, exeunte sæc. II, carmen dictavit super tumulum suum inscribendum, in quo legitur : " Fides vero ubique mihi dux fuit, præbuitque ubique cibum ἰχθυν (piscem) e fonte ingentem, purum, quem prehendit virgo illibata deditque amicis perpetuo edendum, vinum optimum habens, ministrans mixtum (i. e. vinum aquâ mixtum) cum pane ". Cui affinis est epigramma *Augustodunensis Pectorii*, in quo legitur : " Salvatoris sanctorum suavem sume cibum ; manduca esuriens, piscem ἰχθυν tenens manibus ".

(B) Ex *picturis*, quibus Eucharistia frequenter in Cata-

---

[1] Similia leguntur apud *S. Cyrill. Hierosol.* (Catech. 5 mystagog.), *S. Joa. Damascenum* qui (de fide orthod. l. IV, c. 13) ait : " Accedamus ad eum ardenti desiderio, compositisque in crucis formam manibus, *crucifixi corpus suscipiamus* ".

[2] Quo sensu etiam dicit *Origenes* (hom. XIII in Exod.) : " Cum suscipitis corpus Christi, cum omni cautelâ et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat ".

[3] Cf. *Vacant*, Dict. de Théol. t. I, col. 57-66.

cumbarum parietibus pingitur : aliquando figuratur per *vas lacte plenum, nimbo coronatum ;* jamvero nimbus est divinitatis symbolum et realem Christi præsentiam denotat ; alibi repræsentatur sub formâ piscis vivi innatantis aquis et super dorsum ferentis canistrum in quo continentur panis et vinum ; pisce Christum designari nemo est qui ignoret (*De Sacram.* 21)[1], proindeque idea ibi expressa est Christum vere contineri sub speciebus panis et vini[2].

IV. Argumento præscriptionis[3].

33. Eâdem methodo utemur quâ usi sumus ubi *de Sacram.* (23).

Certum est sæc. XI, quando sc. *Berengarius* negare cœpit veritatem realis præsentiæ, dogma illud jam in universali Ecclesiâ fuisse creditum. Illud constat ex unanimi reclamatione quæ tunc exorta est undique contra Berengarium, ex multis auctoribus qui statim ejus errorem impugnarunt, et manifeste declararunt per hoc universalis Ecclesiæ fidem destrui[4], ex conciliis quæ ejus errorem condemnarunt, ex ipsâ confessione paucorum Berengarii discipulorum qui fatebantur Ecclesiam hâc de re usquedum erravisse, tandem

[1] Ait enim *Augustinus* (De Civit. Dei, l. XVIII, c. 23) : " Horum autem quinque verborum quæ sunt Ἰησοῦς Χριστός Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ (quod est latine *Jesus Christus Dei Filius Salvator*), si primas litteras jungas, erit ἰχθύς, id est piscis, in quo nomine mystice intelligitur Christus ".

[2] Alias Eucharistiæ picturas accurate describit *J. Wilpert*, Fractio panis, 1895.

[3] *Perpétuité de la Foi*, ed. Migne, t. I, p. 15 sq, ; *Liebermann*, de SS. Euchar. Sacramento, c. I, a. 1; *Fredet*, op. cit. p. 35; *de Augustinis*, op. cit. p. 77.

[4] Scribebat enim *Lanfranc*, Archiep. Cantuarensis (de corp. et sanguine Domini, c. 22), Berengarium alloquens : " Si verum est quod de corpore Christi tu credis et astruis, falsum est quod ab Ecclesiâ ubique gentium de eâdem re creditur et astruitur. Omnes enim qui christianos se et esse et dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc Sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos qui latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis christianos quoscumque homines. Uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro si universalis Ecclesiæ fides falsa existit, aut nunquam fuit Catholica Ecclesia, aut periit ".

ex Berengarii retractatione[1]. Pro Ecclesiâ Græcâ idem constat ex *liturgiis* jam antea citatis; ex *professione fidei* quam Græci a Saracenis ad fidem conversis exigebant, in quâ conversus profitebatur panem et vinum consecratum esse vere corpus et sanguinem Christi, necnon ex apertis theologorum etiam schismaticorum testimoniis[2].

Atqui tale dogma introduci non potuit in universam Ecclesiam per mutationem sive *sensibilem*, sive *insensibilem;* si enim fuisset *sensibilis*, auctor, locus et tempus quo tale dogma inventum fuit ex historiâ cognoscerentur; jamvero Protestantes neque auctorem neque locum aut tempus hujus inventi assignare possunt. Quidam contenderunt *Paschasium Radbertum*, monachum Corbeiensem (sæc. IX) hujus dogmatis inventorem fuisse; sed frustra; nam quomodo ignotus monachus persuadere potuisset Episcopos totius orbis catholici, etiam Ecclesiæ Græcæ, quæ tunc temporis ab unitate secesserat, de veritate dogmatis de quo altum silentium tota antiquitas servavisset? Nonne multi tali novitati contradixissent[3]? Jamvero auctores eodem tempore viventes, ut *Rabanus Maurus*, improbarunt quidem aliquot locutiones monachi circa *modum* quo Christus est et comeditur in Eucharistiâ, sed doctrinam de præsentiâ reali ipsi professi sunt, excepto forsan *Ratramno*, de cujus mente dubitatur[4]. Aliunde, si Paschasius inventor fuerit illius

---

[1] Cf. *Alzog*, Church History, vol. II, § 206.

[2] Nonnulla horum testimonia vide ap, *Assemani*, Bibl. orient. t. II, p. 39, 178; t. III, part. 2ª, p. 209 sq.; *Pesch*, n. 648.

[3] Quod argumentum contra Zwinglianos urget vir minime suspectus, *Lessing*, (Berengarius of Tours, complete Works, ed. *Lachmann*. (vol. VIII, p. 814). Animadvertit siquidem Zwinglium irrationabiliter affirmare primævam Ecclesiam tenuisse eucharistiam fuisse merum signum Christum minime continens; nam si, ut ait Zwinglius, tot ac tantæ fuerunt disputationes sæculo IX, quando transsubstantiatio in Ecclesiam introducta fuit; nonne majores ortæ fuissent quando doctrina de reali præsentiâ quæ, si ei credas, primis christianis ignota fuit, doceri incœpit? Historia tamen de hoc omnino silet. Ergo ab initio fides in realem præsentiam jam vigebat.

[4] Paschasius dixerat in Eucharistiâ esse *idem* corpus quod ex Virgine natum est; hoc displicuit Rabano (supra, n. 30), sed ipse recte sentiebat de præsentiâ reali, ut patet ex iis quæ scripsit: "Quod corpus et

dogmatis, quomodo explicari possunt testimonia Patrum anteriorum, in quibus clare eadem doctrina reperitur? Nec pariter mutatio *insensibilis* admitti potest : quis enim unquam credere poterit doctrinam novam, sensibus et rationi primâ facie contrariam, et cum praxi tam stricte connexam, fuisse ab universali Ecclesiâ receptam, quin ullæ unquam protestationes a Fidelibus vel Pastoribus factæ fuerint? Nam si, propter quasdam incautas Paschasii assertiones, de modo quo Christus est in Eucharistiâ, longa et acerba orta est controversia, nonne acerbior orta fuisset, si dogma ipsum, antea penitus ignotum, ab uno vel paucis prædicatum fuisset? Quod quidem confirmatur ex eo quod Græci schismatici, imo et sectæ orientales, jam sæc. V. ab Ecclesiâ separatæ, ut Nestoriani, semper crediderint et adhuc credant in realem præsentiam Christi, ita ut saltem usque ad sæculum quartum fides in illud dogma ascendat. Sed impossibile est ut per tria priora sæcula tale dogma fuerit introductum tum propter zelum quo Christiani stricte apostolicas traditiones servabant, tum propter persecutiones quæ vetabant ne dogma, quod primâ facie tam contrarium humanæ rationi apparet, deposito fidei adderetur. Ergo tale dogma ab Apostolis venit, et ab ipso Christo.

Art. II. De modo præsentiæ realis.

Demonstratâ veritate præsentiæ realis, disputandum remanet de naturâ ejusdem, sc. : 1° De *modo* quo Christus *fit præsens* in Eucharistiâ ; 2° De *modo* quo *existit* in eâdem ; 3° De *permanentiâ* illius præsentiæ; 4° Per modum corollarii, de *cultu* Eucharistiæ debito.

I. De modo quo Christus fit præsens, seu de transsubstantiatione[1].

34. *Status quæstionis.* 1° *Notio* Transsubstantiationis.

sanguis Domini (in Eucharistiâ) sit vera caro verusque sit sanguis, unusquisque debet credere, nosse, tenere, confiteri pariter et incunctanter asserere fidelis". (Ap. *Migne*, t. CXII, 1510).

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 75; *Suarez*, disp. 50; *Bellarminus*, l. III, c. 18-24; *Drouin*, q. VI, sect. 2 ; *Lugo*, disp. VII ; *Billuart*, diss. I, a. 5-7 ; *Franzelin*, th. 13-15; *de Augustinis*, th. 4; *Pesch*, n. 667; *Billot*, q. 75.

Dogma fidei est Christum fieri præsentem in Eucharistiâ per transsubstantiationem : quæ quidem juxta *Triâ.* est "*Conversio totius substantiæ panis in corpus Christi, et totius vini substantiæ in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini*". Dicitur : —

(A) *Conversio :* i. e. transitus unius rei in aliam; quod tria implicat, sc. : (a) ut aliquid esse desinat, et aliud incipiat; ita in Eucharistiâ panis desinit esse, et corpus Christi non quidem absolute, sed *novo modo* incipit esse; (b) ut adsit aliqua connexio inter desitionem prioris et successionem posterioris; non requiritur quidem ut unum expellat aliud, sed sufficit ut introductio unius termini ordinem habeat ad alterius expulsionem ; ita in casu nostro, panis esse non desinit nisi ut in ejus locum succedat corpus Christi; (c) ut quid commune in priori existens, remaneat in posteriori : quæ tamen ultima conditio non stricte requiritur, juxta quosdam. De facto in Eucharistiâ aliquid manet commune duobus terminis, videlicet accidentia panis quæ essentialiter pertinent ad sacramentum ; quapropter dici potest aliquo sensu : panis fit corpus Christi, quatenus sub iisdem accidentibus panis est corpus Christi, sub quibus antea panis fuit. (*S. Thom.* 3, q. 75, a. 8).

(B) *Totius substantiæ :* his verbis indicatur conversionem illam esse *substantialem*, et quidem *totaliter.* Duplex est enim conversio : accidentalis et substantialis; *accidentalis*, in quâ, servatâ substantiâ, mutatur solum accidentalis forma, v. g. quando ferrum in cultrum convertitur ; *substantialis*, in quâ ipsa substantia in aliam mutatur, v. g. quando corpus antea vivens fit cadaver. Iterum substantialis mutatio est *partialis* vel *totalis*, prout pars tantum substantiæ, vel tota substantia convertitur. Jamvero transsubstantiatio est conversio *substantialis* et quidem *totalis*, quia tota substantia panis, non autem pars tantum, convertitur in corpus Christi ; idem dic de vino relate ad sanguinem ; differt proinde a conversione substantiali,quæ accidit in rerum naturâ, vi cujus una forma substantialis alteri succedit, remanente eâdem materiâ; hic enim etiam materia panis et vini

desinit[1]; merito igitur hæc conversio *mirabilis* et *singularis* a *Tridentino* dicitur, quum nulla alia detur perfecte huic similis.

(C) *Manentibus speciebus :* siquidem in omni conversione generatim aliquid remanet utrique termino commune; jamvero, cum tota substantia panis et vini desinat, non remanent nisi accidentia panis et vini, quæ vocantur *species eucharisticæ*, aut a quibusdam *apparentiæ*, quamvis minus recte, ut infra explicabitur. Hinc transsubstantiatio distinguitur: (a) a simplici *transformatione*, quæ mutationem solum accidentalem importat; (b) ab *impanatione*, quæ unionem hypostaticam inter substantiam panis et substantiam corporis Christi supponit; (c) a *consubstantiatione*, quæ importat præsentiam simultaneam substantiæ panis et substantiæ corporis Christi; (d) ab *annihilatione*, in quâ nihil absolute remanet prioris entis; (e) a *creatione*, quæ productionem alicujus entis involvit sine relatione ad aliud.

35. 2° *Errores.* (a) *Lutherus*, qui, ut supra diximus, præsentiam realem retinuerat, docuit Christum præsentem esse in Eucharistiâ per *consubstantiationem*, i. e. simul *cum* vel *in*, aut *sub* pane et vino, ita ut, juxta ipsum, sensus verborum consecrationis sit : Hic (adverbialiter) est corpus meum *(here is my body)*.

(b) *Osiander*, unus ex ejus discipulis, admisit *impanationem*, seu unionem hypostaticam Christi cum pane et vino. Hodie vero præcipui Lutherani illas explicationes rejiciunt et admittunt quamdam unionem specialem, quam sacramentalem vocant, inter panem et corpus Christi, vi cujus simul cum pane accipimus verum corpus Domini, absque ullâ mutatione panis et vini.

(c) Nostris diebus, quidam germani theologi docuerunt transsubstantiationem in eo consistere quod *natura* panis remanet, sed desinit esse substantia, quia sustentatur a corpore Christi, videlicet corpus Christi, dum fit substantialiter præsens in Eucharistiâ, sustentat *naturam panis*,

[1] *Durandus* docuerat quidem (4 Dist. 11, q. 3) solam formam, non autem materiam panis transmutari; sed hæc opinio contradicit *Tridentino* declaranti transsubstantiationem esse conversionem *totius* substantiæ (proindeque materiæ et formæ).

quæ hoc ipso et absque aliâ sui mutatione, desinit esse substantia, quia jam non in *in se est*, sed in alio sustentante; "adeoque manet quidem natura panis, sed in eâ cessat formalis ratio substantiæ : et ideo non duæ sunt substantiæ, sed una sola, nempe corporis Christi". Talis explicatio *tolerari non potest* ex decreto S. Officii 1875 [1]. Et merito; nam Ecclesia definivit totam substantiam panis et vini in corpus et sanguinem Christi converti, ita ut de pane nihil maneat nisi accidentia; jamvero, juxta præfatam opinionem, aliquid aliud maneret, videlicet ipsa natura panis.

(d) Neque admitti potest opinio *Rosminiana*, quæ sic proponitur: "In eucharistico sacramento, substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque suâ vitâ vivificat; eo ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis". Quæ propositio damnata fuit pariter a *S. Officio* 14 Dec. 1887 [2]. Nam tollit *conversionem totius substantiæ* panis in corpus Christi; siquidem quod manet in suo esse ac solummodo novam terminationem acquirit, proprie non convertitur in aliud; insuper si substantia panis et vini fit terminus principii sentientis Christi, aliquid hujus substantiæ manet post Consecrationem : quod sane Tridentinæ definitioni opponitur.

36. *Thesis catholica :* **Christus fit præsens in Eucharistia per transsubstantiationem, i. e. per conversionem totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem ipsius, manentibus dumtaxat speciebus.** *De fide est, ex Trident.* "Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime *Transsubstantiationem* appellat, A. S." [3].

[1] Ap. *Acta S. Sedis*, vol. XI, p. 607. — [2] Ibid. vol. XX, p. 406.
[3] Doctor Anglicanus *Pusey*, licet existentiam realis præsentiæ propu-

37. 1° *Scriptura* solidum præbet argumentum, quamvis a nonnullis theologis ut apodicticum non habeatur, nisi Traditione firmetur. (A) *Directe.* Verba quæ Christus protulit in institutione Eucharistiæ: "*Hoc est corpus meum*", sensu *proprio* intellecta, affirmant esse identitatem saltem substantialem inter subjectum *hoc* et attributum *corpus;* secus enim vera non essent [1]; atqui talis identitas existere non potest nisi adfuerit conversio substantiæ panis in substantiam corporis Christi; nam, quando, initio propositionis, Jesus dixit: "*hoc est*", panis, quem tenebat in manibus suis, certo non erat identicus corpori suo; e contra quando ultima verba prolata sunt, id quod tenebat in manibus suis erat proprium corpus; ergo inter priora et ultima verba conversio substantialis panis in corpus suum occurrerat: nec mirum, quum ejus verba vim habeant producendi quidquid significant. Aliunde ex contextu apparet panis colorem, gustum, dimensionem, etc. permansisse; ergo facta fuit conversio substantialis, manentibus speciebus panis, seu vera transsubstantiatio.

(B) *Indirecte:* (a) Verba supra allata excludunt *consubstantiationem*, nam Christus non dixit *hic* (here), vel *in hoc* est corpus meum, prout loqui debuisset, si consubstantiationem docere voluisset; sed dixit: *hoc*, quod teneo in manibus meis, est corpus meum; atqui hæc verba falsa essent si panis substantia remaneret; in illâ enim hypothesi "*hoc*"

gnet, affirmare non dubitat transsubstantiationis doctrinam usque ad sæc. XV opinionem liberam fuisse, et ad hoc probandum, appellat tum ad hæreticos tum ad catholicos auctores (op. cit. 1-31). Hæreticos hoc tenuisse non est mirum; catholici autem ab eo citati, præsertim S. Thomas et Scotus, contrarium prorsus docent. Prior declarat positionem docentium, post consecrationem, remanere substantiam panis et vini esse *hæreticam* (3. q. 75. a. 2), posterior dicit dogma transsubstantiationis tenendum esse de *substantiâ fidei* (4 dist. 11. 9. 13, n. 15). Argumenta Doctoris Anglicani fuse solideque a Card. *Franzelin* confutantur, th. XIV.

[1] Quidam dixerunt his verbis solummodo significari "hoc *continet* corpus meum", sicut, quando quis crumenam exhibet, dicere potest: hoc est aurum. Sed comparatio non valet; hic enim dicendi modus legitimus est solummodo quando res exhibita ex se, vel usu recepto, noscitur esse alterius rei receptaculum.

designaret panem, ac proinde Christus dixisset: " Hic panis est corpus meum "; porro falsum est panem, dum panis manet, esse corpus Domini; ergo.

(b) Eadem verba *impanationem* excludunt; nam important realem identitatem inter subjectum propositionis " *hoc* " et attributum " *corpus* "; atqui, etiamsi admitteretur impanatio, seu unio hypostatica inter panem et corpus Christi, talis identitas non verificaretur; nam in unione hypostaticâ, naturæ unitæ omnino distinctæ remanent, nec potest dici v. g. in Christo divinam naturam idem esse ac naturam humanam, licet ei fuerit hypostatice unita; ergo, datâ impanatione, panis et corpus Christi distinctæ substantiæ remanerent, nec una dici posset altera.

Objiciunt quidem Protestantes verba, " hoc est corpus meum ", parallela esse aliis, " Verbum caro factum est ", proindeque impanationem significare. Sed negatur parallelismus; nam Verbum, utpote immutabile, in humanam carnem converti nequit, dum panis poterat in corpus Christi converti; insuper, ut impanatio admitti posset, Jesus dicere debuisset: " hoc est *ego*, vel hoc est *Christus* ", non autem: " hoc est *corpus* meum "; nam corpus non est hypostasis, seu persona, nec proinde hypostatice pani uniri potest. Sed quid plura, quum ipsi Lutherani jam suo systemati valedixerint?

38. 2° *Trad.* (A) ex *Patribus*, qui docent (a) panem et vinum fieri corpus et sanguinem Christi: " Non enim homo est qui facit ut proposita *efficiantur corpus et sanguis Christi*, sed ipse Christus "[1]; (b) panem in corpus Christi transmutari: " Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari "[2]; (c) post consecrationem non remanere panem et vinum, sed adesse corpus et sanguinem Domini[3]; (d) hanc conversionem similem esse conversioni cibi in corpus nostrum, vel aquæ in vinum in nuptiis Canæ, vel seminis in triticum[4]. Hinc *Leibnitzius* ait[5]: " Sed pia antiquitas aperte satis declaravit panem mutari in corpus Christi, vinum in sanguinem: passimque hic veteres agnoscunt μεταστοιχειωσιν quam latini transsubstantiationem recte verterunt ".

---

[1] Ita *S. Chrysost.* homil. I de prodit. Judæ, n. 6.

[2] *S. Greg. Nyss.* or. catech. c. 37. — [3] *S. Ambros.* de Myster. c. 9, n. 54. — [4] *S. Cyrillus Hieros.* Catech. myst. n. 4. — [5] Systema theol. p. 224 ed. Emery.

(B) Ex *liturgiis*, in quibus sæpe dicitur panem *fieri*, *transmutari*, *transelementari*, *transire* in corpus Christi; sic v. g. in liturgiâ *Alexand.* legitur: "Ipse igitur, Domine, tuâ voce hæc proposita transmuta... in ipsum corpus et sanguinem nostræ liberationis"; in *lit. S. Basilii:* "Transfer eos, ita ut panis quidem fiat corpus, et hoc mixtum in calice sanguis tuus pretiosus". Nec dicatur vocabulum *transsubstantiationem* esse novum; vox siquidem nova est, quum *Hildebertus Turon.* († 1134) primus sit forsan qui eâ usus fuerit, sed doctrina ipsa est antiqua; nec mirum est novum vocabulum usurpatum fuisse, quum vocabula *Trinitas*, *Incarnatio* etc. nonnisi post aliquot sæcula inventa fuerint, ad clarius breviusque exprimendam doctrinam jam antea creditam.

Quæstiones scholasticæ de Transsubstantiatione.

Ad investigandam penitus notionem Transsubstantiationis, theologi plurimas quæstiones proponunt, quas breviter solvere intendimus.

39. 1° Quærunt imprimis *utrum desitio panis et vini*, quæ locum habet in consecratione, *vocari possit annihilatio.*

(a) *Scotistæ* affirmative respondent; illud enim annihilatur, inquiunt, cujus nihil omnino remanet; atqui nihil substantiæ panis et vini post consecrationem manet; ergo.

(b) *Thomistæ* vero et plerique alii theologi negant; nam annihilatio sistit simpliciter in non esse, dum substantia panis et vini in Eucharistiâ non tendit ad purum nihil, sed convertitur in corpus et sanguinem Christi; ergo non est annihilatio proprie dicta. Non valet igitur Scotistarum argumentum, quia, licet nihil panis remaneat, substantia non abit in nihil simpliciter, sed transit in corpus Christi [1].

40. 2° Quæritur insuper *quænam sit natura actionis, quâ Christus fit præsens in Eucharistiâ.*

(a) *Scotistæ* putant illam actionem esse tantum *adductivam*, quatenus Christum veluti adducit sub speciebus eucharisticis, ut ibi novam localem præsentiam acquirat [2].

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 75, a. 3; *Suarez*, disp. 50, sect. 7, a. 2; *Lugo*, disp. VII, sect. 12.

[2] *Bellarminus*, qui hanc opinionem suam facit, eam sic declarat

(b) Alii, cum *de Lugo*, tenent illam actionem esse *constitutivam* corporis Christi sub speciebus [1], vel, ut aliis placet *unitivam*, quatenus corpus Christi unitur speciebus panis et vini, non quidem hypostatice, sed sub eis delitescendo.

(c) *Suarez*, *Lessius* et *Thomistæ* non pauci [2] tenent illam actionem esse *reproductivam*, in eo sensu quod Christus per consecrationem non producitur quidem simpliciter, quum jam existat, sed acquirit novum essendi modum, ac proinde reproducitur. Ex dictis enim transsubstantiatio est conversio substantialis ; atqui conversio substantialis supponit productionem aut reproductionem alicujus substantiæ, ita ut novo saltem modo existat ; ergo non sufficit actio adductiva, aut unitiva, sed requiritur actio reproductiva. Aliunde tum ex Liturgiis, tum ex Patribus colligitur corpus Christi in Eucharistiâ *fieri*, *effici*, *produci*, *confici*, *creari* et *recreari;* quæ quidem omnia de actione productivâ seu reproductivâ melius intelliguntur. Insuper actionem consecrationis comparant sive creationi, sive mutationibus, in quibus aliquid realiter producitur ; ergo hujusmodi actio est vere productiva.

(d) *Billot* [3] autem, qui pro suâ sententiâ veteres scholasticos allegat, præsertim *S. Thomam* ac *S. Bonaventuram*, docet transsubstantiationem non esse unius substantiæ de-

(l. III, c. 13) : " Colligimus conversionem panis in corpus Domini non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam. Nam corpus Domini præexistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis : conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis. Porro adductivam vocamus istam conversionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cœlo adducatur ; sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in cœlo, jam etiam sit sub speciebus panis "...

[1] " Melius ergo dicitur actio *constitutiva* corporis Christi sub speciebus, connotando etiam desitionem substantialem panis; nec enim unitio secundum se, nec desitio secundum se, est adæquate conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utrâque mutatione, ex desitione et unitione ". (*Lugo*, disp. VII, n. 89.) Infra autem explicat unionem illam consistere in eo quod corpus Christi sustentat accidentia panis et vini (n. 91).

[2] *Suarez*, disp. 50, s. 4 ; *Lessius*, De perfect. divinis, l. XII, n. 119 ; *Billuart*, diss. I, a. 7.

[3] De Sacramentis, q. 75, p. 314 ed. 1896.

structionem et alterius subrogationem per adductionis vel productionis viam, sed esse simplicem actionem quâ Deus immediate quidquid entitatis est in substantiâ panis mutat in id quod est entitatis in substantiâ corporis Christi, ita tamen ut corpus Christi nullomodo mutetur, sed tota mutatio fiat in pane, cujus substantia transit dum remanent dimensiones. Juxta hanc expositionem, Christus in consecratione nil patitur, nil recipit, sed fit præsens ubi antea non erat, non quidem localiter, sed sacramentaliter, ex hoc solo quod, vi conversionis, jam continetur realiter sub dimensionibus panis, sub quibus substantia panis antea continebatur. Hanc expositionem ut probabiliorem existimamus, quia conformior esse videtur notioni a *Tridentino* traditæ; multi quidem difficultate hujus conceptus deterrentur, sed in omni expositione mysterium retineri debet; nec impossibile videtur ut qui est auctor totius entis, possit mutare in substantiam corporis Christi quidquid entitatis est in substantiâ panis.

41. 3° Post consecrationem remanent *species panis et vini*, sc. quantitas, figura, color, sapor etc., ut declarat *Trident.*, et testantur sensus nostri; quæstio autem est *utrum illæ species habeant objectivam realitatem, aut sint meræ apparentiæ.* Tria sunt hâc de re systemata.

(A) Juxta *Cartesianos* et *atomistas*, species eucharisticæ sunt meræ apparentiæ, seu phænomena quæ Deus producit in sensibus nostris, ita ut ipsi eodem modo afficiantur ac si adhuc existeret panis et vini substantia; vel quæ producit in corporibus circumstantibus agendo, ita ut extensio, pondus, color, sapor et alia habeantur, quæ a pane et vino produci solent. Ratio est quia, juxta ipsos, omnia accidentia nihil aliud sunt nisi modificationes substantiæ, seu ipsa substantia modificata, proindeque non possunt, etiam virtute divinâ, a substantiâ separari, sed evanescunt statim ac ipsa substantia esse desinit[1].

Recentes *atomistæ* suum systema sic declarant: remotâ panis substantiâ, vis resistendi, quæ pani inerat, divinâ virtute servatur in loco ubi erat panis, intra eosdem limites, eodem modo atque ordine sese exercens, quo a panis atomis exercebatur. Ex hoc sequitur manere extensionem, figuram, cohæsionem, ceteraque accidentia;

[1] Systema hujusmodi expositum habes apud *P. Emmanuel Maignan*, Philosophia sacra, t. I, c. 22; *Gerdil*, Institutiones Logicæ, Metaphysicæ etc.; *Simonnet*, de Euchar.

undæ luminosæ ac sonoræ in illâ superficie eodem modo modificabuntur ac prius in superficie panis; tactus, visus, auditus aliique sensus in eâ extensione reperient eadem quæ antea reperiebant, neque hanc substantiæ apparentiam a verâ substantiâ intellectus naturaliter discernet. Imo non solum humani sensus, sed æther, et aer corporaque cetera eodem modo ab his apparentiis modificabuntur ac prius ab ipsâ substantiâ panis. Juxta hanc igitur sententiam, accidentia panis et vini manent non secundum entitatem quam prius in substantiâ habebant, sed *secundum entitatem effectuum*, suntque identica accidentibus, quæ prius erant in pane, non identitate numericâ et absolutâ, sed identitate *relativâ et sensibili*[1].

42. (B) Juxta *Thomistas* et plerosque theologos omnium scholarum[2], species eucharisticæ objectivam realitatem habent, sunt siquidem *accidentia absoluta, sine subjecto subsistentia.* Tenent siquidem realem esse differentiam inter *substantiam* et *accidentia:* substantia est id cui competit esse in se; accidens autem est id cui competit esse in alio tanquam in subjecto. Jamvero inter accidentia, alia sunt *absoluta*, quæ sc. immediate substantiam afficiunt et ei novam entitatem superaddunt, ut quantitas et qualitas; alia *modalia*, quæ novam entitatem substantiæ non addunt sed solum ejus modum se habendi determinant, ut magnitudo quantitatis, intensitas qualitatis, tarditas et celeritas motûs etc. Porro accidentia modalia non possunt quidem existere absque subjecto cui inhæreant, sed accidentia absoluta habent entitatem realiter distinctam a substantiâ cui insunt, et possunt, per miraculum divinæ potentiæ, ab eâ separari; sic panis et vini quantitas a substantiâ realiter distinguitur nec necessario annihilatur, quando substantia in corpus Christi convertitur. Quum vero illa accidentia naturaliter non possint sine subjecto subsistere, nec aliunde substantiæ corporis Christi inesse sicut in subjecto, quia substantia humani corporis non potest his accidentibus vestiri, Deus ipse illa accidentia *in seipsis* sustentat: siquidem, ante consecrationem, jam ea sustentabat mediante

[1] Ita *Tongiorgi*, Institut. philosoph., Bruxellis, 1869, vol. II, Cosmolog., n. 237-239.

[2] *S. Thomas*, 3 p. q. 77, a. 1-2; *Suarez*, disp. 56; *Lugo*, disp. 10; *Billuart*, diss. I, a. 6, § 2; *Franzelin*, th. 16; *de Augustinis*, p. I, a. 6; *N. Martin*, de SS. Euch. sacramento, 1882, p. 51 sq.; *Billot*, q. 76.

substantiâ ; post consecrationem eadem in seipsis directe sustentat ; potest enim *per seipsum* efficere quidquid causæ secundæ peragere valent. Neque tamen necesse est omnia accidentia in seipsis immediate sustentari ; sola quantitas dimensiva miraculose in seipsâ subsistit, cætera vero accidentia in eâ, tanquam in vice-substantiâ subjectantur. Quod sic concipi potest : ponatur *quantitatem dimensivam* panis (vel, ut aliis placet, *molem* seu *potentiam resistendi simul et agendi*) subtracto subjecto, accipere a Deo extraordinariam *facultatem in se subsistendi :* omnia alia accidentia, color, gustus, et etiam odor quantitati vel moli inhærebunt. Etenim in quantitate dimensivâ, duo consideranda sunt : unum scilicet, quo naturaliter indiget subjecto substantiali ad existendum et operandum ; alterum autem, quo naturaliter est subjectum immediatum aliorum accidentium sensibilium ; siquidem color, gustus, odor aliaque hujusmodi substantiæ adhærent mediante quantitate dimensivâ, quæ directe substantiæ inhæret. Verba autem consecrationis, quibus destruitur prior ordo naturalis, ita ut sine subjecto substantiali quantitas dimensiva existat et operetur, nullo modo destruunt alterum ordinem naturalem ; manent enim accidentia, et ideo cum ipsis manet eorum naturalis ordo ad invicem : unde manifestum est quod quantitas dimensiva, post consecrationem, est subjectum aliorum accidentium, sicut erat ante consecrationem. (*S. Thom.* 3 p. q. 77, a. 2.)

43. Hæc sententia tenenda videtur : est enim magis consentanea : (a) *verbis consecrationis*, scilicet : *Hoc est corpus meum.* Nam, ut ait *Angelicus* (in Summâ cont. gent. lib. 4, cap. 63), necesse est aliquid remanere in hoc sacramento, ut verum sit quod dicitur : *Hoc est corpus meum ;* quæ verba sunt hujus conversionis significativa et factiva. Et quia substantia panis non manet, ut ostensum est, necesse est dicere quod maneat id quod est præter substantiam panis. Hujusmodi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia panis etiam post conversionem prædictam. Aliunde non manet substantia panis. Ergo manent sine suo subjecto.

(b) Auctoritati *Patrum* qui species panis et vini, etiam post consecrationem, vocant *rem terrenam, rem sensibilem, sensi-*

bilem naturam, *permanentem* non desinentem *proprietatem naturæ* panis et vini [1]; et insuper, contra Monophysitas arguentes ex realitate quantitatis et qualitatum panis et vini, etiam consecratione factâ, realitatem humanæ naturæ Christi post unionem hypostaticam inferunt et declarant [2]; quæ quidem omnia manifeste objectivam accidentium realitatem supponunt.

(c) Auctoritati *Ecclesiæ*, quæ in conc. Constantiensi duos articulos Wicleffi damnavit: "Substantia panis materialis et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris; accidentia panis non manent sine subjecto in eodem sacramento"; contradictoria igitur vera est, sc. accidentia panis manent sine subjecto [3]. Huic accedit auctoritas *Tridentini:* "manentibus duntaxat *speciebus* panis et vini"; tunc enim temporis vox *species* unum significabat, quando substantiæ opponebatur, *sc. accidentia sensibilia* per oppositionem ad species *mere intentionales.* Quod aliunde diserte exponitur a *Catechismo Conc. Trident.* (de Euchar. n. 44): "Tertium restat quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur, quod quidem jam duobus aliis explicatis, facilius a pastoribus tractari posse existimandum est, panis videlicet et vini *species* in hoc sacramento sine aliquâ re subjectâ constare: nam cum antea demonstratum sit corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita

[1] Ita v. g. *S. Chrysostomus* (hom. 82 in Matt.) ait: "Cum ergo sermo dicat: hoc est corpus meum, obtemperemus et credamus et spiritualibus oculis ipsum respiciamus. Nihil enim sensibus percipiendum Christus nobis tradidit, sed in *rebus quidem sensibilibus*, omnia vero intelligibilia".

[2] *Theodoretus* (Dialog. 2) contra Monophysitas sic arguit: "Captus es retibus, quæ ipse texuisti. Neque enim post sanctificationem mystica symbola recedunt a suâ naturâ; manent enim in priori essentiæ et figurâ et formâ aspectabili, et visibilia sunt et tangibilia, qualia erant prius".

[3] Nonnulli dicunt illis verbis statui in Eucharistiâ panis accidentia manere sine subjecto, i. e. sine substantiâ panis, sed exinde non sequi quod ipsa se sustentent. Sed error Wicleffi fuit duplex, ut ex ejus scriptis constat, sc. substantiam panis in sacramento remanere, et accidentia panis remanere non posse sine subjecto; uterque error damnatus fuit, proindeque contradictoriæ, utrique oppositæ, tanquam veræ habendæ sunt.

ut nulla amplius subsit panis et vini substantia, quoniam *ea accidentia* Christi corpori et sanguini inhærere non possunt, relinquitur ut supra omnem naturæ ordinem, ipsa se nullâ aliâ re nisa, sustentent: *hæc perpetua et constans fuit catholicæ ecclesiæ doctrina*".

(d) *Rationi;* nam in Eucharistiâ inveniri debet signum sensibile, corpus Christi aliquo modo continens et manifestans; atqui si species nullam objectivam realitatem habent, sed sunt mere modificationes in sensibus nostris productæ, jam cessant esse signum sensibile, corpus Christi continens et gratiam sacramentalem significans. Si autem dicatur illas modificationes a Deo produci etiam in corporibus circumstantibus, hujusmodi phænomena non possunt vocari species panis et vini, quum ab eis prorsus differant, nec ullomodo continent corpus Christi, quum non existant nisi ubi producuntur, videlicet in corporibus adjacentibus et in oculis nostris. Ergo non videtur quomodo Cartesianum systema cum doctrinâ catholicâ conciliari possit.

Systema recentium *atomistarum* salvat quidem objectivam specierum realitatem, et ex hoc capite cum fide consonat; eo tamen admisso, non remanet aliquid panis et vini, sed solum vis resistendi, quæ vere differt ab accidentibus panis et vini; quod non facile conciliatur cum dictis Patrum ac theologorum docentium aliquid panis ac vini remanere; unde minus probabile est.

44. (C) *Dynamistæ*, qui, post *Leibnitzium* ac *Kantium*, admittunt corpora constare elementis non extensis sed simplicibus, seu viribus inextensis, rem sic explicare conantur: in quolibet corpore vel atomo duo distingui possunt: *nucleus* quidam virium, qui substantia vocari potest, et vires seu principia proxima, quibus producuntur *phænomena* extensionis, coloris, saporis etc., quæque velut *accidentia* spectari possunt. Jamvero transsubstantiatione *nucleus*, seu substantia panis et vini desinit esse et in ejus locum cedit substantia corporis et sanguinis Christi; principia autem, seu vires, quibus causantur *phænomena* extensionis, coloris etc., actione divinâ miraculose permanent: quis enim negabit Deum hujusmodi phænomena, absque panis et vini substantiâ producere posse?[1] Rem modo tantisper diverso exponit *Palmieri*[2]: "Supponimus enim substantiam propriam corporis panis et vini non esse nisi materiam ponde-

[1] Cfr. *Dalgairns*, op. cit. p. 66.

[2] Institut. philosoph., vol. II, Romæ, 1875, Cosmol. th. 26, p. 183.

rabilem, sicut et cujuscumque corporis naturalis: scimus autem atomos corporum immersas veluti esse intra materiam imponderabilem quæ sinus omnes corporis pervadit, quæque cohærentes tenet partes seu atomos corporis. Fac igitur desinere omnem substantiam panis et vini, Deumque efficere ut materia imponderabilis, quæ illis commixta erat, sensibiliter resistat in eodem spatio quemadmodum prius resistebat corpus: habebis eadem phænomena, et quidem objectiva, h. e. a causâ existente *a parte rei* determinata, quæ prius habebas". Hoc systema fidei non adversatur, specierum objectivam realitatem servat, et sat feliciter ostendit quomodo maneat aliquid panis. Attamen non videtur tam facile conciliari cum Tridentinâ definitione quam systema scholasticum; nam, in hoc systemate, præter accidentia, remanet aliqua substantia, scil. materia imponderabilis, nec proinde tam perfecte verificantur verba "manentibus *duntaxat* speciebus".

Cæteroquin fatemur, cum *Pesch*, (n. 714) "hanc quæstionem, *quomodo* species sint, esse mere speculativam et philosophicam, in quâ possit unusquisque abundare in suo sensu, dummodo objectivam realitatem specierum ita statuat, ut doctrinæ traditionis satis fiat".

II. De modo quo Christus existit sub speciebus eucharisticis[1].

Ad explicandum modum quo Christus existit in Eucharistiâ, tres quæstiones solvendæ sunt: 1° utrum sit totus sub quâlibet specie; 2° quomodo existat; 3° quænam consectaria e catholico dogmate fluant?

45. 1° *Thesis*: **Christus est totus sub qualibet specie, et sub singulis cujusque speciei partibus post separationem factam, imo ante separationem.** *Duæ priores assertiones de fide sunt, tertia autem theologice certa;* ait enim *Trid.* (sess. XIII, can. 3): "Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub *unaquâque specie*, et sub *singulis cujusque speciei partibus*, separatione factâ, totum Christum contineri: A. S."

46. (A) Prima pars, sc. *Christus est totus sub quâlibet specie probatur*

(a) *Script.* "Quicumque manducaverit panem hunc, *vel* biberit calicem Domini indigne, reus erit *corporis et sanguinis*

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 76; *Suarez*, disp. 51-53; *Lugo*, disp. VIII-IX; *Billuart*, diss. IV, a. 2; *Franzelin*, th. XI; *de Augustinis*, th. VI; *Billot*, q. 76, p. 403 sq.; *Dalgairns*, op. cit. p. 115 sq.

Domini"[1]. Ex verbis S. Pauli, qui manducat panem eucharisticum, seu sumit *unicam* speciem, est reus non solum corporis sed etiam sanguinis Domini; atqui hoc fieri nequit nisi tum corpus, tum sanguis inveniantur sub eâdem specie; ubi autem inveniuntur corpus et sanguis Christi, ibi sunt pariter ejus anima et divinitas, ex infra dicendis; ergo. Confirmatur ipsis Domini verbis[2]: "Qui manducat *me*, et ipse vivet propter me"; vox enim *me* totam Christi personam designat.

(b) *Rat. Theol.* Ex S. Paulo[3], "Christus resurgens ex mortuis jam non moritur"; atqui, ut non moriatur, requiritur ut ejus sanguis remaneat corpori unitus, et anima utrique; ergo in Eucharistiâ, sub quâlibet specie, corpus, sanguis et anima inveniuntur.

47. (B) Secunda pars: *Christus est præsens sub singulis partibus, saltem sensibilibus, cujusque hostiæ, separatione factâ.* Dicitur "*sensibilibus*", quia si agatur de illis partibus quæ jam a sensibus nullomodo percipi possunt, res controvertitur, præcise quia sacramentum debet esse signum sensibile.

(a) *Script.* In ultimâ cœnâ Apostoli de eodem calice biberunt juxta illud: "Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes"[4]; atqui certum est singulos Apostolos totum Christum accepisse, non potest enim ejus corpus in frusta dividi; ergo erat totus sub quâlibet parte speciei vini.

(b) *Rat. Theol.* Ex dictis, substantia corporis et sanguinis Christi succedit substantiæ panis et vini, ideoque præsens est sub speciebus eo modo quo substantia panis præsens erat sub accidentibus; atqui substantia panis et vini tota invenitur in quâlibet parte; ergo idem dicendum de corpore et sanguine Domini. Revera per fractionem specierum, partes separatæ consecrationem non amittunt; nec aliunde humanitas Christi in partes discerpitur. Quod comparatione illustratur; si speculum in plura frusta confringatur,

[1] *I Cor.* XI, 27. In antiquâ Protestanticâ versione, *vel* in *et* transmutatum fuerat, sed in recenti Oxoniensi revisione, correctores, veritatis evidentiâ victi, particulam *vel* restituerunt.

[2] *Joa.* VI, 58. — [3] *Rom.* VI, 9. — [4] *Marc.* XIV, 23.

imago in eo antea repræsentata jam in singulis partibus apparet; ita, quando species franguntur, Christus in singulis partibus invenitur, quin tamen ejus corpus dividatur.

48. (C) Tertia pars: *Christus est præsens sub singulis partibus cujusque hostiæ, etiam ante separationem.* Certum est.

(a) *Tridentinum* enim, sine restrictione, asserit totum et integrum Christum sub panis specie, totum et integrum sub vini specie et ejus partibus existere, (infra, n. 49); ergo illam præsentiam non solum post separationem, sed etiam ante separationem admittere debemus.

(b) Ex dictis, substantia corporis et sanguinis Christi succedit substantiæ panis et vini; atqui hujusmodi substantia tota erat sub quâlibet parte, etiam ante divisionem, sicut sub quâlibet parte aeris est tota natura aeris; ergo. Præterea repugnat ut laici et mulieres corpus Domini producant in parte hostiæ in quâ non erat antea; atqui res ita se haberet, si Christus non præsens esset sub quâlibet parte, etiam ante separationem; nam, frangendo hostiam, possent multiplicare ejus corpus illudque ponere sub singulis cujuslibet hostiæ partibus; ergo.

2° Quomodo Christus sub speciebus eucharisticis existit?

49. Doctrina catholica his verbis *Tridentini* continetur: "Semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem *verum Domini* nostri *corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie* una cum ipsius *animâ et divinitate existere;* sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie et vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et animâ hypostaticam unionem. Quapropter verissimum est, *tantumdem* sub *alterutrâ specie* atque sub *utrâque contineri: totus* enim et *integer* Christus, sub *panis specie*, et sub *quavis* ipsius speciei *parte; totus* item sub *vini speciei*, et sub *ejus partibus* existit". (Sess. XIII, Cap. 3).

(a) Proinde, *vi verborum* corpus Christi est directe sub specie panis, et sanguis ejus sub specie vini ; illud enim est præsens vi verborum quod ipsa verba directe exprimunt ; atqui verba consecrationis indicant directe corpus Domini præsens esse sub specie panis, et sanguinem ejus sub specie vini ; ergo.
(b) *Vi naturalis concomitantiæ*, sub unicâ specie invenitur non solum corpus, sed et sanguis, imo et anima Christi ; nam Jesus, post resurrectionem suam, non amplius moritur, nec proinde potest ipsius anima a carne et sanguine dividi.
(c) *Vi supernaturalis concomitantiæ*, seu vi *unionis hypostaticæ*, divinitas Christi, ac proinde secunda persona Trinitatis invenitur in quâlibet specie, quia persona Verbi semper hypostatice remanet unita humanitati assumptæ.
(d) Tandem vi *circumincessionis*, tres divinæ personæ, quæ modo speciali in humanitate Christi habitant, ut dictum est de *Verbo Incarn.* (n. 115) eodem speciali modo in SS. Sacramento esse merito dicuntur.

3° Corollaria philosophico-theologica.

50. (A) Quoad *Corpus Christi.*

Corpus Christi in cœlo præsens est *localiter* et *circumscriptive*, cum quantitate suâ dimensivâ et omnibus accidentibus suis, modo tamen glorioso quem penitus scrutari nequimus. Sed quæstio est quomodo sub speciebus eucharisticis existat, utrum videlicet cum accidentibus suis, utrum localiter et quomodo? Jamvero omnes Scholastici tenent *vi verborum* aut *vi sacramenti* solam substantiam corporis Christi esse sub speciebus eucharisticis ; nam conversio quæ fit vi consecrationis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus. Omnes pariter docent *vi naturalis concomitantiæ* quantitatem dimensivam corporis Christi, cum ceteris accidentibus, esse in Eucharistiâ : hæc enim omnia a substantiâ corporis Christi realiter non dividuntur. Duo sunt autem præcipua systemata ad rem philosophice declarandam.
(a) Juxta *Suarez*, *Lessium* aliosque modernos scholasticos [1], *corpus Christi in Eucharistiâ existit cum quantitate suâ*

[1] *Suarez*, de Euchar. disp. 48 ; *Lessius*, de perf. divinis, l. XII, c. 16; *Franzelin*, th. XI.

internâ, seu aptitudinali, sed non cum quantitate seu extensione actuali et externâ.

Siquidem quantitas *interna* consistit in divisibilitate et distributione partium, ita ut una pars ab alterâ distinguatur; et hæc quantitas existit in corpore Christi sub speciebus eucharisticis contento non quidem *vi verborum*, sed per *concomitantiam;* nam tale corpus est corpus organizatum, cujus membra sunt ab invicem distincta et in proprio ordine, ita ut v. g. caput connectatur collo, collum autem pectori. Quantitas autem *externa*, consistit in distributione partium in loco ita ut singulæ partes respondeant singulis loci partibus; hæc quantitas non existit in corpore Christi quale invenitur in Eucharistiâ; ex dictis enim ejus corpus est totum sub singulis partibus cujusque speciei; atqui corpus *actualiter extensum* non potest existere totum in diversis partibus, sed diffunditur per spatium, ita ut partes ejus variis spatii partibus respondeant; ergo remanet ut corpus Christi non sit actualiter extensum sub speciebus eucharisticis. Nec dicatur hoc esse impossibile; nam quidquid ad rei essentiam non pertinet, ab eâ, Deo sic volente, separari potest; atqui *actualis extensio* ad corporis essentiam non pertinet[1], sed est tantum una ex ejus naturalibus proprietatibus; potest enim corpus concipi cum solâ quantitate internâ, quâ sufficienter a spiritibus distinguitur; externa igitur extensio potest a corpore separari, sicut revera in

[1] Corpora non esse necessario *locali extensione* prædita admittunt non solum Scholastici omnes, sed etiam *Dynamistæ*, post Leibnitzium et Kantium, qui tenent corpora inextensis viribus constare, imo multi moderni philosophi et physici, quorum testimonia videre est apud *Dalgairns*, op. cit. p. 36 sq., 418 sq. Contradicunt quidem *Cartesiani* et *Atomistæ* nonnulli, juxta quos corpus est essentialiter extensum; unde, juxta ipsos, corpus Christi, non quale existit in cœlo, sed ad punctum microscopicum reductum, licet extensum, replicatur, ut ipsi dicunt, sub singulis specierum moleculis. Quomodo autem corpus humanum, localiter extensum, cum omnibus suis organis, in quantumvis minimâ hostiæ parte, sine ullâ alteratione, contineatur, vix concipi potest. Hoc tamen absolute impossibile dicere non audeo, quum, teste hodiernâ scientiâ, organismi valde perfecti in spatio exiguo collocentur, et corpora ingentia distincte in uno oculi retinæ puncto expressa contineantur.

fornace, in quam tres pueri projecti sunt, comburendi vis ab ipso igne potuit separari.

Ex quo sequitur corpus Christi esse *localiter* sub speciebus eucharisticis, non quidem modo quo corpora actualiter extensa præsentia sunt, sed modo spiritualium substantiarum, quæ sunt diffusæ per totum spatium quod occupant.

(b) Rem aliter exponit *Angelicus Doctor*[1]. Juxta ipsum, substantia corporea non habet *ex seipsâ* partes extensionis, sed solum ex suâ quantitate, quæ ipsi superveniens, ipsi etiam communicat propriam extensionem; unde, si removeatur quantitas, substantia corporea omnino indivisibilis est, ideoque non habet situm in spatio, neque replet spatii vacuitatem, sed præsens est per modum *substantiæ simplicis*, quatenus tota est sub quâlibet parte spatii continentis. Quo posito, modus quo Christi corpus in Eucharistiâ sic declarari potest. Hujusmodi corpus, quod existit in cœlo cum quantitate suâ in proprio et commensurato loco, *vi verborum consecrationis* existere incipit sub speciebus eucharisticis, non quidem localiter, sed per modum *substantiæ*, quatenus succedit substantiæ panis, accidentibus remanentibus; unde, sicut substantia panis, ante consecrationem, tota præsens erat sub suis accidentibus et quâlibet accidentium parte, ita corpus Christi, *post* et *per* consecrationem, est totum sub quâlibet parte accidentium panis. Sed insuper, *vi naturalis concomitantiæ*, tota quantitas dimensiva corporis et sanguinis Christi, cum ceteris accidentibus, fit præsens sub speciebus eucharisticis; nam corpus Christi impassibile et glorificatum separari nequit ab his dimensionibus et accidentibus quæ ad ejus integritatem et ornamentum requiruntur. Attamen quantitas dimensiva corporis Christi non est in sacramento, sicut in loco, sed per modum *substantiæ*, quia non ponitur sub speciebus propter seipsam, sed propter substantiam corporis Christi, ad quam terminatur virtus consecrationis, ideoque præsens est non per modum quantitatis, sed per modum substantiæ; unde licet corpus Christi vere sit sub dimensionibus panis, ab

[1] *S. Thom.*, 3, q. 76; cfr. *Billot*, in q. 76; *Auriault*, l. c.

eis non limitatur, quum hæ sint inæquales dimensionibus corporis humani.

51. Quod ut melius declaretur, dicimus *corpus Christi in Eucharistiâ non circumscriptive, neque definitive præsens esse, sed sacramentaliter.*

Non circumscriptive : illud enim dicitur esse circumscriptive in loco, cujus quantitas ita commensuratur ad locum, ut partes ejus partibus loci correspondeant; atqui quantitas corporis Christi non est localiter extensa, nec proinde loco commensuratur ; ergo.

Nec definitive : id enim definitive in loco esse dicitur quod ita est in eo ut alibi simul non sit ; hoc autem de corpore Christi in Eucharistiâ prædicari nequit, quum sit in pluribus simul locis, videlicet in cœlo et in variis speciebus consecratis.

Sed sacramentaliter, i. e. modo hujus sacramenti proprio, qui nullum habet exemplum proprie dictum in naturâ, licet comparari possit sub aliquo respectu modo quo *substantiæ simplices* præsentes esse dicuntur. Siquidem substantia ita est præsens in loco ut sit tota in qualibet parte loci sub quo continetur, v. g. substantia ligni est tota in qualibet parte ligni, anima est tota in qualibet parte corporis ; jamvero corpus Christi, succedens substantiæ panis, et aliunde non habens extensionem localem, eodem modo præsens est sub accidentibus panis ac ipsa substantia, cui successit. Attamen accidentia eucharistica non inhærent corpori Christi tanquam subjecto, nec ipsi uniuntur unione substantiali ad efformandum totum physicum, sed solum tali unione quæ sufficit ad efformandum unum sacramentum; hinc illa præsentia vocatur *sacramentalis*, et in eo præsertim sita est quod accidentia continent corpus Christi, ita ut tamdiu maneat realis præsentia quamdiu permanent accidentia ipsa. (*S. Th.* 3 p. q. 76, a. 5.)

52. Ex hoc pariter sequitur *corpus Christi in Eucharistiâ non moveri localiter per se, sed solum per accidens, quatenus sc. localiter moventur species sacramentales.* Etenim, aliquid movetur localiter per se, quando prius occupabat locum, et postea ad alium locum movetur localiter. Sed corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, ut dictum

est, et ideo nec priorem, nec posteriorem locum occupat : unde non movetur localiter per se, seu ratione sui. Movetur autem localiter per accidens. Etenim aliquod movetur localiter per accidens, quando continetur in aliquo quod per se movetur localiter. Sed species eucharisticæ sub quibus continetur corpus Christi, per se moventur localiter. Ergo. (*S. Th.* 3 p. q. 76, a. 6.)

53. Corpus Christi in Eucharistiâ non potest agere aut pati actione corporeâ; actio enim, vel passio corporea extensionem localem supponit, quâ caret corpus Domini. Hinc nec videri potest naturaliter oculo corporeo, quum sit inextensum localiter, nec emittere possit species sensibiles, seu imaginem sui quâ videatur. Quando autem miraculose in hoc sacramento Christus apparet, communius tenetur hujusmodi apparitiones esse meras figuras sensibiles divinitus formatas, tum quia nunquam aut raro legitur Christum, post suam ascensionem, in terris apparuisse, tum quia idem corpus non potest esse circumscriptive in duobus locis simul, in cœlo et in terra [1]. (*S. Thom.*, 3 p. q. 76, a. 7-8.)

54. (**B**) Quoad *animam Christi.*

(**a**) *Anima Christi in Eucharistiâ elicere potest omnes actus immanentes seu interiores, qui a sensuum exercitio non pendent;* possidet igitur omnes thesauros beatificæ visionis et scientiæ infusæ descriptos in *Tr. de Verbo Incarnat.;* elicere potest et de facto elicit ferventissimos actus amoris Dei, caritatis erga proximum et ceterarum virtutum, de quibus dictum est in præfato *Tractatu.* Ratio est quia anima Christi tota et integra est in hoc sacramento, cum omnibus facultatibus et operationibus suis, saltem immanentibus.

(**b**) *Controvertitur tamen utrum Christus in Eucharistiâ possit exercere actus sensuum externorum.* Plerique theologi negant id fieri posse naturaliter, quia exercitium sensuum supponit contactum externorum agentium in organa sensuum;

[1] *Scotistæ* et *Dynamistæ* contendunt tamen non repugnare ut idem corpus sit circumscriptive in pluribus simul locis; quod sic explicat *Palmieri* (Cosmol. th. 10) : elementa inextensa, quibus constat corpus, naturaliter sunt simul in pluribus partibus *a*, *b*, *c*, loci alicujus exigui, proindeque divinitus fieri potest ut simul sint in partibus *d*, *e*, *f*, loci alicujus dissiti.

atqui talis contactus exigit extensionem realem quæ non existit in corpore Domini. Quidam autem theologi, præsertim moderni, ut Card. *Cienfuegos* et *Franzelin*[1], putant Christum posse, si non naturali, saltem *supernaturali* modo, exercere sensus suos, etiam in statu sacramentali, ita ut possit vere nos audire et videre : Deus enim potest supplere modo nobis ignoto influxum agentium externorum, et extendere vim activam sensuum Christi.

Quidquid sit, certum est ipsum cognoscere in illo statu non solum scientiâ divinâ, sed etiam scientiâ humanâ (per visionem beatificam et scientiam infusam) non solum omnes labores, angores, persecutiones et triumphos totius Ecclesiæ, sed etiam cogitationes et affectus singulorum fidelium : ita ut sine ullo dubio preces nostras, etiam internas, audire possit : quod sane ad augendam devotionem multum confert.

III. De permanenti præsentiâ Christi in Eucharistiâ[2].

Errores : Circa permanentem Christi præsentiam in Eucharistiâ erraverunt *Lutherani :* alii cum *Bucero* tenent eum esse præsentem solum "*in usu*", i. e. quando recipitur, non vero extra sumptionem ; alii cum *Chemnitio* volunt ipsum adesse "*in totâ actione cœnæ*", sc. a consecratione usque ad communionem, non autem quando in pyxide servatur.

55. *Thesis :* **Christus permanenter existit in Eucharistiâ, independenter ab usu, quamdiu panis et vini species remanent incorruptæ.** Quando autem species corrumpuntur, sc. quando talis mutatio occurrit, quæ sufficiens fuisset ad corruptionem panis et vini, eo ipso Christus desinit esse sub speciebus eucharisticis. Thesis de *fide est*, ex *Trident.* (Can. 4) : "Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu par-

[1] *Cienfuegos*, Vita abscondita, disp. II; *Franzelin*, th. 11; *Dalgairns*, op. cit. p. 129 sq.

[2] *Suarez*, disp. 46, sect. 8; *Bellarm.* l. IV, c. 2 sq.; *Rosset*, de SS. Euch. Sacram. n. 273 sq.; *de Augustinis*, th. 7.

ticulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini : A. S."

1° *Script.*, ex verbis institutionis, " Accipite et comedite : hoc est corpus meum ". Vera quidem illa verba fuerunt, statim ac prolata ; atqui prolata sunt ante usum, seu antequam Apostoli sacram communionem susciperent : ergo ante usum, et independenter ab usu, Christus præsens est in Eucharistiâ. Quod quidem argumentum contra Bucerum valet : Chemnitius autem Traditione confutatur.

2° *Traditione :* Ex *Ecclesiæ praxi :* (a) praxi *communionis domesticæ;* ex *Tertulliano* (de orat. n. 19) constat fideles, tempore persecutionis, Eucharistiam in proprias domos asportâsse, ut seipsos communicarent ; idem refertur a *S. Cypriano* (de lapsis, n. 26), qui addit fideles habuisse arcas in quibus eam recondebant ; imo interdum navigantes secum eam habebant, ne, adveniente naufragio, sine sacrâ communione e vitâ exirent, ut narrat *S. Ambrosius* [1].

(b) Ex praxi *asservandi Eucharistiam* in Ecclesiis, quæ constat ex canone *C. Nicæni* (can. 13-14), in quo præscribitur diaconos fidelibus sacram communionem porrigere, absente sacerdote ; ex usu habendi in Ecclesiis vas argenteum, vel aureum, sub formâ columbæ aut turris, in quo servabatur Eucharistia, etc. [2]

(c) Ex praxi *deferendi Eucharistiam* ad absentes et ægrotos, quæ refertur a *S. Justino* [3], et a *S. Dionysio Alexandrino* [4], et præsertim a Conc. *Nicæno* (can. 13) præcipiente ne presbyteri ægrotos sine viatico mori patiantur. Atqui hujusmodi facta omnino probant in primis Ecclesiæ sæculis creditum fuisse Christum existere in Eucharistiâ non solum ipso momento communionis, aut etiam a consecratione ad communionem, sed modo permanenti ; ergo.

---

[1] Lib. I de Excessu fratris sui Satyri, n. 43.

[2] Constit. apost. l. 8, c. 13. — Hinc *S. Chrysostomus* (Ep. ad Innocentium I, n. 3) scribit : " Locum, in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites ... et sanctissimus Christi sanguis effusus est ".

[3] Apol. I, 67.

[4] Ep. ad Calosyrium.

(d) Ex antiquissimâ disciplinâ celebrandi *missam præsanctificatorum*, in quâ nulla fit consecratio, sed sacerdos sumit hostiam præconsecratam et reservatam [1].

3° *Ratione conven.* Eucharistia instituta fuit per modum cibi spiritualis, juxta illud "accipite et *comedite*"; atqui cibus, etiamsi ad usum sit ordinatus, est quid permanens ex naturâ suâ; ergo pariter Eucharistia debet esse permanens, nec consistere in re transitoria, sicut cetera sacramenta.

IV. De cultu Eucharistiæ debito [2].

56. 1° *Errores:* (A) *Calvinistæ*, aliique Protestantes realem præsentiam Christi rejicientes, eo ipso cultum Eucharistiæ tribuendum esse negant, imo Catholicos tanquam idololatriæ reos accusant [3]. (B) Multi etiam *Lutherani*, licet realem præsentiam admittant, adorandam esse Eucharistiam denegant, ut quid contrarium institutioni Christi et praxi Apostolorum, aut etiam periculosum.

57. 2° *Thesis:* **Christus in Eucharistiâ cultu latriæ est adorandus.** Dicitur "Christus in Eucharistia", quia adoratio nostra non sistit in speciebus eucharisticis, sed terminatur ad ipsum Dominum; species non magis adorantur *in se* quam vestimenta, quibus Jesus induebatur, dum viveret super terram. Thesis *de fide* est, ex *Trident.* (can. 6); "Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras: A. S."

---

[1] Hujusmodi facta aliaque multa fusius exposita vide apud *Corblet*, Histoire du sacr. de l'Eucharistie, l. XII.

[2] *Rosset*, op. cit. n. 279 sq.; *Corblet*, op. cit. l. XVIII; *Billot*, p. 526.

[3] "Sicuti protestantes omnes profitentur doctrinam de transsubstantiatione esse falsam et Scripturæ adversari, ita unanimiter sentiunt consecratæ hostiæ adorationem idololatriam quamdam præ se ferre" (*Hodge*, op. cit. vol. III, p. 682.)

(A) *Script.* Juxta S. Paulum[1], ipsum nomen Christi est adorandum : "In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum". Ergo a fortiori adorandus est ipse Christus in Eucharistiâ latens.

(B) *Traditione.* (a) Ex *Patribus*, v. g. *S. Chrysostomo* dicente[2] : "Adora et communica" ; *S. Augustino :* "Nemo illam carnem manducet nisi prius adoraverit[3]" ; *S. Cyrillo Hierosol.*[4] : "Post communionem corporis Christi, accede et ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus *adorationis* in modum..."

(b) Ex *praxi* Ecclesiæ, quæ antiquitus præscripsit Christum adorandum esse in Eucharistiâ, ut constat ex Liturgiis, in quibus repetitur usus hostiam et calicem elevandi post consecrationem, et sacram hostiam adorandi ante communionem[5].

(C) *Rat. theol.* Christus, cum sit Deus et homo, est adorandus etiam cultu externo ubicumque invenitur, idque eo ferventius quo magis seipsum pro nobis humiliat. Atqui vere et realiter præsens est in Eucharistiâ, ex dictis antea, ibique suam majestatem abscondens se plus humiliat quam in passione juxta illud S. Thomæ : "In cruce latebat sola deitas, at hic latet simul et humanitas".

58. 3° *Corollaria :* (A) Pia et utilis est praxis ab Ecclesiâ instituta, *exponendi SS. Sacramentum.* Convenit siquidem, ut quibusdam saltem diebus, Christo latenti in Eucharistiâ publici solvantur honores, ut injuriæ eidem inflictæ reparentur, ac fideles propius accedant ad thronum gratiæ, ut novas benedictiones a Domino accipiant.

---

[1] *Philip.* II, 10.

[2] Homil. 3 in ep. ad Ephes.

[3] In Ps. 98, n. 9. — [4] Catech. mystag. 5, n. 21.

[5] "In Ecclesiâ Occidentali, maxime in Galliis, diebus præcipuis quibus universus populus ad sacram Synaxim accedere tenebatur, solemni ritu ad communionem invitabatur his verbis : Venite populi... manibus mundis pœnitentiæ munus communicemus, quoniam Agnus Dei propter nos Patri sacrificium propositum est : *ipsum solum adoremus...*" (*Martene*, de Antiq. Rit. I. I, c. 4, a. 10, n. 6.) Ritus *elevationis* non tam antiquus est quam ritus adorationis ; videtur introductus tempore Berengarii, in reparationem injuriæ huic Sacramento illatæ ; sed praxis Eucharistiam adorandi multo antiquior est.

(B) Pia et utilis est praxis frequenter *visitandi SS. Sacramentum.* Siquidem Christus perpetuo in Eucharistiâ remanet: (a) ut *Deus*, quem adorare debemus; (b) ut *benefactor*, a quo novas gratias accipere possumus; (c) ut *amicus*, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, et quem singulariter diligere debemus; (d) ut *exemplar* omnium virtutum, quas exercere debemus; jamvero propter hæc omnia frequenter visitandus est [1]. "Maxime tandem in votis habemus, ut fideles doceantur bona quamplurima ipsis obventura, si Dominum sub speciebus sacramentalibus inter nos hospitem sæpius invisant. Pastoris ergo munus erit, et verbis et exemplo ad hoc pientissimum officium suos incitare" ... (Conc. *Balt.* II, n. 269.)

(C) Optimo consilio instituta fuit *solemnitas corporis Christi*, ac processio solemnis quâ circumfertur SS. Sacramentum, in catholicis regionibus. Conveniebat enim ut specialis solemnitas institueretur, (a) ad gratitudinem nostram Redemptori pro tanto beneficio exprimendam; (b) ad repræsentandum Christi triumphum, confundendosque illius adversarios; (c) ac fidem fidelium magis ac magis excitandam [2].

Art. III. De concordiâ mysterii præsentiæ realis cum sanæ philosophiæ principiis.

I. Dogma catholicum supra expositum rectæ rationi non repugnat [3].

59. *Status quæstionis.* Hucusque exposuimus et probavimus doctrinam catholicam de præsentiâ reali Christi in Eucharistiâ. Sed Protestantes et Rationalistæ uno ore conclamant tale dogma esse absurdum et rationi omnino contrarium. Non diffitemur illud dogma esse mysterium, sed simul contendimus idem nullomodo adversari rectæ rationi; quod quidem ostendemus solvendo diffi-

[1] Cf. *S. Alphonsus Liguori*, Visite al Santissimo Sacramento, Introduct.; *Bourdaloue*, Essai d'Octave du St Sacrement; Retraite, 4e jour.

[2] Cf. *F. Faber*, The B. Sacrament, passim, præsertim 13-38, 129 sq., 311, 516, 555, 561; *Bourdaloue*, l. cit.

[3] *Bellarminus*, l. III, c. 1-10; *Billuart*, diss. I, a. 4, § 3; a. 6, § 2; *Drouin*, q. VI, c. 4; *de Augustinis*, p. I, a. 8.

cultates ab adversariis propositas. Istæ ex triplici præsertim capite desumuntur 1o ex *multipræsentiâ* corporis Christi; 2o ex *permanentiâ accidentium* panis et vini; 3o ex *connexione inter accidentia illa et corpus Christi.*

1o *Ex multipræsentiâ.*

60. (A) Prima igitur difficultas sic exponitur : Impossibile est ut idem corpus sit simul in pluribus locis; atqui positâ reali præsentiâ, corpus Christi esset simul in pluribus locis, sc. in cœlo, et super omnia altaria, in quibus panis et vinum consecrantur; ergo.

Resp. (a) Juxta modernos Scholasticos, sic respondetur ; *dist. majorem*, quando agitur de corpore *actualiter* extenso, *transeat;* quando agitur de corpore *aptitudinaliter* extenso, *nego;* corpus enim aptitudinaliter seu interne extensum non circumscribitur a spatio, proindeque potest esse simul in pluribus locis, sicut v. g. substantia animæ est præsens omnibus partibus corporis nostri, aut substantia auri est præsens omnibus particulis massæ aureæ. Dixi *transeat*, quia, juxta Scotistas et Dynamistas, minime repugnat corpus extensum in pluribus simul locis esse, ut supra exposuimus. *Contradistinguo minorem :* corpus Christi est quidem in cœlo cum extensione suâ actuali, sed in Eucharistiâ existit sine locali extensione, seu per modum substantiæ, ac proinde potest in pluribus locis simul existere. Nec potest dici extensionem actualem ad essentiam corporis pertinere; nam, juxta plerosque philosophos, non solum antiquos, ut Aristotelem et Platonem, non solum Scholasticos, sed etiam modernos, ut Leibnitzium, aliosque multos, essentia corporis in extensione locali non est reponenda, sed in pluralitate partium ab invicem distinctarum, et in facultate aliquid patiendi vel agendi : ac proinde corpus Christi potest per omnipotentiam Dei esse verum corpus organizatum, quin tamen sit localiter extensum.

(b) Ad mentem *S. Thomæ*, respondetur : Idem corpus non potest esse simul in pluribus locis præsentiâ *locali*, *concedo ;* non potest esse in uno loco præsentiâ locali, et alibi per *modum substantiæ*, *nego;* repugnat quidem corpus vere et proprie *multilocatum*, quia a seipso localiter distat et a seipso dividitur ; sed hæc contradictio evanescit, quando corpus est *localiter* in uno tantum loco, et alibi per *modum substantiæ :* tunc enim a seipso non distat, nec dividitur. Jamvero corpus Christi est *localiter* quidem in cœlo, non est autem in Eucharistiâ localiter, sed per modum substantiæ.

(c) Si neutra solutio placeat, alia proponi potest magis generalis. Ut valeret difficultas, duo penitus cognosci deberent, sc. status supernaturalis corporis Christi et intima materiæ natura ejusque cum spatio relatio ; atqui prius nonnisi imperfecte revelatione cognoscitur, posterius autem, post longas philosophorum investigationes, ignotum remanet, saltem plurimorum judicio ; ergo

demonstrari nequit corpus Christi sacramentale non posse pluribus simul in locis præsens esse[1]. Revera hodie multa ut possibilia agnoscuntur quæ, etiam initio hujus sæculi, tanquam absurda habebantur a doctis Academiis, v. g. hypnotismi phænomena aliaque hujusmodi; quis igitur dicere valet potentiam Dei tam limitatam esse ut non possit corpus Christi in pluribus simul locis præsens reddere?

61. (B) Secunda difficultas sic se habet : Non possunt contradictoria de eodem ente prædicari ; atqui si corpus Domini præsens esset simul in pluribus locis sub variis speciebus, contradictoria de eo dici possent, v. g. ipsum simul moveri et quiescere, moveri simul ad dexteram et ad sinistram, quum motum specierum sequatur.

Resp. Distinguo majorem: non possunt contradictoria de eodem prædicari *sub eodem respectu*, concedo ; *sub diverso respectu*, nego. Nulla enim est contradictio in eo quod idem corpus sub diverso respectu quiescat et moveatur, v. g. qui in curru vehitur simul quiescit et movetur ; ita pariter corpus Christi quatenus continetur sub talibus speciebus movetur, quia species ipsæ moventur, sed quatenus continetur sub aliis speciebus quiescit, quia species ipsæ quiescunt.

2° *Ex accidentibus.*

62. (A) *Objic.* Sensus nostri non possunt universaliter nos decipere; atqui, positâ transsubstantiatione, sensus nostri universaliter decipiuntur, quum nobis referant in Eucharistiâ adesse panis et vini gustum, colorem, etc. ac proinde panem et vinum; ergo.

Resp. Sensus nostri nos non decipiunt, quando circa *proprium objectum* et *modo debito* exercentur, concedo ; *secus*, nego ; jamvero objectum proprium sensuum est judicare de accidentibus corporum, non autem de substantiis ; igitur quatenus affirmant esse colorem, gustum, etc. panis et vini, non decipiuntur, quia de facto

[1] Ad rem animadvertit Card. *Newman* (Apologia, part. VII) : " Transubstantiationis doctrina difficilis ad credendum dicitur ... Esto quod imaginationi difficilis sit, imo impervia ! Ast quomodo difficilis ad credendum ? Certe quid sit et quomodo hæc se habeat, assequi nequeo, cur vero eam esse negabo ? Quid eam impossibilem reddit ? Quid sciam circa substantiæ et materiæ naturam ? Nihil omnino, nec magis maximi norunt philosophi. Et hoc adeo verum est ut nostris temporibus jam orta sit philosophorum schola, docens phœnomena totum id constituere quod per Physicas scientias nobis cognoscere liceat. Jam doctrina catholica phœnomena non tangit ; hæc non cessare, e contra manere, nec eadem pluribus locis simul existere contendit. Agit ipsa de rebus quarum naturam nemo cognoscit, scilicet de ipsis materialibus substantiis ".

hæc accidentia seu phænomena realiter existunt, juxta doctrinam supra expositam, aut saltem realiter a Deo producuntur, si admittatur opinio Cartesii; si autem ex illis accidentibus concludere velint ipsam substantiam panis et vini remanere, decipiuntur, quia judicant de objecto non suo, de objecto quod ad solum intellectum pertinet, cujus officium est judicare de substantiis. Intellectus autem non decipitur, quia per fidem illuminatus, scit panis et vini substantiam non amplius in Eucharistiâ existere. (*S. Th.* 4 dist. 11, q. 1. a. 1.)

63. *Instant:* Accidentia panis et vini, etiam post consecrationem, *vim nutriendi* retinent; atqui non possunt nutrire, nisi remaneat substantia panis et vini; ergo.

Resp. *Nego minorem,* nam res duplici modo explicari potest; (a) illa accidentia solummodo nutrire incipiunt quando jam alterantur in stomacho; jamvero, alteratis accidentibus, non amplius remanet substantia corporis Christi, sed altera substantia succedit, vi cujus accidentia panis et vini omnes effectus producere possunt quos panis et vinum naturaliter causant. (b) Aliam solutionem exhibet *S. Thomas:* "Melius dicendum videtur quod in ipsâ consecratione, sicut substantia panis in corpus Christi miraculose convertitur, ita *miraculose accidentibus* confertur quod *subsistant,* quod est proprium substantiæ: et per consequens quod *omnia possint facere et pati quæ substantia* posset facere et pati, si substantia adesset; unde sine novo miraculo et inebriare et nutrire et incinerari et putrefieri possunt, eodem modo et ordine ac si substantia panis et vini adesset". (Cont. Gent. l. IV, c. 66.) — Eodem fere modo explicari valet quomodo venenatæ species possint communicantem necare; nam venenum, utpote materia extranea, in corpus et sanguinem Christi non mutatur, sed solum panis et vini accidentibus adhæret, proindeque suos lethales effectus, etiam peractâ consecratione, producere potest.

64. *Instant iterum:* Si species eucharisticæ analysi chemicâ resolvantur, nihil in ipsis invenitur nisi panis et vini substantia; ergo talis substantia sub eis manet.

Resp. Dum analysis chemica dissolvit accidentia panis et vini, eo ipso corpus Christi in illis esse desinit (*supra* n. 55); nec mirum est in speciebus eucharisticis inveniri proprietates panis et vini, quum istæ perseverent in accidentibus, Dei operatione, juxta *S. Thomam* (*supra* n. 63), aut saltem a Deo suppleantur statim ac corpus Christi recedit e speciebus, juxta quosdam alios.

65. (B) Repugnat accidentia *remanere sine subjecto* cui inhæreant; atqui in Eucharistiâ accidentia panis et vini nulli substantiæ inhærent; ergo.

Resp. *Nego majorem;* nam, ex dictis supra, Deus certe potest facere per se quidquid facit per causas secundas; atqui, ante consecrationem, Deus sustinebat accidentia, mediante substantia panis

et vini; ergo post consecrationem potest per se directe eadem sustentare in seipsis. Nec dicatur illa accidentia in seipsis sustentata tunc fieri substantiam; nam essentialiter retinent *aptitudinem* ad inhærendum alicui substantiæ, et nonnisi per miraculum in seipsis sustinentur; non cessant igitur esse vera accidentia, nam ad essentiam accidentis *non pertinet actualis inhæsio* substantiæ, sed solum *aptitudo ad inhærendum*, ut constat ex ipsâ definitione: ens, cui *convenit* esse in alio[1].

3° *Ex unione Christi cum accidentibus.*

66. *Obj.* Indecens est docere Christum dentibus atteri, manducari, in stomachum transire etc.: atqui, positâ ejus præsentiâ sub speciebus, hæc omnia dici debent; ergo.

Resp. (a) Nego Christum dentibus atteri, si verba sensu proprio sumantur; nam ut canit Ecclesia: "A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur". Etenim species quidem eucharisticæ possunt dentibus dividi, sed Christus ipse non dividitur, cum ex supra dictis, corpus ejus in Eucharistiâ sit inextensum, ac proinde inalterabile.

(b) Nullum autem inconveniens est in eo quod dicatur ejus corpus manducari, transire in stomachum; hoc enim est solum mutatio localis, et non repugnat Christum transire ex uno loco in alium simul cum speciebus. Quando autem species jam stomachum ingressæ sunt, paulatim dissolvuntur per agentia chemica quæ in eo sunt, et, speciebus integre dissolutis, corpus Domini cessat sub illis existere.

67. Quod ut melius intelligatur, sciendum est quasdam esse regulas circa modum loquendi de Christo sub speciebus eucharisticis latente: (a) Cum Christus sit *vere* præsens in hoc sacramento, nomina substantiva et adjectiva, quæ ab existendi modo præscindunt, de eo prædicari possunt: v. g. dici potest Deus, homo, redemptor, mediator, rex, etc. (b) Cum non sit in Eucharistiâ per modum *corporis extensi*, de eo prædicari nequeunt ea quæ eum circumscriptive in loco esse supponunt, v. g. ipsum stare, jacere, hunc illumve situm habere; dicere vero licet eum esse, manere, contineri in Eu-

[1] Hucusque difficultates solvimus ex principiis philosophiæ scholasticæ; si quis autem Dynamistarum theoriis adhæreat, rem sic exponere potest: In ipso consecrationis instanti, Deus, virtute suâ omnipotenti, vires amovet quæ panis et vini substantiam constituebant, eorumque loco substituit corpus et sanguinem Christi, simul tamen causando phænomena extensionis, gustûs etc. a pane et vino prius producta; aliunde tollit a sacramentali corpore Christi actualem seu localem extensionem quâ naturaliter gaudet, ita ut hoc corpus possit per modum substantiæ præsens esse simul in multis altaribus. Cfr. *Dalgairns*, op. cit. p. 73.

charistiâ. (c) Cum corpus Domini sacramentale speciebus veluti alligetur, dici potest ipsum moveri, motis speciebus, sicut moto corpore anima movetur. (d) Quia vero ejus corpus non est subjectum, cui species inhærent, dici nequit ipsum esse rotundum, album etc. (e) Quum Eucharistiæ sacramentum sit unum compositum, in quo corpus Christi sub speciebus continetur, quæ fiunt circa accidentia possunt *figurate* de ipso Christo prædicari, v. g. dicere licet nos in Eucharistiâ Dominum videre, tangere, deosculari.

II. Realis præsentia argumentis convenientiæ suadetur[1].

Ratio humana non potest quidem realitatem præsentiæ Christi in Eucharistiâ demonstrare, sed ostendere valet illud dogma omnino conveniens esse sive ex parte *Dei*, sive ex parte *hominis*.

68. 1° *Ex parte Dei.* Illud dogma conveniens est ex parte Dei, quod ejus perfectiones mire illustrat; atqui Eucharistia præcipuas Dei perfectiones mirum in modum illustrat, præsertim vero ejus *omnipotentiam*, *sapientiam*, et *bonitatem*.

(**A**) *Potentiam :* Potentia divina præsertim per opera mirabilia manifestatur : atqui in sacramento Eucharistiæ multa exhibentur portenta[2], ita ut de pane eucharistico multi Patres hæc verba *Psalmorum* (CX, 4) intellexerint : " Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se ". Magnum siquidem est portentum quod substantia panis et vini desinat esse et convertatur in corpus et sanguinem Christi ; majus est, quando ipsum Domini corpus, jubente sacerdote, vere sub speciebus panis et vini reproducitur, ita ut præsens sit simul in unaquaque hostiâ, imo in qualibet parte cujusque hostiæ, et quidem non in uno loco solum, sed ubique terrarum, ubicumque verba consecrationis proferuntur ; nec

[1] *Suarez*, disp. 46, sect. 7 ; *Rosset*, op. cit. n. 107 sq. ; *Lessius*, de perfect. moribusque divinis lib. XII, c. 16 ; *Faber*, op. cit., lib. I, p. 41 sq.

[2] *Portenta*, seu mirabilia dicimus, non autem *miracula*, quia proprie miraculum dicitur factum *sensibile* præter vires naturæ ; jamvero mirabilia, quæ in Eucharistiâ invenire est, sunt quidem præter naturæ leges, non vero sensibilia.

minus est, quando illud corpus a singulis fidelibus integrum recipitur et comeditur, eosque divinitus nutrit quin ejus virtus unquam exhauriatur ; et, quod certe mirum est, hæc omnia mirabilia non semel, sed quotidie, non ab uno sacerdote, sed ab omnibus producuntur. Nonne pariter mirabile est accidentia sine subjecto in seipsis consistere, omnesque passiones et impressiones recipere quibus substantia panis et vini subjiceretur [1] ? Sane his omnibus Deus se universæ naturæ dominum declarat.

69. (B) *Sapientiam.* Sapientia consistit in electione optimi finis et aptâ ordinatione mediorum ad illum finem attingendum. Porro finis a Christo intentus in Eucharistiâ optimus est, cum nihil aliud sit nisi finis quem sibi proposuerat in incarnatione, sc. gloriam Dei et salutem animarum promovere ; aliunde media ad hunc finem electa omnino efficacia sunt ; siquidem Deus optime glorificatur in innumeris altaribus, in quibus diu noctuque Christus permanet, Patrem laudando ac precando nomine nostri, et infiniti valoris sacrificium offerendo; vel etiâm pias excitando animas ut secum Deum magnificent : " Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum " [2]. Item salus animarum promovetur, quia Christus in altari remanens, ad se trahit animas, ipsis vitam suam instillat, suo exemplo ad virtutem incitat, et per suam gratiam illas contra passiones roborat ; nam, " Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo ... qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum " [3].

70. (C) *Bonitatem :* Bonitas in communicatione bonorum apparet, et eo magis elucescit quo majora bona donantur; nam bonum est sui diffusivum. Atqui, in Eucharistiâ, Deus veluti profuse sua bona nobis largitur : (a) Imprimis unicuique nostrum tradit Filium suum unigenitum, Christi siquidem corpus et sanguinem, imo animam et divinitatem, ita ut liceat iterum exclamare : " Sic Deus dilexit mundum

[1] *Lessius*, op. cit. et post eum *Faber* (op. cit. p. 71) duodecim miracula numerant, duo circa substantiam panis et vini, duo circa species, sex circa corpus Domini, et duo circa consecrantem.

[2] *Ps.* XXXIII, 4. — [3] *Joa.* VI, 57; XV, 5.

ut Filium suum unigenitum daret"[1]. Ex quo ejus liberalitas apparet : cum enim vita spiritualis nonnisi per Christum detur, modum invenit quo ei realiter conjungimur. (b) Sed insuper, cum tres divinæ personæ sint prorsus inseparabiles, Pater et Spiritus simul cum Filio in Eucharistiâ speciali modo nobis communicantur, ita ut in sacrâ communione totum Deum vere possideamus. (c) Tandem, quando Christus nobis datur, eo ipso ditamur cœlestibus thesauris, quos per passionem suam nobis acquisivit; hinc gratiæ omnes, quas Salvator pro nobis meruit in omnibus mysteriis vitæ suæ, nobis communicantur, et quidem secundum nostras dispositiones et cooperationem. Huc enim recurrunt verba S. Pauli : "Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit"[2]? Hinc cum *Augustino* addere licet : "Cum enim Deus esset *potentissimus*, plus facere non potuit; cum esset *sapientissimus*, plus facere nescivit ; cum esset *ditissimus*, plus dare non habuit".

71. 2° Ex parte *hominis :* Illud convenit ex parte hominis quod virtutes christianas fovet; atqui præsentia realis Christi in Eucharistiâ præcipuas virtutes, tum theologicas, tum morales optime fovet.

(**A**) *Fides fovetur :* Id enim fidem nutrit quod huic virtuti perpetuum exercitium præbet ; atqui ita est de Eucharistiâ, multa enim sunt creditu difficilia in hoc mysterio, quum credere debeamus Christum realiter præsentem esse sub speciebus eucharisticis, quamvis sensus nostri nullam mutationem in illis percipiant, et quidem totum esse sub qualibet parte cujusque speciei etc.; et hæc omnia non directe a Deo, sed ab homine peragi, cui Dominus consecrandi potestatem dedit, nec semel, sed quotidie. Insuper illud mysterium fidem importat in multa alia mysteria, in Incarnationem Verbi, in Redemptionem, in mysterium SS. Trinitatis; perpetuo igitur fides nostra exercetur in Eucharistiâ, et exinde mirabiliter crescit, præsertim si cum Apostolis Domino dicamus : "Adauge nobis fidem"[3].

72. (**B**) *Spes erigitur :* Spes enim versatur circa beatitudinem æternam et media ad illam attingendam ; atqui

[1] *Joa.* III, 16. — [2] *Rom.* VIII, 32. — [3] *Luc.* XVII, 5.

spes vitam æternam assequendi maxime augetur per sacram communionem, quæ est veluti inchoatio illius perfectæ unionis cum Deo, quæ nos summe beatos efficit; item media ad salutem obtinendam facilius exspectantur, dum credimus Christum, gratiæ fontem, esse in medio nostri, paratum ad gratias nobis largiendum, et nos, contra omnes salutis hostes, efficaciter protegendos, ita ut cuique dicere liceat cum Paulo : "Omnia possum in eo qui me confortat"[1]... "Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur,et gratiam inveniamus in auxilio opportuno"[2]. Si enim bonorum Angelorum custodiâ vires assumimus, quanto magis præsentiâ Christi roboramur, qui mundum ac dæmones vicit ?

73. (C) *Caritas augetur :* (a) *Erga Christum.* Nihil enim magis ad amorem inducit quam exhibitio amoris; atqui Jesus in Eucharistiâ, maximum erga nos amorem exhibet, juxta illud : "Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos"[3]; siquidem, licet innumeras prævideret injurias sibi in hoc sacramento inferendas, voluit nobiscum permanere, "Deliciæ meæ esse cum filiis hominum"[4], pretiosissimo corpore et sanguine suo nos nutrire[5], nobis intima societate uniri, et spirituales divitias veluti profuse impertiri ; nonne per tot amoris pignora ad caritatem provocamur ? "Sic nos amantem quis non redamaret" ? (b) *Erga proximum;* fovetur pariter caritas erga proximum; nam, per Eucharistiam, ejusdem spiritualis mensæ omnes participes efficimur, eodem cibo nutrimur, et in eodem Christo, tanquam in communi centro, intimo nexu conjungimur; atqui nihil magis caritatem mutuam fovet quam illa spiritualis unio, juxta illud S. Pauli : "Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus"[6]. Hinc Christus seipsum dedit sub speciebus earum rerum quæ ex multis granis coalescunt ut significaretur unio fidelium ex multis cor unum efformantium.

[1] *Philip.* IV, 13.— [2] *Hebr.* IV, 16.— [3] *Joa.* XIII, 1.— [4] *Prov.* VIII, 31.

[5] Hinc sæpe ait *Chrysostomus* amorem Christi erga homines plus quam maternum esse : matres enim interdum filios suos aliis tradunt alendos, Christus autem quos spiritualiter genuit suo sanguine nutrit!

[6] *I Cor.* X, 17.

74. (D) *Religio* per præsentiam Dei et sacrificia maxime promovetur; atqui in Eucharistiâ Deus nobis præsens est meliori quo fieri potest modo, non solum in figurâ, sicut in V. Lege, sed realiter ita ut merito exclamare possimus: "Nec est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster" [1]. Aliunde in eâ offertur Deo sacrificium infiniti valoris, quo, prout decet, laudatur et adoratur.

75. (E) *Humilitas* pariter nobis edocetur, dum Christus, majestatem suam sub infirmis elementis velans, nobis apparet in statu humiliori quam in ipsâ Incarnatione, imo et in Passione; nam, ut ait S. Thomas,

> "In cruce latebat sola Deitas:
> Sed hic latet simul et humanitas".

insuper se tradit non solum divitibus et hujus sæculi potentibus, sed et parvulis et pauperibus: "Manducat Dominum pauper, servus et humilis". Quis igitur, post talia exempla, superbire auderet?

76. (F) Item ejus *patientia* apparet in eo quod injurias etiam maximas sibi inflictas ab indigne communicantibus æquo ferat animo; ejus *obedientia*, dum, jubente sacerdote, statim sub speciebus rite consecratis apparet; ejus *paupertas*, dum habitare non horret in pauperibus ecclesiis, et squalidis interdum involvi linteaminibus; uno verbo omnes virtutes, quibus Christus ornatus fuit in terrâ, in ejus vitâ eucharisticâ perfectissime et perpetuo renovantur; ergo [2].



1 *Deut.* IV, 7.

2 Hac de re legi possunt *Faber* op. cit. passim, præsertim vero Book I, C. IV-VII, Book IV, C. V-VI; *Dalgairns*, op. cit. part. I. The life of Jesus in the B. Sacrament; *Bourdaloue*, l. cit.

Caput II.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Disputabimus 1° de *existentiâ et naturâ* hujus sacramenti; 2° de ejus *materiâ et formâ;* 3° de *effectibus;* 4° de *ministro;* 5° de *subjecto.*

Art. I. De existentiâ et naturâ hujus sacramenti.

I. De existentiâ[1].

77. *Thesis:* **Eucharistia est verum et proprie dictum N. Legis sacramentum.** *De fide est* contra Unitarios et alios Protestantes liberales, qui asserunt Eucharistiam esse meram commemorationem Cœnæ, et nullam producere gratiam.

(A) *Scripturâ:* Ex textibus supra allatis sic argumentatur: ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt: *Signum sensibile, gratiæ sanctificantis productivum, permanenter a Christo institutum:* atqui hæc tria invenire licet in Eucharistiâ; (a) *signum sensibile,* sc. species panis et vini: "accepit Jesus *panem* ... et accipiens *calicem*"[2]; (b) *gratiæ productivum:* nam, teste Christo[3], Eucharistia vitam æternam præbet, ac proinde gratiam, quæ est medium necessarium ad illam attingendam; insuper, ex dictis, Eucharistia continet totum Christum, gratiæ fontem, ac proinde gratiam producere debet; (c) *a Christo permanenter institutum:* institutio enim propriis terminis describitur ab Evangelistis, et quidem ut permanens exhibetur, quum Dominus Apostolis dixerit: "Hoc facite id meam comme-

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 73, a. 1; *Suarez,* disp. 39 et 41; *Lugo,* disp. I, sect. 1; *Billuart,* diss. II, a. 3.

[2] *Matt.* XXVI, 26-27.

[3] "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum" (*Joa.* VI, 55).

morationem" ; et insuper fidelibus præceperit Eucharistiam recipere : " Nisi manducaveritis ", etc.

(B) *Traditione :* (a) ex *Patribus* citatis ubi de præsentiâ reali. (b) Ex *Trid.* definiente "septem esse sacramenta, Baptismum, Confirmationem, *Eucharistiam* etc."

(C) *Rat. conv. :* Vita spiritualis vitæ corporali assimilatur ; atqui in vitâ corporali, præter generationem, quâ vita acquiritur, et augmentum, quo perfectio vitæ obtinetur, requiritur alimentum, per quod vita conservetur ; ergo pariter in vitâ spirituali, præter Baptismum quo regeneratur homo, et Confirmationem, quâ roboratur, requiritur aliud sacramentum, quo nutritur. (*S. Th.* 3. p., q. 73, a. 1.)

78. (D) Ex hoc intelligi datur cur sacr. Eucharistiæ in ultimâ cœnâ convenienter institutum fuerit : (a) ratione *contenti :* continetur enim ipse Christus in hoc sacramento ; atqui congruum erat Christum seipsum Apostolis reliquisse sub sacramentali specie eo præcise instanti quo discessurus erat, sicut in absentiâ imperatoris exhibetur veneranda ejus imago ; (b) ratione *significationis :* Eucharistia est signum rememorativum passionis Domini, sine quâ non potest esse salus ; ergo conveniebat hujusmodi signum nonnisi imminente passione institui ; (c) ratione *finis :* Eucharistia est pignus amoris et ad inflammandam caritatem ordinatur ; atqui ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus magis memoriæ commendantur et inflammant affectum ; ergo Eucharistia convenienter a Christo instituta fuit pridie quam pateretur. (*S. Th.* 3. p. q. 73, a. 5.)

II. De naturâ hujus sacramenti[1].

79. 1° Eucharistia, prout sacramentum, definiri potest : *sacramentum N. L., in quo, sub speciebus consecratis panis et vini, corpus et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter continentur, ad producendam gratiam per modum spiritualis alimoniæ.* Dicitur (a) *sub speciebus consecratis*... quibus verbis declaratur *materia remota*, sc. panis et vinum, insuper

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 73, a. 2 ; *Suarez*, disp. 42 ; *Lugo*, disp. I-II ; *Bellarminus*, l. IV, c. 6 ; *Billuart*, diss. II, a. 1 § 2, a. 2 ; *Rosset*, n. 364 sq. ; *de Augustinis*, p. II, a. 1.

materia *proxima*, sc. species seu accidentia panis et vini quæ post consecrationem remanent, tandem *forma* quæ in verbis consecrationis consistit; (b) *corpus et sanguis*... id enim singulare est in hoc sacramento non solum gratiam, sed ipsius gratiæ auctorem inveniri; (c) *ad producendam gratiam*... hic indicatur specialis gratia hujus sacramenti, sc. gratia spiritualis nutritionis, in animâ producens effectus similes iis quos cibus materialis corpori præstat.

80. 2° Hic autem duæ quæstiones solvendæ occurrunt: (a) in quo consistit *essentia* sacramenti Eucharistiæ? (b) utrum sit sacramentum unum vel multiplex? ex quibus quædam corollaria deducentur.

(A) Quidam theologi, cum *Lugo*, putarunt essentiam hujus sacramenti non solum in speciebus et corpore Christi, sed etiam *in consecratione* consistere; sed hoc admitti nequit, quum consecratio sit *transiens*, dum sacramentum Eucharistiæ est quid permanens; aliunde consecratio directe *gratiam non confert*: quod tamen essentiale est sacramento. Alii, post *Capreolum*, hanc essentiam reposuerunt partim in *sumptione*, seu communione; sed hoc pariter rejiciendum est, tum quia communio est quid *transiens*, tum quia sumptio nihil aliud est nisi *usus sacramenti jam existentis*, et sacramentum jam confectum supponit [1]. Alii, ut *Sylvius*, in ipso *corpore Christi*; sed hoc fieri nequit; nam corpus Christi in Eucharistiâ non est signum sensibile. Alii, post *Suarez*, tenent sacramentum æque constare speciebus et corpore Domini.

Probabilior autem doctrina est essentiam hujus sacramenti reponendam esse in *speciebus consecratis*, quatenus continent corpus et sanguinem Christi, proindeque directe sitam esse in speciebus, indirecte in corpore et sanguine

[1] Quod sic declarat *S. Thomas* (3, p. 73, a. 1 ad 3): "Hæc autem est differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum absolute scilicet ipsum corpus Christi; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum in ordine ad aliud, scil. virtutem ad sanctificandum... Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsâ consecratione materiæ; alia vero sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum".

Domini. (a) Talis est enim aperta doctrina *Cat. Conc. Trid.* (part. 2. n. 8), in quo dicitur : " Ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam sacramenti rationem habent ".

(b) Illud constituit essentiam sacramenti quod est signum sensibile et permanens, gratiam conferens, et significans ; atqui species consecratæ sunt signum sensibile et ex se permanens, quæ continent corpus Domini quamdiu integræ supersunt ; gratiam significant quæ datur per modum alimenti, et tandem gratiam causant, quia continent ipsum gratiæ fontem ; ergo.

81. (B) Eucharistiæ sacramentum, licet sub duabus speciebus contentum, est tamen unicum sacramentum, non *materialiter* quidem, sed *formaliter.*

(a) *Ex Trid.* definiente septem esse sacramenta, nec plura nec pauciora; jamvero si adessent duo sacramenta Eucharistiæ, unum sub specie panis, alterum sub specie vini, non septem, sed octo sacramenta numeranda essent ; ergo.

(b) *Rat. Theol.* Ibi enim est unicum *formaliter* sacramentum ubi est unica res significata et causata ; atqui duæ species eucharisticæ unicam rem significant et producunt, nempe gratiam per modum refectionis, seu alimoniæ ; ad perfectam enim refectionem duo elementa requiruntur, sc. cibus et potus, ac proinde species panis et vini unicam spiritualem refectionem, ac proinde unicum formaliter sacramentum constituunt.

82. (C) *Corollaria :* (a) Ex hoc sequitur non plus recipi sub duabus speciebus panis et vini quam sub unâ specie ; nam, ex dictis supra, quælibet species totum Christum continet.

(b) Item ille qui plures particulas simul, aut etiam post breve intervallum suscipit, unicum sacramentum recipit, quia hæc ad unicam referuntur spiritualem refectionem, unicum convivium efformant.

(c) Ut sacramentum vere suscipiatur, necesse est ut species consecratæ perveniant ad stomachum antequam dissolvantur ; cum enim hoc sacramentum sit institutum per modum alimoniæ, sequitur leges refectionis materialis ; cavendum est igitur ne sacræ species in ore dissolvantur.

Art. II. De materiâ et formâ.

§ I. De materia[1].

Probatâ existentiâ sacramenti Eucharistiæ, de ejus elementis constitutivis disputare debemus, sc. de *materiâ* et *formâ*.

Duplex est materia : remota et proxima ; materia *remota* Eucharistiæ est panis et vinum ; materia autem *proxima* sunt species panis et vini consecratæ. Dicemus : 1° De *pane;* 2° De *vino;* 3° De *consecratione* utriusque.

I. De eucharistico pane.

83. Circa panem eucharisticum quidam adsunt errores : (**A**) Olim *Artotyritæ* (ἄρτος *bread*, τυρός *cheese*) docuerunt Eucharistiam cum pane et caseo simul esse conficiendam, in memoriam Patriarcharum qui panem et caseum comedebant. (**B**) *Calvinistæ* tenent, pane et vino deficiente, adhiberi posse quidquid panis anologice dici potest, seu quidquid cibi rationem habet[2]. (**C**) *Græci schismatici* contendunt solum panem fermentatum adhibendum esse. Duo igitur investigabimus : 1° utrum requiratur *panis triticeus?* 2° utrum *azymus* vel *fermentatus?*

1° *De pane triticeo.*

84. *Thesis :* **Solus panis triticeus est materia valida Eucharistiæ.** *De fide est* panem esse materiam, quum a *Trid.* definitum fuerit panem in corpus Christi converti ; *certum est* panem illum triticeum esse debere.

(**A**) *Script.* Illud enim est materia necessaria Eucharistiæ, quod Christus ipse adhibuit et adhiberi præcepit. Atqui Christus instituendo Eucharistiam, (**a**) panem triticeum adhibuit : " Jesus, accepto pane, gratias egit, etc. dicens : Hoc est corpus meum "[3] ; jamvero panis simpliciter, sine addito, est panis triticeus, ita ut si quis alium panem signi-

---

[1] *S. Th.* 3 p. q. 74 ; *Suarez*, disp. 43-45 ; *Bellarminus*, l. IV, c. 7-11 ; *Lugo*, disp. IV ; *Drouin*, q. 11 ; *de Augustinis*, p. 11, a. 2-3 ; *Corblet*. op. cit. l. IV.

[2] Cf. *Hodge*, Systematic theology, vol. III, p. 616.

[3] *Luc.* XXII, 19.

ficare velit, aliud vocabulum addere debeat et dicere v. g. panem hordeaceum; quod sane confirmat traditio ac praxis omnium Ecclesiarum [1]; (b) eumdem præscripsit adhiberi, cum dixit: "Hoc facite in meam commemorationem". Ergo.

(B) *Trad.* ex *Florentin.*: "Tertium est sacramentum Eucharistiæ, cujus materia est *panis triticeus*, et vinum de vite". Insuper *Missale* Romanum hæc habet: "Si panis non sit triticeus, non conficitur sacramentum".

85. *Regulæ practicæ:* (A) Juxta communem æstimationem prudentium, quinque conditiones requiruntur ad *validitatem* consecrationis, ex parte panis, sc. ut sit: (a) vere *triticeus*, i. e. e granis tritici saltem principaliter confectus; unde si panis conficeretur ex graminibus et leguminibus, aut etiam aliis cerealibus, ut hordeo, avenâ, milio aut maizio, consecratio invalida esset; si ex *spelta* [2] aut *secali*, valde dubia, juxta multos. Item permixtio alienæ substantiæ in quantitate notabili, materiam reddit invalidam. (b) *Aquâ naturali subactus*; hinc si panis esset subactus ex lacte, oleo, butyro etc., materia esset invalida; aqua artificialis reddit materiam dubiam; (c) *igne coctus;* ac proinde invalida esset massa farinæ cruda, aut per calorem solis indurata, vel frixa etc. (d) *non corruptus substantialiter*, quia tunc desineret esse panis; (e) *sensibus* pervius, secus nullum adesset signum sensibile.

(B) Insuper ad *liceitatem* requiritur ut panis sit, (a) *non mucidus* (not mouldy); hinc particulæ debent esse recentes, ab uno mense ad summum confectæ [3]; (b) *orbicularis*, seu

[1] Nonnulli idem probare volunt ex eo quod panis azymus, a Judæis adhibitus, fuerit triticeus: hoc tamen certum non est (*Pesch*, n. 758).

[2] Nonnulli tamen contendunt *speltam* materiam validam esse, et per plura sæcula in multis locis reipsa adhibitam fuisse; quod etiam a fortiori de *siligine* (hiberno tritico) dici potest (Cf. *Ballerini*, opus morale, de Euchar. c. I., 26-28). Revera, juxta peritos, spelta est una ex speciebus tritici, ex quâ fit usualis panis optimus: "*Triticum sativum* est illud quod communiter seritur, cujus, juxta Haeckel, tres agnoscuntur præcipuæ varietates, *spelta*, *dicoccum et tenax*" (Encyclop. Britan., verbo *wheat*). Unde merito ait *Pesch* (n. 759): "Quod est certe triticum, licet fortasse vocetur *spelta*, *siligo*, vel alio nomine, est materia sufficiens".

[3] *S. Rit. Congregatio* (Decret. 16 Dec. 1826, Gardellini, n. 4623)

rotundus quoad formam in Ecclesiâ latinâ, et insuper pro celebrante major, in quantum fieri potest, in quo signum crucis sit expressum, non fractus nec maculatus.

2° *De pane azymo.*

86. (A) *Ad validitatem :* **Valide conficitur Eucharistia tum in azymo pane, tum in fermentato.** *De fide est, Florentino* dicente : "*definimus* in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici ".

(a) *Ex praxi Ecclesiæ :* a primis enim sæculis, Ecclesia Latina nonnunquam saltem pane azymo, Ecclesia Græca pane fermentato generatim usa est, et nulla fuit hâc de re reprehensio ante tempora Photii ; imo quædam orientales sectæ azymo utebantur feriâ V majoris hebdomadæ ; Maronitæ autem et Armeni communiter eodem utuntur pane, idque ex antiquâ suæ ecclesiæ traditione[1] ; atqui talis praxis demonstrat validam esse utramque speciem panis, quum Ecclesia errare non potuerit circa rem tanti momenti ; ergo.

(b) Ad validam Eucharistiæ consecrationem requiritur et sufficit panis verus ; atqui uterque, sive fermentatus sive azymus, est verus panis ; ergo.

Latini generatim azymo pane usi sunt tum ad exprimendam puritatem in recipiente requisitam, tum quia Christus adhibuit azymos panes, qui soli permittebantur pro celebratione Paschæ, et insuper ut facilius incorruptæ servarentur sacræ species.

87. (B) *Ad liceitatem.* (a) Græci in pane fermentato, Latini in pane azymo sub gravi consecrare debent. Hoc aperte constat ex *C. Flor.* dicente : " Sacerdotes Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta suæ Ecclesiæ

damnat tanquam abusum consuetudinem consecrandi hostias a tribus quatuorve mensibus confectas.

[1] Cf. *Martene*, op. cit. l. I, c. 3. a. 7, n. 18 sq.; *Chardon*, Histoire des Sacrements, ed. *Migne*, p. 246. Revera in Actis Synodi Montis Libani, a. 1736, legitur : "Qui mos (usus panis azymi) et in Ecclesiâ nostrâ et apud Armenos quoque in Oriente ab immemorabili tempore obtinuit ; et authentica etiam hujus rei documenta proferre possumus ad ostendendum, in Syriacâ nostrâ Ecclesiâ, azymorum usum jam inde ab ineunte sexto Christi sæculo viguisse ". (*Collect. Lacens.* t. II, p. 190.)

sive occidentalis sive orientalis consuetudinem". Imo *Bened. XIV* idem præcepit sub pœnâ suspensionis (*Etsi Pastoralis*).

(b) Licet tamen Latino sacerdoti uti fermentato pane ad complendum sacrificium Missæ, si v. g. jam consecrato calice, animadvertat panem azymum esse corruptum, et nullus alius sit nisi fermentatus; nam præceptum divinum de integritate sacrificii præferri debet ecclesiastico præcepto de azymo pane. Item licet Latino sacerdoti, iter facienti per loca Græcorum, in quibus nulla est Latini ritus Ecclesia, uti fermentato, et vice versa.

(c) Sed, præter hos duos casus, communiter docetur nunquam licere uti fermentato, etiamsi moribundus secus viatico privaretur aut populus Missâ careret etiam die festo; quod tamen in praxi vix occurret, quum sit omnino facile brevi tempore conficere azymum panem.

II. De vino eucharistico.

88. 1° *Thesis :* **Vinum de vite est materia necessaria secundæ consecrationis.** *De fide* est contra Aquarios, qui olim contendebant aquam solam adhibendam esse in calice consecrando, quia, juxta ipsos, vinum a malo principio creatum fuerat : constat ex *Trident.* supra citato.

(A) *Script.* Illud est materia Eucharistiæ quod Christus adhibuit et adhiberi præcepit; atqui (a) adhibuit vinum de vite, quia immediate ante vel post consecrationem calicis, dixit : "Non bibam de hoc genimine vitis usque in illum diem"[1] etc. (b) idem adhiberi præcepit quum dixit : "Hoc facite in meam commemorationem"; ergo.

(B) *Trad.* ex *Florent. :* "Tertium sacramentum est Eucharistia cujus materia est panis triticeus et *vinum de vite*".

89. 2° *Regulæ practicæ*[2]. (A) *Ad validitatem*, vinum debet esse : (a) *vinum de vite :* hinc omnis alius liquor ex pomis vel granis etc. esset materia invalida; idem de vino

[1] *Marc.* XIV, 25.

[2] *S. Alphonsus*, l. VI, n. 206 sq.; *Konings*, n. 1279 sq.; *Marc*, n. 1522 sq.; *Lehmk.* n. 118 sq.; *Sabetti*, n. 679.

chemice confecto; non est enim de vite; (b) *expressum ex uvis maturis*: hinc omphacium (*verjuice*) est materia invalida, quia non est vinum, sed in viâ ad vinum, cujus naturam nondum induit; (c) *non corruptum* substantialiter: hinc acetum est materia invalida; idem dic de spiritu vini (*brandy, alcohol*); (d) *non mixtum* aquæ, vel alii liquori vel saccharo in quantitate notabili[1], secus enim fieret nova synthesis chimica, quæ, licet probabilissime valida, probabiliter tamen speciem mutaret. (e) Dubitatur utrum vinum congelatum sit sufficiens materia; non igitur adhibeatur antequam liquefiat. Si species vini congelatæ fiant post consecrationem, debent liquefieri admotis pannis calidis.

90. (B) Ad *liceitatem* requiritur insuper ut vinum (a) non sit acescens: "si fuerit aliquantulum acre, ait *Missale*, conficiens graviter peccat"; (b) non recenter ex uvis expres-

[1] Relate ad *spiritum* (alcohol), *S. C. Inquisit.* sequens responsum edidit (31 Jul. 1890): "Dummodo spiritus (alcohol) extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica addita, una cum eâ quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem *duodecim pro centum* et admixtio fiat quando vinum est valde recens; nihil obstare quominus idem vinum in Missæ sacrificio adhibeatur". Exposito autem dubio utrum vinum dulce, continens naturaliter duodecim pro centum spiritus, cui insuper *decem pro centum* adduntur ut melius conservetur, adhiberi possit in sacrificio Missæ, responsum est *negative* (19 April. 1891). Attamen, ex recenti decisione *5 Aug. 1896*, quando agitur de vinis dulcibus, quæ jam duodecim vis alcoolicæ gradus superant, licet eam quantitatem spiritus e vino extracti addere, quæ, una cum eâ quam vinum naturaliter continet, non excedat proportionem septemdecim vel octodecim pro centum, dummodo admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa defervescere inceperit. Proposito autem dubio utrum uti liceat quodam chimico processu (per additionem salis quod vocatur *tartrate of potassium*) ad vini pro Missâ naturalem acredinem corrigendam, *S. C. Inquisit.* respondit *non expedire* (9 maii 1892). Pariter declaravit saccharum non esse vino addendum, *5 Aug. 1896* Tandem præ oculis habenda sunt monita C. Plen. *Balt.* II (373). "experientiâ compertum est vini genera quæ in hisce regionibus sub nomine vulgari *Port, madeira, sherry, malaga*, etc. vænire solent, maximam partem et plerumque substantialiter adulterari". — (Cf. *Amer. Ec. Review*, June, July, 93, p. 428, 56; Dec. 1896, p. 633; *Collectanea* n. 606).

sum, nondum defæcatum, extra casum necessitatis; in casu autem necessitatis, licet uti musto (*new wine*) aut etiam vino expresso ex uvis passis, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum[1]; (c) non mixtum alteri liquori etiam in parvâ quantitate.

3° *Aqua vino miscenda.*

91. (A) *Vino consecrando aqua admisceri debet, non quidem de necessitate sacramenti, sed vi præcepti graviter obligantis.*
(a) Tale præceptum clare existere declarat *Trid.* (Sess. XXII, cap. 7): "Monet S. Synodus præceptum esse ab Ecclesiâ sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent". (b) Aqua autem non est necessaria ad validitatem, nam Rubrica docet, sacerdotem, qui post consecrationem animadvertit nullam aquam fuisse in calicem infusam, non teneri aquam infundere "quia non est de necessitate sacramenti". (c) Rationes propter quas aqua infunditur, sunt: ut Dominum imitemur, quia ipse, ut mos ferebat Judæorum, aquam cum vino miscuit; ut in memoriam revocetur aqua quæ ex latere Christi fluxit; ut significetur unio humanæ naturæ, per aquam repræsentatæ, cum divinâ naturâ, per vinum significata.

92. (B) Aqua miscenda debet esse *naturalis*, et quidem in parvâ quantitate; una vel altera guttula sufficiunt; in praxi non plus quam octo vel decem guttulæ infundi debent, quamvis theoretice loquendo quinta pars aquæ ad vinum corrumpendum non sufficiat.

(C) *Certum videtur aquam hujusmodi converti in sanguinem Christi:* (a) supponit enim *Trid.* nil amplius remane-

[1] Ita *S. C. S. Offic.* 22 Jul. 1706 et 7 Maii 1879, ap. *Collectan.* n. 697, 705. Modus quo hujusmodi vinum confici potest, sic describitur; "Sumuntur v. g. 4 libræ zebidi (*raisin*), franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidæ aquæ libræ in idem vas infunduntur, eâque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea uvæ passæ materia, eaque ab exteriore aquâ purgata panno stringitur vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriore diligentiâ utuntur, dum celebrant".

re, post consecrationem, nisi species panis et vini ; atqui hoc falsum esset, si substantia aquæ in calicem infusæ integra remaneret ; ergo. (b) Insuper verba consecrationis, "hic est calix sanguinis mei" supponunt pariter totum, quod in calice erat, substantialiter converti in sanguinem Christi.

Controvertitur tamen inter Theologos utrum aqua directe convertatur in sanguinem Christi, aut prius convertatur in vinum et postea in sanguinem Christi. Solutio quæstionis pendet ab aliâ quæstione philosophico-scientificâ, utrum scil. modica quantitas aquæ vino addita naturaliter convertatur in vinum vel non ; hâc de re periti dubitant ; probabilior tamen videtur opinio affirmativa, quia vinum est solum mixtura quædam, cujus proportiones non alterantur per paucas aquæ guttas.

III. De consecratione utriusque[1].

Hucusque seorsim diximus de duplici materiâ Eucharistiæ; nunc dicendum est de *præsentiâ*, de *determinatione*, et de *simultaneâ consecratione* utriusque materiæ.

93. 1° *Præsentia moralis.* (A) Ad validam consecrationem, necesse est ut materia sit consecranti *sensibiliter* et *moraliter* præsens. Verba enim formæ : "*hoc, hic*", exigunt ut sit materia vere præsens ; atqui non esset vere præsens si non posset moraliter sensibus percipi.

(B) Non requiritur ut de facto et directe percipiatur materia ; sufficit ut sive in se, sive in alio, videri vel tangi possit.

(C) Hinc, (a) valide consecrantur hostiæ sub aliis latentes, vinum in calice cooperto, hostiæ in ciborio clauso ; valida est consecratio peracta a sacerdote cæco. (b) Invalida est consecratio hostiarum quæ longe distant (v. g. centum passibus), quæ in tabernaculo recluduntur, saltem multo probabilius, aut post altare, quia tunc non censetur adesse præsentia moralis.

94. 2° *Determinatio.* (A) Ad validitatem requiritur insuper ut materia sit, per consecrantis intentionem, in

[1] *S. Alphonsus*, l. VI, n. 211 sq.; *Konings*, n. 1281 sq.; *Marc*, n. 1525 sq.; *Lehmkuhl*, n. 122 sq.

individuo determinata; intentio tamen virtualis sufficit, et si sacerdos explicitam intentionem non formet, censetur agere secundum intentionem Ecclesiæ, et consecrare velle quidquid, juxta rubricas, licite consecrare potest. Ratio hujus determinatæ intentionis desumitur ex indole pronominis "*hoc*, *hic*", quod exigit individuam determinationem.

(**B**) Hinc (**a**) *invalida* est consecratio, si sacerdos dicat: volo decem ex hostiis hic præsentibus, aut mediam hostiæ partem consecrare; pariter non sunt reputandæ ut consecratæ illæ vini guttulæ quæ *exterius* cuppæ adhærent; (**b**) *valida* est consecratio, quum quis dicit: volo consecrare hunc hostiarum cumulum, has tres priores hostias cumuli; item valida est consecratio duarum simul hostiarum adjunctarum quamvis sacerdos putet unicam esse; (**c**) *dubia* est consecratio guttarum vini, quæ *intra* calicis cuppam existunt a massâ vini separatæ; dubia est pariter consecratio ciborii a ministro, sacerdote nullatenus advertente, allati, et ex oblivione extra corporale relicti[1]; hostiarum quæ sunt infra corporale aut mappam, aut extra lapidem sacrum et simul a cumulo separatæ, aut positæ fuerunt in corporali, inscio sacerdote: in his enim casibus dubitari potest utrum sacerdos eas consecrare intendat.

(**C**) In casu dubiæ consecrationis, hostiæ non sunt populo distribuendæ, sed vel sumendæ ab ipso sacerdote post sumptionem calicis, vel subsequenti die iterum consecrandæ sub conditione.

95. 3° *Consecratio simultanea utriusque speciei.* (**A**) Consecratio utriusque speciei necessaria est præcepto divino ita ut nunquam liceat unam speciem sine alterâ consecrare. Constat (**a**) ex ipsis verbis Christi: "Hoc facite in meam commemorationem"; quibus verbis, ut declarat *Trid.* (Sess. XXII, c. 1), Apostolis præcepit ut consecrarent sicut ipse

[1] Si vero sacerdos ciborium aspexerit atque consecrare intenderit, hostiæ valide sunt consecratæ, etsi momento consecrationis earum immemor fuerit: prior enim intentio non fuit retractata, sed virtualiter perseverat, licet ex oblivione ciborium sit extra corporale.

fecerat, proindeque sub duplici specie ; (b) Christus instituit consecrationem Eucharistiæ per modum *sacrificii ;* atqui ad sacrificium Eucharisticum requiritur, ex infra dicendis, præsentia duplicis speciei, vi cujus repræsentatur separatio corporis a sanguine ; ergo.

(B) Controvertitur autem utrum una species valide consecrari possit sine alterâ. Certum est quidem consecrationem esse validam, quando sacerdos alteram consecrare intendit, quamvis de facto, propter aliquem defectum, eam non consecraverit ; sed quando sacerdos alteram consecrare non intendit, res dubia est ; communior sententia affirmat, quia, positâ intentione vere consecrandi unam speciem, non videtur cur verba a Christo instituta suo effectu carerent ; sed *Lugo* (disp. XIX, n. 104) negat, quia sacramentum a sacrificio separari non potest ; atqui ad sacrificium requiritur consecratio utriusque speciei ; ergo. Quidquid sit, in praxi sacerdos nunquam intendere potest consecrationem unius speciei sine alterâ, etiam ad viaticum ministrandum.

§ II. DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ [1].

96. *Status Quæstionis.* Duplex est forma : una super panem, altera super calicem pronuntianda. Certum est verba "*Hoc est Corpus Meum, Hic est Calix Sanguinis Mei*", pertinere ad essentiam consecrationis, sed quæritur utrum sint sufficientia.

(a) Juxta *Græcos schismaticos*, præter illa verba requiruntur illæ preces quibus postulatur ut panis convertatur in corpus, vinum in sanguinem Christi ; quæ preces in Liturgiâ Romanâ præcedunt, in Græcâ autem subsequuntur verba consecrationis [2]. Græcis accesserant quidam theologi catholici antiqui, ut *Catharinus ;* sed illa opinio reprobata est a *Pio VII*, 8 maii 1822, *infra*, n. 97.

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 78 ; *Suarez*, disp. 58-60 ; *Bellarminus*, l. IV, c. 12-15; *Lugo*, disp. XI ; *Billuart*, diss. V; *de Augustinis*, p. II, a. 4; *Corblet*, l. VI ; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 220 sq. ; *Konings*, n. 1284; *Lehmk.* n. 127 sq.

[2] De hujusmodi oratione quæ ἐπικλησις vocatur vide *Corblet*, l. cit. p. 270.

(b) Alii, cum *Scoto*, tenent verba consecrationis non esse valida nisi præcedantur illis : "Qui pridie quam pateretur etc.", quia per ea sacerdotem in nomine Christi loqui manifestatur.

(c) Insuper quidam Græci contenderunt ad essentiam consecrationis pertinere verba "*quod pro vobis tradetur*", quæ in quibusdam Liturgiis sequuntur "hoc est corpus meum". Tandem non pauci theologi asserunt verba, "*novi et æterni testamenti* etc.", quæ in consecratione calicis pronuntiantur, esse pariter de essentiâ sacramenti.

I. Forma super panem pronuntianda.

97. 1° *Verba essentialia : Ad validam consecrationem corporis Christi, verba "Hoc est corpus meum" sunt necessaria. Certum est.*

(a) *Script.* Illa verba sunt necessaria ad consecrationem quæ Dominus adhibuit et adhiberi præcepit ; atqui Dominus adhibuit præfata verba, ut constat ex Evangelio, et eadem adhiberi præcepit, dum dixit : "Facite in meam commemorationem" ; ergo.

(b) *Trad. ex Florent.* : "Forma hujus sacramenti sunt *verba* Salvatoris, *quibus hoc confecit sacramentum*" ; porro verba quibus Salvator Eucharistiam confecit, certe ea sunt quæ retulimus. Rejicienda est proinde antiquata opinio dicentium Christum non verbis, sed solâ benedictione consecrâsse.

(c) Illa enim verba essentiam formæ constituunt quæ exprimunt id quod in sacramento efficitur ; atqui præfata verba, et quidem omnia, necessaria sunt ad exprimendam conversionem panis in corpus Christi ; ergo.

Corollaria. (a) Certum est, contra Græcos, verba "quod pro vobis tradetur" non esse necessaria ad validitatem ; nam a duobus Evangelistis omittuntur, et insuper in Missali Romano non inveniuntur.

(b) Certum est pariter orationem, quâ postulatur ut panis convertatur in corpus Christi, ad validitatem non requiri ; nam quando iteranda est consecratio, non præscribitur illa oratio. Aliunde in Missalibus Græcis illa oratio subsequitur consecrationem, et antequam recitetur, sacerdos et diaconus hostiam adorant ; ergo illa hostia est jam valide

consecrata[1]. Revera sacri scriptores, qui tam accurate referunt ea quæ ad institutionem Eucharistiæ pertinent, nihil dicunt quod etiam suspicari sinat alia verba ad consecrationem requiri nisi ea quæ Christus ipse protulit.

(c) Valde probabiliter verba "qui pridie quam pateretur", non sunt ad validitatem necessaria; nam ratio a *Scoto* allata non valet; verum est siquidem necessarium esse ut sacerdos, verba consecrationis proferens, loquatur in personâ Christi; sed ad hoc sufficit ut talem intentionem habeat, nec requiruntur verba historica quæ præcedunt. Attamen, in praxi, cum opinio Scoti probabilitate non careat, Rubrica præcepit ut, quando consecratio iteratur, sacerdos a verbis "qui pridie etc." incipiat.

98. 2° *Mutationes vitandæ:* (a) Verbum *hoc* est essentiale, nec potest suppleri per adverbium "*hic*" aut "*ecce*"; si quis autem per ignorantiam mutaret pronomen *hoc* in pronomen *hic*, valida esset forma. Valida esset formula "hic cibus est corpus meum", sed invalida esset formula "hic panis est corpus meum", quia sic implicaretur panem, dum remanet panis, esse simul corpus Christi. Dubia est forma: "illud est corpus meum", quia pronomen "illud" non est demonstrativum rei præsentis.

(b) Verbum *est* non potest suppleri per aliud, v. g. "*fit*" aut "*transit in*", quia conversio illa debet exprimi ut simultanea et non successiva, in facto esse et non in fieri. Dubi-

[1] Concludi igitur potest hanc orationem ideo recitari ut distinctius declaretur id quod jam factum est, et insuper ut quod factum est, sit in salutem fidelium, ut late probat *Franzelin*, th. 7. Revera in C. *Florentino* declaratum est, approbantibus Græcis, hanc orationem recitari "non ut conficiatur quod confectum est, sed ut consequamur effectum sacramenti, scil. uniri cum Christo et incorporari"; quod significant ipsa verba "ut *nobis* corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui". — Hinc *Pius VII* (ad Patriarch. Melchit., 8 maii 1822), "prohibet omnibus, quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere unice in verbis Christi, quibus utraque Ecclesia occidentalis et orientalis utitur, sed ad perfectam consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam, quæ in liturgiâ occidentali antecedit, in orientali subsequitur".

tatur utrum subaudiri posset "*est*", dicendo "hoc enim corpus meum", sed communiter negatur, quia vox illa non habet solum sensum assertorium, sed etiam vim productivam corporis Christi. (*S. Th.* q. 78, a. 2).

(c) Verbum "*corpus*" non potest suppleri per aliud, v. g. per *carnem;* etiamsi enim caro aliquando designet totum hominem, tamen litteraliter non nisi partem corporis significat, ac proinde dubiam redderet consecrationem.

(d) Pariter vox "*meum*" est necessaria nec potest suppleri per "*Christi*"; quia si diceretur "hoc est corpus Christi" non appareret sacerdotem in personâ ipsius Domini loqui. Ex quo sequitur solam vocem *enim* essentialem non esse: ejus omissio esset proinde *venialis*, dum omissio voluntaria aliarum vocum *mortalis* esset.

II. Forma super calicem pronuntianda.

99. 1° *Verba essentialia:* (A) *Ad validam consecrationem sanguinis Christi verba "hic est calix sanguinis mei", vel "hic est sanguis meus", requiruntur.* Certum est, ex argumentis jam datis ubi de formâ super panem pronuntiandâ.

(B) Controvertitur autem utrum verba præfata sufficiant, vel necessarium sit sequentia verba addere: "novi et æterni testamenti, mysterium fidei etc."

(a) Multi *Thomistæ* asserunt ea ultima verba esse ad validitatem necessaria, quia pleraque in Evangelio continentur, cetera autem nobis per *Traditionem* transmissa sunt; insuper eadem verba determinativa sunt attributi "*sanguis meus*", ita ut sensus propositionis non sit completus nisi postquam pronuntiata fuerunt.

(b) E contra probabilius docent alii theologi præfata verba non requiri ad validitatem; nam nullus Evangelista ea integra refert, imo quædam ex eis a nullo Evangelistâ dantur; insuper quædam ex eis non inveniuntur in Liturgiis Græcis, quæ tamen ut validæ reputantur; tandem sensus propositionis sat completus est quando verba "*sanguis meus*" pronuntiata fuerunt; alia verba quæ adduntur non magis necessaria videntur quam verba "quod pro vobis tradetur", quæ juxta omnes, ad validitatem non requiruntur.

(C) *In praxi* autem, præfata verba semper pronuntianda sunt, et quidem sub gravi, et si omissa fuerint, iteranda est consecratio sub conditione; nam quando agitur de validitate, tutior pars sequenda est.

2° *Explicatio verborum :* (a) Locutio "*calix sanguinis mei*" significat : sanguis meus in hoc calice contentus, ut sit fidelium potus.

(b) "*Novi et æterni Testamenti*" : his verbis exprimitur sanguine Christi fuisse veluti sigillatum Testamentum *N. L.*, seu fœdus novum inter Deum et hominem contractum; vocatur æternum per oppositionem ad *Ant. Test.*, quod erat temporaneum et abrogandum, dum *N. T.* perpetuum est.

(c) "*Mysterium fidei*", quia hoc sacramentum est revera magnum mysterium solâ fide credendum.

(d) "*Qui pro vobis et pro multis effundetur*"... quibus verbis significatur sanguinem Christi effundi non solum pro Apostolis aut sacerdotibus, sed etiam pro omnibus aliis, qui certo multi sunt. (*S. Th.* 3. p. q. 78, a. 3.)

100. *Corollaria.* 1° Verba utriusque formæ pronuntiari debent distincte, reverenter, continuate, et naturaliter, nec mora ponenda est inter singula verba.

2° Verba pronuntianda sunt non solum historice, sed etiam assertive cum intentione producendi quod significant.

3° Non debet iterari consecratio, nisi probabiliter quis dubitet se aliquid essentiale omisisse; tunc iteretur sub conditione.

Art. III. De effectibus sacramenti Eucharistiæ.

Post dicta de materiâ et formâ sacramenti Eucharistiæ, ejus effectus describere licet.

101. Protestantes multi, post *Lutherum*, contenderunt primarium effectum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum mortalium; "per ipsum enim, inquiunt, fides excitatur, et per fidem peccata remittuntur"[1]. Alii dicunt

[1] "Est enim testamentum hoc Christi medicina unica præteritorum, præsentium et futurorum peccatorum, modo indubitatâ fide ei adhæse-

per hoc sacramentum fidem directe excitari, et indirecte spiritualem delectationem, fiduciam, amorem et devotionem [1].

I. De gratiâ per Eucharistiam productâ[2].

Duplex est, videlicet habitualis et actualis.

1ª *Thesis :* **Primarius effectus sacramenti Eucharistiæ est gratia sanctificans, non quidem prima, sed secunda quæ datur per modum alimoniæ spiritualis.**

102. *Probatur* 1ª pars : *Eucharistia non confert per se primam gratiam, seu remissionem peccati mortalis. De fide est* contra Lutheranos ex *Trident.* (Sess. XIII, can. 5): " Si quis dixerit vel præcipuum fructum SS. Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex eâ non alios effectus provenire, A. S. " Dicitur *per se*, quia *per accidens*, potest aliquando primam producere gratiam, ut jam explicavimus in *Tr. de Sacramentis*, n. 54.

(A) *Script.* " Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat... qui enim manducat et bibit indigne, judicium (i. e. condemnationem) sibi manducat et bibit " [3]. Ex his verbis homo debet seipsum probare, seu suam conscientiam scrutari, ne indigne suscipiat sacram communionem ; atqui talis probatio inutilis esset, si sacra communio peccata mortalia remitteret ; nec potest dici ad talem probationem sufficere fidem ; nam, ut ex contextu apparet, S. Paulus hic Corinthios reprehendit non propter defectum fidei, sed propter ebrietatem, et quia pauperes a mensis suis excludebant ; ergo vere requiritur peccati mortalis exclusio.

---

ris et credideris tibi gratuito dari id quod verba testamenti sonant ". (*Lutherus*, De Captivit. Babylonis, in fine Tr. de Eucharistiâ).

[1] Cfr. *Hodge*, vol. III. p. 648.

[2] *S. Thom.*, 3 p. q. 79, a. 1 ; *Suarez*, disp. 63 ; *Lugo*, disp. XII ; *Bellarminus*, l. IV, c. 17-18 ; *Drouin*, q. IX ; *Billuart*, diss. VI, a. 6; *Franzelin*, th. 17-18 ; *de Augustinis*, p. II, a. 7 ; *Billot*, th. 51 ; *Dalgairns*, p. 154 sq.; *Hurter*, n. 469 ; *Bellamy*, Les Effets du Sacr. de l'Eucharistie, ap. *Science Cathol.*, 15 jan. 1896, p. 113 sq.

[3] *I Cor.* XI, 29. Nonnulli thesim confirmant ex parabolâ hominis ad regias nuptias ingressi absque veste nuptiali (*Matt.* XXII, 11) ; sed, juxta communiorem interpretationem, hic non de communione, sed de vocatione ad fidem et in Ecclesiam ingressu agitur (*Maldonat.*, in h. loc.) : potest tamen hujusmodi parabola sensu *figurato* ad Eucharistiam referri.

(B) *Tradit.* (a) Ex praxi primitivæ Ecclesiæ, quæ peccatoribus gravium criminum reis Eucharistiam dare non solebat nisi post longam pœnitentiam; quod quidem fieri non debuisset, si Eucharistia ipsa instituta fuisset ad remittenda peccata; hinc, inter Missarum solemnia, diaconi dicebant: "exite, catechumeni, pœnitentes, indigni"; (b) ex doctrinâ Patrum, qui graviter queruntur nonnullos, nondum pœnitentiâ factâ, sacram communionem recipere: "Nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi (confessione) factâ, nondum manu eis ab episcopo et clero impositâ, eucharistia illis datur!" (*S. Cyprian.* ep. 9, n. 2).

(C) *Rat. Theol.* Eucharistia instituta fuit per modum cibi et potus, juxta illud: "Caro mea vere est cibus [1]... accipite et comedite etc."; atqui cibus non ordinatur ex se ad vivificandum mortuum, sed ad confortandum hominem jam vivum; ergo. Insuper si regi terreno injuriam facit inimicus qui mensæ ejus assidet dum mortali odio illum prosequitur, nonne majorem offensam Summo Regi infert qui, nondum reconciliatus, ad mensam Domini accedit?

103. *Probatur* 2ª pars sc. *Eucharistia confert gratiam secundam per modum alimoniæ spiritualis.*

(A) *Script.* Christus enim Eucharistiam instituit per modum cibi ac potus: "Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus" [2]; atqui cibus et potus ad nutritionem ordinantur; ergo Corpus et Sanguis Domini in Eucharistiâ pariter ordinantur ad spiritualem nutritionem.

(B) *Tradit.* Declarat enim *Trid.* (Sess. XIII, cap. 2) Christum instituisse hoc sacramentum, "tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur". *Florent.* pariter dicit: "Omnem effectum, quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem *sustentando, augendo, reparando*, et *delectando*, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem" (Cf. *S. Th.* q. 79, a. 1).

104. *Illud augmentum gratiæ, per S. Eucharistiam collatum, consistit principaliter in majori gradu caritatis erga Christum et proximum.* Etenim,

---

[1] *Joa.* VI, 56. — [2] *Joa.* VI, 56.

(A) Christus ipse declarat per sacram Eucharistiam intimam unionem, ac proinde intimam amicitiam, inter ipsum et communicantem produci: "Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo"[1]; jamvero manere in altero et habere alterum manentem in se, est modus loquendi quo intima amantium conjunctio exprimitur. Item S. Paulus docet fraternam caritatem per sacram communionem promoveri: "Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus"[2].

(B) Revera Eucharistia est veluti sacrum convivium in quo Domini corpus et sanguis in cibum et potum nobis præstatur; atqui proprium est alimenti ut unum fiat cum comedente; ergo per Eucharistiam unum efficimur cum Christo: quod fieri nequit nisi per caritatem. Et quia omnes de eodem convivio participamus, omnes pariter ad mutuum amorem incitamur; quod etiam ex ipsâ materiâ hujus sacramenti optime illustratur[3]: "Panis enim ex multis granis conficitur, et vinum multitudine racemorum existit; atque ita nos, cum multi simus, hujus divini mysterii vinculo arctissime colligari, et tanquam unum corpus effici declarant". Notandum est tamen per sacram Communionem nos potius transformari in Christum quam Christum in nos, juxta illud *S. Augustini*[4]: "Cibus sum grandium, cresce et manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me". Nec mirum; nam potentius mutat in se quod debilius est; quum igitur Christus sit nobis potentior, nos in seipsum transformat.

105. Quam arcta sit illa unio cum Christo Patres comparationibus illustrant; juxta *S. Cyril. Hierosol.*[5] efficimur "*concorporei et consanguinei Christi*"; juxta *S. Cyril. Alex.*[6], sicut si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum alterâ per totum commisceat necesse est, sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso et ipse in Christo inveniatur". Illa unio

[1] *Joa.* VI, 57. — [2] *I Cor.* X, 17. — [3] *Catech. Trident.* de Euchar. n. 15. — [4] Confess. l. VII, c. 10. — [5] Catech. myst. 4. — [6] Lib. 4 in Joa. c. 17.

aliquo sensu vocari potest *corporalis*, quia Dominum suscipimus non in figurâ, sed vere et realiter per os corporeum, ita ut corpus nostrum corpori ejus uniatur mediantibus speciebus ; est etiam *spiritualis* et *mystica*, quia, postquam Christus a nobis per modum cibi sumptus est, anima ejus spiritualiter animæ nostræ conjungitur, et gratiæ ac virtutum suarum nos aliquomodo participes efficit, ita ut cum *Paulo* fiducialiter dicere possimus : " Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus " [1]. Quæ tamen unio *neque substantialis* neque *hypostatica* vocari potest, quum nostram personalitatem retineamus.

106. 2ª *Thesis :* **Eucharistia confert etiam ex opere operato gratiam actualem devotionis et fervoris, cum speciali spiritus suavitate ac dulcedine.** *Certum est.*

(A) *Script.* Ex dictis, Eucharistia instituta fuit per modum cibi : " Caro mea vere est cibus " ; atqui de naturâ cibi est ut non solum robur, sed etiam *delectamentum* conferat ; ergo Eucharistia ex se tendit ad similes effectus producendos in animâ. Insuper sæpe sæpius Eucharistia comparatur *mannæ*, quæ Hebræis causa fuit tum roboris tum delectationis.

(B) *Trad.* Conc. *Viennense* hoc aperte docet : " In hoc sacramento habetur omne delectamentum et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur ". Eodem sensu canit Ecclesia : " Panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem " ; talis enim suavitas et delectatio nihil aliud sunt nisi gratiæ actualis effectus, quâ fervor et devotio excitantur in animâ ; ergo.

(C) *Rat. Theol.* Panis communionis non simplex panis est, sed unitus divinitati. Porro, sicut *Gregorius* dicit, (homil. Pentec. 30 in Evang.), amor Dei non est otiosus ; magna enim operatur, si est. Ergo per hoc sacramentum, quantum est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, juxta illud [2] : *Caritas Christi urget nos ;* spiritualiter reficitur anima, et dulcedine bonitatis divinæ inebriatur.

107. *Corollarium.* (A) Talis effectus, licet ex parte sacramenti sit infallibilis, est secundarius et aliquando impedi-

[1] *Galat.* II, 20. — [2] *II Cor.* V, 14.

tur : (a) quia communicans, alienis cogitationibus distractus, ad præsentiam Christi non attendit ; (b) vel quia cor ejus, humanis affectionibus irretitum, cœlestem cibum sapere nequit ; (c) vel quia corpus, adversâ valetudine gravatum, prohibet ne anima spiritualem delectationem experiatur.

(B) Insuper aliquando illa suavitas non est sensibilis, sed solummodo in voluntate existit, quæ fit promptior ad res divinas alacriter peragendas. Non igitur nimium contristari debent illæ animæ, quæ hisce consolationibus in sacrâ communione privantur, dummodo libenter Deo servire paratæ sint.

II. De effectibus Eucharistiæ quoad peccata[1].

Jam dictum est Eucharistiæ sacramentum non remittere per se peccata mortalia ; sed 1° remittit *venialia ;* 2° imo *pœnam* peccatis debitam ; 3° aliquo modo *a futuris peccatis* præservat.

108. 1° *Eucharistia peccata venialia remittit ex opere operato, seu directe, et ex opere operantis, seu indirecte. Certum est.*

(A) *Tradit. Trid.* enim dicit (*loc. cit. c.* 2). Christum Eucharistiam instituisse, " ut esset antidotum quo liberemur a culpis quotidianis " ; jamvero illæ culpæ quotidianæ nihil aliud sunt nisi peccata venialia.

(B) *Rat. theol.* (a) *Directe :* Eucharistia instituta fuit per modum cibi spiritualis ; atqui de naturâ cibi est ut leves defectus reparet qui quotidie ex defatigatione, calore etc. oriuntur ; ergo de naturâ cibi spiritualis est leves defectus spirituales ex concupiscentiâ ortos reparare. (b) *Indirecte :* Ex dictis, Eucharistia auget caritatem, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento ; atqui caritas peccata venialia remittit ; ergo.

109. *Coroll.* Ut talis effectus obtineatur, requiritur, præter statum gratiæ : (a) ut *non retineatur affectus* ad illa peccata ; nullum enim peccatum, cui servatur affectus, remitti potest ; imo affectus actualis ad veniale peccatum in ipso instanti communionis probabilius constitueret novum

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 69, a. 3-8 ; *Suarez*, disp. 63, sect. 10 ; *Lugo*, disp. XII, n. 82 sq. ; *Drouin*, quæst. IX, q. 6-9 ; *de Augustinis*, l. c.

peccatum veniale, propter irreverentiam Christo irrogatam [1]; (b) ut habeatur *attritio*, saltem implicita, illorum peccatorum ; non enim remittitur peccatum etiam veniale sine cooperatione nostrâ.

110. 2° *Sacramentum Eucharistiæ non remittit directe pœnam peccato debitam, sed solum indirecte.* Non enim directe institutum est ad satisfaciendum, sed ad nutriendum, uniendo cum Christo ; attamen directe animam nutriendo, caritatem excitat ; atqui caritatis actus est ex se satisfactorius, et remittit partem pœnæ temporalis secundum gradum et mensuram fervoris in animâ existentis ; ergo.

111. 3° *Eucharistia confert ex opere operato gratias actuales, quibus a futuris peccatis præservamur ;* eo sensu quod strenui reddimur ad tentationes superandas, licet impeccabiles non efficiamur. *Certum est.*

(A) *Script.* Christus enim, effectus Eucharistiæ describens, dixit : " Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum " [2] ; atqui, ut homo vivat in æternum, seu perpetuo servet vitam gratiæ, necesse est ut contra tentationes gratiâ actuali roboretur ; ergo.

(B) *Tradit.* Illud expresse declaratur a *Trid.* declarante (*loc. cit.*) Eucharistiam " esse antidotum quo a peccatis mortalibus præservemur ".

(C) *Rat. Theol.* Præcipuæ causæ peccati sunt interior concupiscentia, dæmonum impugnatio, et mundi scandala ; atqui Eucharistia nos roborat contra illas tres peccati causas : (a) *concupiscentiam minuit*, nam, ex dictis, auget caritatem ; atqui augmentum caritatis est diminutio concupiscentiæ, cui directe opponitur ; ergo ; (b) *impugnationem dæmonum repellit ;* nam Eucharistia est repræsentatio mortis Christi, quâ victus est diabolus, nosque nutrit sanguine Domini quo terribiles diabolo efficimur ; (c) *mundi scandala avertit ;* nam mundus nos trahit ad peccatum decipiendo, blandiendo et vanum timorem injiciendo ; atqui Christus in

[1] Hic tamen notare expedit peccato veniali, etiam in susceptione Eucharistiæ commisso, non impediri augmentum gratiæ habitualis, ad quod sufficit status gratiæ ; sed solum minuitur fructus sacramenti.

[2] *Joa.* VI, 52.

Eucharistiâ illuminat mentem nostram contra mundi fallacias, voluntatem roborat contra ejus blandimenta et voluptates, nosque docet contemnere vana hominum judicia. Hinc merito vocatur Eucharistia *panis fortium*, meritoque canit Ecclesia "O salutaris hostia... da *robur*, fer *auxilium*". Hinc *S. Bernardus* (serm. de Cœna Dom. n. 3): "Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini". Et *S. Chrysost.* (homil. 46 in Joa.): "Ab illâ mensâ recedamus tanquam leones, ignem spirantes, diabolo terribiles". (Cf. *S. Th.* q. 79, a. 6).

III. De effectibus Eucharistiæ quoad corpus.

112. 1° *In vitâ præsenti: Eucharistiæ sacramentum aliquam efficaciam habet in corpore et appetitu sensitivo, moderando sc. concupiscentiam.*

(**A**) Juxta omnes ille effectus producitur saltem *indirecte;* nam, ex dictis, Eucharistia flammam caritatis accendit; atqui caritas concupiscentiæ ardorem moderat; ergo.

(**B**) Sed insuper, juxta Suarez aliosque graves theologos, ille effectus producitur etiam *directe*, quatenus carnis libido temperatur, imaginatio moderatur, et appetitus sensitivi passiones subduntur. Etenim caro nostra, ex susceptione Eucharistiæ, specialem affinitatem acquirit cum carne Christi, vi cujus carnem nostram ut suam considerat; atqui talis affinitas carnem nostram mundat et sanctificat, nobisque veluti jus confert ut specialia auxilia obtineamus ad resistendum tentationibus carnis; ergo. Hinc Eucharistia merito vocatur *vinum germinans virgines*[2].

---

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 79, a. 2; *Suarez*, disp. 64; *Lugo*, disp. XII, n. 99 sq.; *Drouin*, l. c. q. 12; *Franzelin*, th. 18; *de August.* l. c.

[2] Nec mirum est corpus Christi talem effectum operari, quum in Evangelio legatur: "virtus de illo exibat et sanabat omnes" (*Luc.* VI, 19); recte enim ait *Chrysost.* (in Matt. hom. 50, al. 51, n. 2). "Corpus nunc nobis propositum est non vestimentum tantum sed corpus, non ut tangamus tantum, sed etiam ut comedamus et satiemur. Accedamus igitur cum fide singuli ægrotantes. Nam si ii, qui fimbriam vestimenti ejus tangebant, tantam sibi attraxere virtutem, quando magis ii qui ipsum totum tenent?"

113. 2° *Pro vitâ futurâ : Eucharistia est pignus futuræ gloriæ, seu jus confert ad gloriosam corporis resurrectionem. Certum est.*

(**A**) *Script.* Christus enim hoc aperte declarat, dicendo : " Qui manducat meam carnem... habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die " [1] ; quibus verbis resurrectio corporis tanquam præmium communionis promittitur.

(**B**) *Tradit. Trid.* enim asserit (*l. cit.*) hoc sacramentum esse " pignus futuræ gloriæ et perpetuæ felicitatis ".

(**C**) *Rat. Theol.* Per sacram communionem caro nostra, ex dictis, conformis fit carni Christi ; atqui hæc caro est incorruptibilis et glorificata ; ergo pariter decet ut caro nostra aliquando gloriosa et incorruptibilis reddatur. Merito igitur Eucharistia vocatur *immortalitatis pharmacum.*

114. *Corollaria.* 1° Sacramentum Eucharistiæ suum effectum producit proprie loquendo eo præcise instanti quo sacræ species manducantur, seu ex ore in stomachum trajiciunt. Sed insuper quærunt theologi utrum hoc sacramentum gratiam causet ex opere operato toto tempore quo species incorruptæ manent in stomacho. (**a**) Alii negant, quia Eucharistia operatur per modum manducationis, ac proinde non agit nisi ipso instanti quo sacræ species manducantur. (**b**) Alii probabilius cum *Cajetano, Suarez* et *Lugo* affirmant, quia Eucharistia est cibus spiritualis; atqui cibus non solum operatur tempore quo sumitur, sed quamdiu in stomacho remanet ; ergo augetur gratia ex opere operato, quamdiu Christus manet in corpore sumentis, dummodo per actus fidei, gratitudinis ac caritatis augeatur fervor subjecti. Illud autem tempus diversum est pro diversâ dispositione stomachi ; generatim in laicis sacræ species intra semi-horam, ad minimum, in sacerdotibus intra unam horam corrumpuntur, quia species azymi non tam cito quam fermentati panis consumuntur, ut constat ex recenter observatis [2].

2° Quando species sacramentales corrumpuntur, præsentia physica Christi cessat ; attamen remanet quædam unio

[1] *Joa.* VI, 55.
[2] Cfr. l'*Université Catholique*, Lugduni, 15 dec. 1893, q. 604-609.

moralis omnino specialis inter animam et Christum, vi cujus et hic curam singularem habet animæ, propriumque spiritum eidem instillat, eam simul adjuvans ut bona opera perficiat. juxta illud : " Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum "[1].

3° Sacramentum Eucharistiæ directe et ex *opere operato* non prodest nisi sumenti, sicut cibus non nutrit nisi comedentem ; sed indirecte et ex *opere operantis* aliis prodesse potest, quatenus communicans pro aliis orat, ejusque oratio, ob arctiorem cum Christo unionem, majorem efficaciam habet. (*S. Th.* q. 79, a. 7.)

Art. IV. De ministro Eucharistiæ sacramenti[2].

115. Post dicta de sacramenti Eucharistiæ materiâ et formâ, necnon de illius effectibus, jam de ejusdem ministro disputare licet. Duplex est autem minister, minister *consecrans* et minister *dispensans*, seu distribuens. De priori hic non dicemus ; nam illi soli consecrare possunt qui potestatem habent Missam celebrandi, ac proinde de ministro consecrationis disputabimus ubi de sacrificio Missæ. Quoad dispensationem Eucharistiæ, dicemus : 1° De *potestate* ad hoc requisitâ ; 2° De *ordine* servando.

1. De potestate requisitâ.

Ut licite distribui possit sacra communio duplex potestas requiritur, *ordinis* sc. et *jurisdictionis*.

116. 1° *De potestate ordinis.* Ministri ordinarii Eucharistiæ dispensandæ sunt jure divino soli sacerdotes, ministri vero extraordinarii sunt diaconi.

(**A**) *Sacerdotes soli sunt ministri ordinarii, et quidem jure divino,* seu prout fuit institutum ab ipso Christo.

(**a**) Dicit enim *Trid.* (Sess. XIII, cap. 8) : " Semper in Ecclesiâ Dei mos fuit ut laici a *sacerdotibus* communionem acciperent; ... qui mos, tanquam ex traditione Apostolicâ

---

[1] *Joa.* XV, 5. De quâ unione vide *Dalgairns*, l. cit. p. 174 sq.

[2] *S. Thom.* 3 p. q. 82, a. 3; *Lugo*, disp. XVIII; *Drouin*, q. IV, c. 2; *Billuart*, diss. VII, a. 3; *S. Alphonsus*, n. 230 sq.; *Konings*, n. 1287 sq.; *Lehmkuhl*, n. 134 sq.; *Gasparri*, n. 1068 sq.

descendens, ... retineri debet ". Jamvero quod ab Apostolis venit, fuit institutum a Christo et est juris divini.

(b) Ex dicendis soli sacerdotes sunt ministri consecrationis; atqui jure ordinario illi soli Eucharistiam dispensare debent, qui eam consecrandi facultatem habent, quum consecratio ad distributionem tanquam ad finem ordinetur ; ergo.

(B) *Diaconi sunt ministri extraordinarii hujus sacramenti.*

(a) Illud constat ex conc. *Nicæno* I dicente (can. 14.) : "Si non in præsenti fuerit vel Episcopus vel presbyter, tunc ipsi diaconi proferant (Euch.) et edant " ; et insuper ex Pontificali, ubi diaconi vocantur " comministri et cooperatores corporis et sanguinis Domini ". Attamen sunt solum *extraordinarii* ministri, ut probatur ex Conc. *Arelatensi I* (Can. 15). " diaconus corpus Christi, præsente presbytero, tradere non præsumat " ; siquidem per ordinationem hanc potestatem accipiunt solum ut sacerdotum adjutores, ac dependenter ab eis.

(b) Hinc in casu *extremæ* necessitatis, presbytero absente, diaconus non solum potest, sed debet viaticum ministrare ; item in casu *gravis* necessitatis, v. g. quando parochus die magnæ festivitatis audiendis confessionibus totus est occupatus, posset diaconus, cum licentiâ Episcopi, imo, juxta quosdam, cum licentiâ parochi communionem distribuere : quod tamen hodie raro fit. Extra hos casus non licet. Subdiaconus autem et inferiores ministri non sunt, juxta hodiernam disciplinam, ministri etiam extraordinarii Eucharistiæ dispensandæ, licet primis sæculis hoc officium ipsis commissum fuerit ; in casu tamen veræ necessitatis, ne moribundus necessario viatico privaretur, eis, imo et laico licet, juxta probabilem sententiam, Eucharistiam infirmo deferre.

(c) Sacerdos potest, extra celebrationem Missæ, sibi ipsi S. communionem ministrare si adsit gravis ratio, v. g. si secus sacerdos infirmus S. communione privaretur ; imo, juxta *S. Alphonsum*, sola devotio sufficit, si deficiat alius sacerdos.[1]

[1] Tempore persecutionis olim permittebatur, et hodie apud exteras Missiones permittitur, etiam laicis, in carcere pro fide inclusis, sacram eucharistiam occulte servare et sese occulte communicare, semoto irreverentiæ periculo, quando communio secus ministrari nequit. (*Collectanea*, n. 728).

117. 2° *De potestate jurisdictionis :* (a) Ad Eucharistiæ dispensationem requiritur *jurisdictio* sive *ordinaria* sive *delegata*, ita ut peccaret graviter qui, sine licentiâ Pastoris saltem tacitâ, eam ministraret. Ratio est quia pastoribus cura incumbit oves proprias pascendi ; atqui Eucharistia est unum e præcipuis mediis oves pascendi.

(b) Jurisdictionem *ordinariam* habent S. Pontifex pro totâ Ecclesiâ, Episcopus in suâ diœcesi, parochus in suâ parochiâ, Prælatus regularis relate ad subditos.

(c) *Jurisdictionem delegatam* habent illi qui directe vel indirecte licentiam acceperunt ab eo qui jurisdictionem ordinariam habet, v. g. illi quibus permittitur Missam celebrare in ecclesiâ aut oratorio, in quo servatur SS. Sacramentum ; quoad alia oratoria, verba concessionis sedulo attendenda sunt.

(d) Quando agitur de ordinariâ communione, licentia potest facile præsumi, non autem tam facile quando agitur de communione paschali in illis locis ubi fieri debet in propriâ parœciâ, aut de primâ communione ; quâ de re statuta diœcesana sedulo servanda sunt.

(e) Extra casum *necessitatis*, non licet *viaticum* ministrare non subditis sine expressâ licentiâ, et *regulares* hanc regulam violantes, excommunicationem incurrunt S. Pontifici simpliciter reservatam ; valde probabiliter tamen illa excommunicatio non incurritur in *Statibus Fœderatis*, ubi non existunt parœciæ proprie dictæ, sed tamen committitur peccatum mortale.

II. Ordo servandus.

118. 1° *Quoad communionem in genere :* Ordo præscriptus quoad communionem ministrandam respicit *tempus*, *ritum* et *defectus* qui occurrere possunt.

(A) Quoad *tempus* : (a) Generatim S. Eucharistia dispensari potest quâlibet die, excepto tempore interdicti localis et die Parasceves; tunc enim dari nequit nisi graviter decumbentibus. Hodie nil prohibet quin distribuatur Sabbato sancto, etiam ante missam solemnem, nisi adsit speciale statutum in contrarium. (b) Permittitur sicut missa, ab aurorâ usque ad meridiem, imo et vespere, non autem noctu, nisi agatur de infirmis, aut adsit quædam necessitas. (c) Communio non solum intra, sed extra Missam dari potest, dummodo adsit ratio utilitatis[1]. (d) Non debet dari communio in Missâ *Nativitatis*,

[1] Olim disputabatur utrum sacerdos, paramentis nigris indutus, com-

quæ *mediâ nocte* celebratur, nisi adsit specialis permissio a S. Pontifice. (S. C. *Rit.* 1641).

(B) Quoad *ritum.* Quando communio datur extra Missam, hæc præcipue serventur: (a) duæ candelæ accendantur aut saltem una, si altera inveniri nequeat; (b) minister, aut ipsius defectu, sacerdos ipse recitet *Confiteor;* (c) sacerdos, prius lotis manibus, indutus superpelliceo et stolâ coloris diei consuetas preces recitet, et Eucharistiam ministret; (d) ad altare reversus, dicat, "*O sacrum convivium*" cum versiculo et oratione; (e) tandem, ablutis digitis, et ciborio reposito, det benedictionem.

(C) Quoad *defectus.* (a) Deficientibus hostiis, dividi possunt particulæ sacræ in duas vel tres partes, modo adsit justa causa; imo posset detrahi pars majoris hostiæ pro viatico deferendo, aut etiam ad communicandum fidelem, qui, secus diu, aut non sine incommodo, exspectare deberet. Non licet autem devotionis causâ, plures particulas, vel majorem, dare communicanti.
(b) Si hostia cadit in mappam, signetur locus, deinde abluatur, et aqua in piscinam projiciatur; si autem in terram, locus tegatur et postea abradatur et abluatur; si in sinum mulieris, aut intra vestes, ipsa mulier hostiam extrahere debet et reponere in ciborio; digiti vero illius postea abluantur, et aqua in sacrarium projiciatur.

119. 2o *Quoad viaticum:* (a) Viaticum summo studio ac diligentiâ ægrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne tanto bono, parochi incuriâ, priventur[1]. Viaticum ministrari potest statim ac adest probabile periculum mortis. Quamvis parochus non teneatur, stricte loquendo, ministrare viaticum pro propriæ vitæ periculo, quia non est sacramentum necessarium, omnino laudanda est praxis illorum qui, tempore pestis, vitam suam exponunt ad viaticum ministrandum.

(b) In *Americâ,* propter hæreticos et infideles, quos inter versamur, licet SS. Sacramentum deferre occulte, et sine lumine. "Studeant tamen sacerdotes ut internâ animi devotione hujus pompæ defectum suppleant ac proinde vitentur vana et inutilia colloquia, piæ potius contemplationi vel precibus dent operam" (C. *Balt.* II, 264); insuper hostia sacra super pectus deferatur; tandem de-

---

munionem ante, intra aut post missam, distribuere posset. Hodie vero, ex decreto *S. C. R.* 27 Junii 1868, certo licet sive intra missam, sive immediate post, imo, datâ rationabili causâ, immediate ante: omittenda est tamen benedictio. — Vetitum est autem communionem dare, sive intra sive extra missam, in altari ubi SS. Sacramentum exponitur, nisi consuetudo id ferat, deficiente alio altari.

[1] "Gravissimi sane peccati reus esset animarum pastor, cujus ob oscitantiam vel una anima ex hâc vitâ migrare cœlesti cibo haud refecta" (*C. Balt.* II, 262).

latio SS. Sacramenti ad urgentes tantum causas, et ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur.

(c) Regulariter sacerdos ministrare viaticum debet cum veste talari, stolâ albâ et superpelliceo; hinc C. *Balt.* II ait (*l. c.*) : "Nunquam nisi in extremâ necessitate vel ipsam hostiam, vel vas sacrum in quo servatur, stolâ saltem non induti attrectent. Cum in Ecclesiâ Sanctissimum e tabernaculo extrahunt, semper superpelliceo et stolâ sint induti"[1].

120. 3° *Quoad modum S. Eucharistiam asservandi.* Regulas hâc de re servandas C. Plen. *Balt.* II (265-268) sic brevi compendio exhibet; (a) "Consuetudinem antiquissimam asservandi in Ecclesiis S. Eucharistiam, ut omnino salutarem et necessariam, retinendam esse decrevit C. *Trid.* (sess. XIII, cap. 6). Conservari debet in ecclesiâ cathedrali, et in quâvis ecclesiâ parochiali ut ad infirmos, datâ occasione, deferri possit".

(b) SS. Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscumque ecclesiæ, in quâ custodiri potest, solet aut debet (S. Cong. Episc. 13 Oct. 1620). Custodiendum vero est super corporali in tabernaculo decenter ornato, clavi obserato, quæ clavis semper a sacerdote, qui ecclesiæ vel sacelli curam gerit, custodiri debet. Tabernaculum conopœo decenter opertum vult Rituale Romanum. Consuetudinem illi superimponendi sacras reliquias, etiam SS. Crucis, vel Instrumenta Dominicæ passionis pictasque imagines, ita ut tabernaculum pro basi inserviat, dum in eo servatur Sanctissimum, improbavit S. Rit. Cong. (31 mart. 1821), neque posse vasa florum vel quid simile ante ostiolum retineri edixit (22 Jan. 1701). Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum (S. Cong. Episc., 26 Oct. 1575). In eo servetur S. Eucharistia in pyxide, seu ciborio, ex solidâ decentique materiâ, et suo operculo bene clausâ, albo velo coopertâ[2]. Vasa SS. Oleorum, reliquias, vel aliud in eo reponere non licet. Abusus vero, qui alicubi irrepsit, habitandi vel dormiendi in eâ parte domus religiosæ quæ supra altare est sita, non amplius tolerandus, sed prorsus eliminandus est (S. C. Rit. 26 April. 1834).

---

[1] In Statibus Fœderatis, aliisque regionibus ubi sacerdotes veste talari non utuntur per vias, mos invaluit ministrandi viaticum cum stolâ, absque superpelliceo et veste talari; hæc praxis certe non est laudabilis, sed, propter difficultatem secus agendi, tolerari potest, quamdiu Episcopi id non prohibuerunt (*Sabetti*, n. 690). Cetera quæ hujus sacramenti administrationem respiciunt vide apud Liturgistas, v. g. *O'Kane* Notes on the Rubrics, cc. XII, XIV; *Wapelhorst*, Compendium S. Liturgiæ, p. 3, c. 4. Cfr. *Many*, op. cit. n. 165-170.

[2] *S. C. Episc.* 26 Jul. 1588, hoc decretum edidit : "SS. Sacramentum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pyxide argenteâ intus deauratâ". — De his omnibus cfr. *Many*, op. cit. n. 143-155.

(c) Coram Sanctissimo lampas semper accensa habeatur, ex oleo olivarum nutrita, vel saltem ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus (S. R. C. 9 Jul. 1864); nec citra veram necessitatem privilegio utendum, si quod fuerit concessum, Illud sine lumine retinendi.

(d) Rituale Romanum jubet particulas SS. Eucharistiæ frequenter renovari; et Cæremoniale Episcop. id semel saltem in hebdomada faciendum præcipit (l. I, c. 6, § 2). Hanc regulam, quam S. R. C. nedum sæpius confirmavit, verum etiam stricte et rigorose obligare declaravit (7 Sept. 1850), sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus. Ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat, vel sumat (*S. R. C.* 3 Sept. 1672), minime vero in tabernaculo servet. Curet insuper ut particulæ consecrandæ recentes sint.

Art. V. De subjecto sacramenti Eucharistiæ.

Absolutis iis quæ de ministro dicenda erant, de subjecto Eucharistiæ disputandum superest : 1° de *necessitate* seu obligatione Eucharistiam recipiendi ; 2° *de extensione* illius obligationis; 3° *de dispositionibus* ad sacram communionem requisitis.

§ I. De necessitate hujus sacramenti.

121. *Status quæstionis.*

1° *Errores :* (a) *Calvinistæ* nonnulli, et quidam inter *Græcos schismaticos*, docuerunt communionem esse omnibus necessariam necessitate medii ad salutem. (b) Insuper non solum *Græci*, sed *Protestantes* plerique, errores *Hussitarum* renovantes, contenderunt communionem sub utrâque specie esse jure divino præscriptam, ac proinde Ecclesiæ catholicæ exprobrant eo quod sacramentum Eucharistiæ mutilet, dum solam speciem panis laicis tribuit [1].

2° Doctrina autem *catholica* est S. communionem esse quidem necessariam necessitate *præcepti*, non autem necessitate *medii*[2], et insuper usum calicis non fuisse præscriptum a Christo, ita ut talis usus potuerit interdici propter rationes disciplinares.

---

[1] *Littledale*, Plain Reasons, p. 77. Cfr. *Amer. Eccles. Review*, apr. 1896, p. 332.

[2] Quid sit necessitas *medii* ac *præcepti* exposuimus *de Baptismo*, n. 33.

I. De necessitate medii[1].

122. *Thesis :* **Nec infantibus nec adultis absolute necessaria est necessitate medii realis receptio Eucharistiæ.** *De fide est* pro parvulis, *certum* pro adultis. Dico *absolute*, quia dici potest cum *Suarez*[2] hoc sacramentum *moraliter* necessarium esse ad perseverandum, quatenus is qui *voluntarie diu* abstinet ab ejus receptione, non sine maximâ difficultate in gratiâ perseverabit. Diximus insuper *realis perceptio*, quia controvertitur utrum *votum* suscipiendi Eucharistiam sit necessarium necessitate medii pro adultis ; sat communiter admittitur votum explicitum non requiri, sed, juxta *S. Thomam* multosque alios theologos, *votum implicitum* requiritur ; de hoc autem nulla est difficultas, quum tale votum includatur in susceptione Baptismi, aliorumque sacramentorum, imo in actu caritatis, quo volumus ea omnia accipere quæ ad salutem requiruntur.

(A) *Script.* Si realis susceptio Eucharistiæ absolute necessaria esset necessitate medii, illud esset propter verba Christi : "Nisi manducaveritis etc." ; atqui hæc verba non probant necessitatem medii ; nam (a) commode interpretari *possunt* de solâ necessitate præcepti, quum ad *solos adultos* dirigantur, qui soli hæc verba audire poterant ; et insuper res præscripta, sc. *manducatio*, non est ex se necessaria ad salutem ; potest enim vita gratiæ in infantibus servari sine ullo actu ipsorum, in adultis per alia opera a communione distincta ; magna est proinde differentia inter hunc textum et alium : "Nisi quis renatus fuerit"... ut in *Tr. de Baptismo* (n. 35) probavimus ; (b) *debent* interpretari de solo præcepto, quia alibi declaratur : "Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit"[3] ; ex quo patet salutem solo Baptismo et fide obtineri posse ; aliunde Patres, et Ecclesia ita præfata verba intellexerunt ; ergo.

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 80, a. 11 ; *Suarez*, disp. 40 ; *Lugo*, disp. III ; *Drouin*, q. 8, dico 3-4; *Billuart*, diss. VI, a. 1, § 1; *de Augustinis*, p. II, a. 6; *Hurter*, n. 475 sq.; *Pesch*, n. 803 sq.

[2] Disp. 40, sect. 2, n. 16.

[3] *Marc.* XVI, 16.

(B) *Tradit.* : (a) Pro *parvulis* thesis *de fide est*[1] ; " Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint necessariam esse Eucharistiæ communionem, A. S." (b) Pro *adultis* : Ecclesia S. Eucharistiam amentibus et phreneticis non concedit, et olim aliquando eam lapsis denegavit ; atqui nunquam denegatur sacramentum necessarium necessitate medii ; ergo[2].

(C) *Rat. Theol.* Si Eucharistia necessaria esset necessitate medii, ideo esset quia absolute requireretur vel ad acquirendam vel ad servandam gratiam sanctificantem ; atqui neutrum dici potest ; nam prima gratia acquiritur per Baptismum, aut recuperatur per Pœnitentiam, et quamvis Eucharistia sit optimum medium, imo medium moraliter necessarium, ordinarie loquendo, ad gratiam servandam, tamen sunt alia media quibus stricte loquendo vita gratiæ servari potest, oratio scilicet aliaque opera supernaturalia ; ergo.

II. De necessitate præcepti.

123. *Eucharistiæ receptio adultis necessaria est necessitate præcepti tum divini, tum ecclesiastici.*

(A) Præceptum *divinum* communiter admittitur, et constat ex verbis Christi ipsius : " Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis " ; quæ quidem verba necessitatem Eucharistiæ important ; atqui, ex dictis, non important necessitatem medii ; ergo necessitatem præcepti. Quod confirmare videtur *Tridentinum*, dum, post descriptam hujus sacramenti institutionem, ait (Sess. XIII, c. 2) : " Et in illius sumptione colere nos sui memoriam *præcepit* (Christus)

---

[1] *Trident.*, sess. XXI, can. 4.

[2] Objicitur *Augustinum*, *Innocentium I* et *Gelasium* absolutam Eucharistiæ necessitatem docuisse. Sed illi doctores alibi declarant Baptismum infantibus ad salutem sufficere : proinde eorum verba aliter interpretanda sunt, sc. *non de reali Eucharistiæ receptione*, sed de *unione cum Christo*, quæ est effectus hujus sacramenti ; ait enim S. Augustinus (tr. 26 in Joa. 18) : " Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere ". Cf. *Hurter*, 477.

suamque annuntiare mortem". Undé parum probabilis est opinio paucorum veterum theologorum, qui negabant præceptum esse divinum recipiendi Eucharistiam.

Insuper sacramentum illud institutum fuit per modum *alimoniæ* spiritualis ; quod quidem demonstrat Deum velle nos Eucharistiâ uti tanquam cibo, eamque aliquoties saltem in vitâ recipere ; ergo.

(**B**) Præceptum autem *ecclesiasticum* constat ex conc. *Lateranensi IV :* "Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob rationalem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum ; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ". (*Denz.* n. 363).

III. De communione sub utrâque specie[1].

124. *Thesis :* **Communio sub utrâque specie singulis fidelibus jure divino non est necessaria.** Dicitur "*fidelibus*" quia fatemur sacerdotes sacrificantes teneri sub duplici specie communicare. Thesis *de fide* est ex *Trid.*[2] : "Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiæ sacramenti sumere debere, A. S."

125. Si tale præceptum existeret, probari deberet *Scripturâ*, vel *Trad.* vel ex *naturâ* hujus sacramenti; atqui nullum ex his dici potest.

(**A**) Non constat *Script. :* nam (**a**) textus a Protestantibus allatus : "Nisi manducaveritis et biberitis etc." probat quidem necessitatem recipiendi carnem et sanguinem Christi, sed *non sub utrâque specie;* cum enim Christus totus sub quâlibet specie contineatur, ille qui recipit unicam speciem potest vere dici manducare corpus et sanguinem Domini

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 80, a. 12 ; *Suarez*, disp. 71 ; *Bellarminus*, l. IV, c. 20-28 ; *Drouin*, q. VIII, c. 2; *de Augustinis*, l. cit.; *J. H. Newman*, Development, p. 129 ; *H. Ryder*, Catholic Controversy, p. 138 sq.; *Pesch*, n. 816 sq.

[2] Sess. XXI, can. 1.

bibere [1]; jamvero hic non agitur de *modo* accipiendi, sed de *re ipsâ*. Illa interpretatio confirmatur ex eo quod pluries in eodem capite Christus loquitur de manducatione solius panis Eucharistici tanquam ad salutem sufficiente : "Si quis manducaverit *ex hoc pane*, vivet in æternum" [2]; et insuper ex eo quod *S. Lucas* Eucharistiam describens prout a primis fidelibus recipiebatur, *solam speciem panis* commemorat : "Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum et communicatione *fractionis panis* et orationibus" [3]. (b) Alter textus allatus : "Bibite ex eo omnes", ad solos Apostolos dirigitur ac proinde solos ligat sacerdotes celebrantes ; nam postea dicitur : "Hoc facite in meam commemorationem" [4]; quod solos respicit sacerdotes ; ergo.

126. (B) Nec probatur *Tradit.;* quamvis enim generatim communio sub utrâque specie per undecim sæcula dispensata fuerit, exstant facta nonnulla ex quibus constat *aliquando* communionem sub *unicâ specie* datam fuisse, ac proinde hanc praxim non esse juri divino oppositam : (a) quandoque communio ægrotis dabatur sub solâ specie panis [5]; (b) e contra infantibus sola species vini plerumque præbebatur; (c) tempore persecutionum, fideles domi asportabant S. Eucharistiam sub unicâ specie panis, ut seipsos communicarent, item hæc sola species sæpe martyribus dabatur ; (d) tandem die Parasceves in utrâque Ecclesiâ, Græcâ et Latinâ, a primis temporibus usque ad hodiernum diem celebrata fuit Missa quæ vocatur *Præsanctificatorum*, in quâ communio accipitur sub unicâ specie panis; imo, apud Græcos, tempore Quadragesimæ non consecratur nisi duobus diebus in hebdomadâ, ceterisque communio fit sub unicâ panis specie [6].

---

[1] *I Cor.* XI, 27. — [2] *Joa.* VI, 52.

[3] *Act.* II, 42. — [4] *Luc.* XXII, 19.

[5] *Eusebius*, H. E. lib. VI, c. 44.

[6] Cf. *Corblet*, op. cit. l. XIV. — Auctor recte animadvertit (p. 629) apud quosdam auctores catholicos assertiones nimis generales reperiri, quando v. g. dicunt *semper* infantes et ægrotos sub solâ specie vini fuisse communicatos, *nunquam* speciem sanguinis fuisse præservatam; mutetur *semper* in *plerumque*, *nunquam* in *raro*, et tunc verba factis respondebunt.

127. (C) Nec *ex naturâ* hujus sacramenti deducitur : nam unicâ specie sufficienter significatur specialis virtus hujus sacramenti, quæ in alimoniâ spirituali consistit, et pariter unicâ specie substantialiter producitur gratia huic sacramento propria, cum sub utrâque specie Christus totus contineatur. Dixi "*substantialiter*", quia, juxta quosdam theologos, major gratia accidentalis confertur per receptionem utriusque quam unius speciei ; quod concedi potest, si caritatis fervor in sumptione secundæ speciei augeatur. Sed ex se non datur major gratia per duas species quam per unam, sicut in Baptismo non confertur major gratia trinâ immersione quam unâ tantum.

128. *Coroll. Ecclesia potuit legitime calicis usum laicis interdicere, prout de facto interdixit.* Etenim, in rebus quæ jure divino non reguiantur, Ecclesia jus habet leges prohibitivas statuendi, dummodo validæ adsint rationes ; atqui ex dictis usus calicis non fuit jure divino præscriptus et aliunde validæ erant rationes ad talem usum interdicendum, sc. : (a) periculum sanguinem sacrum effundendi ; nam, ut ait *S. Thomas* (l. c.) "quia crevit multitudo populi christiani, in quâ continentur senes, et juvenes, et parvuli, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, ut cautelam debitam circa usum hujus sacramenti adhibeant, ideo provide in quibusdam ecclesiis observatur ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a sacerdote sumatur" ; (b) difficultas diu asservandi speciem vini, quod facile acescit, et eamdem ad ægrotos deferendi ; (c) vini penuria in quibusdam regionibus ; (d) nonnullorum repugnantia a bibendo ex eodem calice, imo periculum infectionis, quod incurritur quando plures simul ex eodem calice bibunt ; (e) tandem confutatio hæreticorum qui necessitatem sumptionis utriusque speciei falso asserebant [1].

[1] *Catech. Trident.* de Euchar. n. 71. — Protestantium argumenta exposita vide apud *Littledale*, Plain Reasons, p. 77 confutataque apud *Ryder*, Catholic controversy, p. 138. Objicitur quidem S. Gelasium Papam (Decret. Grat. 3 p. dist. 2, c. 12) illos reprehendisse qui a calice sacri cruoris abstinebant ; sed decretum illud latum fuit contra Manichæos Romæ latentes, qui, impiâ superstitione, a vino et a specie

§ II. De extensione præcepti communionis [1].

Probatâ necessitate Eucharistiæ, dicendum superest de extensione præcepti tum *divini*, tum *ecclesiastici* relate ad communionem, necnon de iis qui recipere prohibentur.

I. De præcepto divino.

129. Præceptum divinum Eucharistiæ suscipiendæ obligat per se aut per accidens :

1° *Per se.* (A) Illud præceptum per se obligat *in periculo mortis proximo*, et quidem sub gravi, juxta probabiliorem sententiam [2].

(a) Hoc supponere videtur C. *Nicænum* (can. 13), in quo statuitur ut *antiqua lex* servetur, nempe ut si quis egreditur de corpore, *necessario* viatico non privetur : hæc enim antiqua lex videtur esse præceptum Domini. Ratio est quia si hoc sacramentum sub præcepto cadat, eo saltem tempore recipi debet quo magis est necessarium ; atqui nulla major est necessitas quam in articulo mortis, a quo tota pendet æternitas ; ergo.

(b) Hinc, quando periculum *non* est *proximum* et *certum* sed solum probabile, v. g. ante puerperium, aut longam navigationem, aut prœlium, potest quidem recipi communio, sed obligatio illa non est certa nec proinde urgenda.

(c) In eadem infirmitate non datur obligatio bis recipiendi viaticum, etiamsi diuturna sit. Qui mane, vel paucis antea diebus, ex devotione communicavit, probabiliter non tenetur

---

eucharisticâ vini abhorrebant ; decretum igitur erat disciplinare, quod, mutatis circumstantiis, aboleri certo poterat.

[1] *Suarez*, disp. 69-70 ; *Lugo*, disp. XVI ; *Drouin*, q. VIII, c. 1 ; *Billuart*, diss. VI, a. 1, § 2 sq. ; *S. Alphonsus*, l. VI, 290 sq. ; *Konings*, 1304 sq. ; *Pesch*, n. 807 sq.

[2] Quâ de re scribit *Suarez* (disp. 69, sect. 3, n. 2) : " *Probabile* est jure divino obligari hominem ad communionem in articulo mortis... Hæc sententia non est admodum recepta, et ideo solum illam affirmo ut probabilem et piam ". Ratio dubitandi ex eo præsertim oritur quod olim quibusdam peccatoribus viaticum denegabatur ; hæc tamen praxis solummodo probat præceptum divinum quasdam pati exceptiones ab Ecclesiâ determinandas, quatenus est juris divini interpres.

stricte loquendo, superveniente proximo mortis periculo, viaticum accipere; nam ille jam satisfecit fini præcepti; imo, juxta paucos, qui mane jam communicavit, non potest iterum eodem die communionem accipere. Attamen probabilior opinio, quam approbat *S. Ligorius*, ista distinguit: si morbus sit naturalis, nulla est obligatio viaticum accipiendi, quia, tempore quo recepta fuit communio, periculum mortis jam existebat, licet ignotum, et ita lex fuit adimpleta; si autem morbus e causâ violentâ oriatur, v. g. e vulnere, præbendum est viaticum, quia, tempore quo recepta fuit communio, periculum mortis non adhuc existebat, nec proinde adimpleta fuit lex recipiendi in periculo mortis; quæ tamen obligatio non est urgenda, quum opinio contraria sit vere probabilis.

(B) Illud præceptum insuper obligat *aliquoties in vitâ;* nam Eucharistia instituta fuit per modum cibi; atqui de naturâ est cibi ut pluries sumatur in vitâ; ergo. Tempus autem non fuit a Christo determinatum, illudque præceptum adimplet qui semel in anno communicat, tempore ab Ecclesia præfixo, quum hæc sit juris divini interpres.

130. 2° *Per accidens.* Illud præceptum obligat *per accidens*, quoties sacra communio necessaria est ad superandam gravem tentationem; quod tamen raro evenit, quia ad hoc sufficere possunt alia remedia, ut orationes, variaque pœnitentiæ opera.

II. De præcepto ecclesiastico.

131. Præceptum ecclesiasticum tria determinat, sc. *frequentiam*, *tempus* et *locum* communionis [1].

1° Quoad *frequentiam:* (a) Quisque fidelis adultus tenetur *semel saltem in anno* suscipere Eucharistiam, et quidem sub gravi, nam delinquens potest puniri excommunicatione

[1] Gravitatem hujus præcepti nemo est qui non videat. "Pastores itaque animarum in Domino etiam atque etiam hortamur, ut nullum non moveant lapidem, quo omnes ipsis commissi ad præceptum hoc servandum adducantur. Instent sane opportune, importune; arguant, obsecrent, increpent in omni patientiâ. Boni enim pastoris est, ut agnoscat oves suas, simulque efficiat ut et illæ ipsum agnoscant. In eo autem omnem ponant operam, ut fideles digne ad tantum sacramentum accedant". (C. *Balt.* II, 256.)

et privatione sepulturæ ecclesiasticæ; quæ tamen pœnæ non sunt latæ, sed *ferendæ* sententiæ, i. e. non incurruntur nisi post judicium ab Episcopo latum.

(b) Qui sacrilege communicat non satisfacit illi præcepto; contraria enim sententia expresse damnata fuit ab *Innoc. XI* (1679). Et merito: nam præceptum ecclesiasticum est solum determinativum divini præcepti; porro divinum præceptum obligat non tantum ad materialem, sed etiam ad dignam et fructuosam Eucharistiæ receptionem.

(c) Tempus annuæ communionis computatur, juxta communem sententiam, a Paschate ad Pascha, non autem a Januario ad Decembrem.

132. 2° *Quoad tempus:* (a) Tempus, quo adimpleri debet illud præceptum est tempus paschale, quod jure communi incipit a Dominicâ Palmarum, et usque ad Dominicam in Albis protenditur. Sed in multis regionibus illud tempus multo longius extenditur; ita in Statibus Fœderatis, propter inopiam sacerdotum et locorum distantiam, S. Sedes benigne concessit ut tempus communionis paschalis computetur a *Iª Dominica Quadragesimæ inclusive* usque ad Dominicam *SS. Trinitatis* pariter *inclusive;* insuper, ex ipso *Later.*, confessarius potest, justâ de causâ, tempus illud extendere, quando videlicet judicat majus bonum pœnitentis id requirere.

(b) Qui tempore præscripto omisit communionem tenetur, juxta communem sententiam, infra annum communicare, et consulendum est ut quam primum huic obligationi satisfaciat. Nam tempus non ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam præfixum fuit; insuper ex ipsis verbis C. *Lateranensis*, adest æquivalenter duplex præceptum: prius communicare semel in anno, posterius communicare tempore Paschæ.

(c) Circumstantia temporis sub gravi obligat; dilatio unius vel alterius diei est *per se* peccatum grave, quia est pars notabilis relate ad tempus paschale a jure communi præfixum [1]; sed ubi tempus concessum extenditur ad cen-

[1] ita *Gury*, De præcept. Eccles., n. 482; *Konings*, n. 550; *Sabetti*, n. 342.

tum fere dies, dilatio unius aut alterius diei, non censetur gravis, quia non est notabilis [1].

(d) Qui, incœpto paschali tempore, prævidet se impeditum iri quin postea communicet, tenetur quamprimum huic obligationi satisfacere, antequam oriatur impedimentum. Ita omnes, quia jam urget præceptum. Utrum autem idem necessarium sit quando impedimentum prævidetur, nondum incœpto illo tempore, valde controvertitur, et negatur a multis, quia talis communio non esset impletiva præcepti. Unde in praxi urgenda non est hæc obligatio. Expedit tamen ut, cum licentiâ parochi, anticipetur tempus paschale et ita præceptum impleatur.

133. 3° *Quoad locum :* (A) *Jure communi* (a) tenentur fideles communionem Paschalem in *propriâ parochiâ* recipere, i. e. in parochiâ domicilii aut quasi-domicilii, ut Pastores proprias oves cognoscere possint. Possunt tamen præcepto satisfacere in aliâ ecclesiâ, cum licentiâ S. Pontificis, Episcopi, Vicarii generalis aut proprii pastoris, vel qui in alienâ ecclesiâ de manu sui parochi suscipiunt. Non autem legem adimplent qui in ecclesiâ cathedrali suæ diœcesis recipiunt nisi Episcopus expresse vel tacite consentiat.

(b) Sacerdotes autem præcepto satisfaciunt ubicumque celebrant ; si communicent more laicorum, debent in propriâ parochiâ recipere.

(c) Regulares, et eorum familiares in ipso monasterio degentes, in propriis ecclesiis paschalem communionem recipere possunt, non autem famuli extra monasterium in atriis degentes.

(d) Vagi et peregrini in quâlibet ecclesiâ recipere valent ; milites vero in statione versantes recipere debent in parochiâ ubi commorantur.

(B) In *Statibus Fœderatis*, quum non adsint parœciæ proprie dictæ, stricte loquendo fideles satisfacere possunt præcepto in quâcumque ecclesiâ nisi tamen aliter dispositum fuerit in Statutis diœcesanis ; quæ proinde legenda sunt [2].

---

[1] Ita *Sabetti*, l. c.

[2] Pro diœcesi *Baltimorensi* vide Statuta (p. 18, XIV) ubi decernitur parochos solos et eorum vicarios jus habendi *Baptismum*, *Matri-*

III. De iis qui recipere prohibentur[1].

134. 1° *De pueris.* (a) Infantibus baptizatis olim conferebatur communio, quia capaces sunt augmenti gratiæ; hodie vero pueris, rationis usum nondum adeptis, deneganda est Eucharistia etiam in articulo mortis, propter periculum irreverentiæ. Constat ex Rituali.

(b) Pueris, qui rationis usu gaudent, et sunt in periculo mortis, non solum potest sed debet viaticum administrari, etiamsi annos non attigerint quibus dari solet prima communio; nam isti tenentur communicare in articulo mortis vi præcepti divini, et aliunde major dispositio ab ipsis exspectari nequit, quum sint morituri; hinc pastores illos instruere debent, et postea eisdem viaticum dare.

(c) Extra mortis articulum, pueri stricte loquendo possunt ad communionem admitti statim ac corpus Christi a vulgari cibo discernere valent; sed, propter majorem fructum, qui ex maturiori præparatione sperari potest, expedit ut tantisper *prima communio* differatur. Regula generalis a Conc. *Balt.* statuta est "neminem ante decimum annum Angelorum panis participem fieri debere, nec post annum quartum decimum cuivis ceteroquin digno esse negandum". Ibidem decernitur ut pueri peculiari studio ad primam communionem præparentur remote per instructiones, proxime per triduum spiritualium exercitiorum et generalem confessionem, et tandem ipsa dies primæ communionis maxima cum solemnitate celebretur[1]. (C. *Balt.* II, 261; *Balt.* III, 218.)

135. 2° *De amentibus:* (a) Perpetuo amentibus omnino neganda est Eucharistia, ex Rituali Romano.

---

monium, *E. Unct.*, *Viaticum*, et *Paschalem Communionem* suis subditis ministrandi in illis civitatibus in quibus plures reperiuntur ecclesiæ.

[1] *S. Thom.*, q. 80, a. 9; *S. Alphonsus*, n. 292-293; *Konings*, n. 1305; *Marc*, n. 1545 sq.; *Lehmk.* n. 146 sq.; *Sabetti*, n. 595; *O'Kane*, n. 635.

[2] De præparatione puerorum ad primam communionem vide *Dupanloup*, L'Œuvre par excellence, livre 4e; opus anglice redditum sub titulo The Ministry of Catechising, p. 361 sq.; *W. Stang*, Pastoral Theology, 1897, p. 56; *Amer. Eccles. Review*, Dec. 1895, p. 401.

(b) Amentibus, qui lucida habent intervalla, concedi potest dum sunt in statu luciditatis et quamdam devotionem exhibent.

(c) Illis qui usum rationis habuerunt, sed postea in perpetuam amentiam inciderunt, probabilius concedi potest in articulo mortis, dummodo christiane vixerint, et nullum sit irreverentiæ periculum, non autem extra hunc casum.

(d) Semi-fatuis, et senibus qui repuerascunt concedi potest, non solum in mortis periculo, sed tempore præcepti paschalis, imo et frequentius, si aliquam notitiam SS. Sacramenti habeant.

136. 3° *De delirantibus, epilepticis, surdo-mutis, tussi aut vomitu laborantibus, et capite damnatis.* (a) *Delirantibus*, aut illis qui *sensibus sunt destituti*, viaticum dari potest, si antea dispositi fuerint, et absit irreverentiæ periculum; expedit in primo casu particulam non consecratam prius præbere, ut appareat utrum infirmus decenter communicare possit.

(b) *Epilepticis et obsessis* dari potest communio, non quidem in actuali paroxysmo, sed quando sui compotes apparent.

(c) Illis qui simul *muti, surdi et cœci* sunt a nativitate denegari debet communio quia nullatenus possunt naturam cibi Eucharistici intelligere. *Surdo-mutis* a nativitate concedi debet sacra communio, quando discretionem sufficientem habent; si autem nullam discretionem exhibent, ipsis deneganda est.

(d) S. Eucharistia dari potest ægro qui *tussi* laborat, dummodo tussis non sit ita assidua ut impediat quominus hostia possit in stomachum transire. Quando infirmus frequenti *vomitu* laborat, non potest ipsi dari communio nisi moraliter constet sacram particulam posse in stomacho servari: hoc autem certum potest fieri sive medicum interrogando, sive prius dando aliquam particulam non consecratam, quando agitur de viatico.

(e) *Capite damnatis* olim in quibusdam regionibus denegabatur viaticum; talis usus reprobatus fuit a R. Pontificibus, et hodie nil prohibet quin illi communicent per modum viatici etiam ipso die executionis, dummodo tamen communio

per horam executionem præcedat, ita ut periculum irreverentiæ absit [1].

§ III. DE DISPOSITIONIBUS AD COMMUNIONEM REQUISITIS.

Expositâ necessitate Eucharistiæ, de dispositionibus ad licitam ejus receptionem disserere juvat: 1° de dispositionibus *animæ;* 2° de dispositionibus *corporis.*

I. De dispositionibus animæ [2].

137. Inter dispositiones animæ, aliæ requiruntur sub *gravi* præcepto, v. g. status gratiæ, aliæ *de consilio*, ut uberiores fructus percipiantur. De hisce ultimis pauca solum attingemus; hæ sunt: (a) *fides* viva, quâ quis intime persuasum habeat Christum esse vere et realiter in altari præsentem, cum omnibus thesauris suis; (b) *singularis reverentia* erga Majestatem divinam; (c) sincera *humilitas* ex indignitate nostrâ oriens; (d) ardens *desiderium* Christum suscipiendi; (e) flagrans erga ipsum *caritas.* Dispositiones autem quæ sub gravi requiruntur, sunt: 1° *status gratiæ;* 2° insuper in quibusdam casibus *confessio sacramentalis.*

138. 1° *Status gratiæ: Ad licitam susceptionem Eucharistiæ requiritur status gratiæ, prudenter existimatus. Certum est.* Dicitur *prudenter existimatus*, quia quum nemo absolute certus sit, absque speciali revelatione, se esse in statu gratiæ, sufficit illa prudens existimatio, quâ quis nullius mortalis peccati conscius est. Probatur:

(A) *Script.*, ex S. Paulo [3]: "Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat .... qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit". Unde sic: juxta S. Paulum, nemo accedere debet ad S. Eucharistiam antequam seipsum probet, secus sacrilegium committeret; atqui

[1] Meretricibus moribundis ac pœnitentibus præberi potest viaticum privatim, dummodo id fieri possit absque scandalo. Cfr. *Analecta ecclesiastica*, jul. 1896, p. 325.

[2] *S. Thom.* 3 p. q. 80, a. 3-6; *Suarez*, disp. 66; *Lugo*, disp. XIV; *S. Alphonsus*, n. 255 sq.; *Konings*, n. 1306 sq.; *Marc*, n. 1547 sq.; *Lehmk.* n. 149 sq.; *Sabetti*, n. 696 sq.

[3] *I Cor.* XI, 28, sq.

probatio de quâ agitur est discussio propriæ conscientiæ et excussio omnis saltem mortalis peccati, ut ex *contextu*, et *Trad.* constat ; ait enim Conc. *Trid.*[1] : " Ecclesiastica consuetudo declarat, eam *probationem* necessariam esse, ut nullus *sibi conscius mortalis peccati*, quantumvis sibi *contritus videatur*, absque *præmissa sacramentali confessione* ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod *a Christianis omnibus*, etiam ab iis sacerdotibus, quibus *ex officio incubuerit celebrare*, hæc sancta Synodus *perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris.* Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, *quamprimum confiteatur*".

(B) *Rat. theol.* Sacram. Eucharistiæ per modum *cibi* fuit institutum ; atqui cibus jam supponit vitam ; ergo Eucharistia jam supponit gratiam sanctificantem, quæ est animæ vita. *Indigna* communio est sacrilegium et quidem maximum ; non est tamen,ut quidam concionatores dicunt, maximum inter omnia peccata. Nam peccata quæ committuntur directe contra ipsam divinitatem, v. g. infidelitas, blasphemia, etc. majora sunt quam ea quæ committuntur contra humanitatem Christi, qualis est sacrilega communio. Horror igitur talis communionis merito instillandus est, ita tamen ut illi qui ex humano timore tale crimen commiserunt de suâ salute minime desperent.

139. 2° *De sacramentali confessione.* Conc. *Trid.* hac de re tria decernit : Quicumque conscius est peccati mortalis debet regulariter confessionem præmittere sacramentalem antequam recipiat, etiamsi esset perfecte contritus ; si autem desit copia confessarii et *simul* necessitas recipiendi, post actum contritionis perfectæ, recipere potest ; si sacerdos celebraverit, urgente necessitate, absque confessione, quamprimum confiteri debet.

140. (A) *De obligatione confitendi :* (a) Quando quis certe conscius est alicujus peccati mortalis, quod per sacr. Pœnitentiæ non fuit antea remissum, non potest, quantumvis contritus, ad sacramentum Eucharistiæ accedere, absque prævià sacramentali confessione. Patet ex *Trident.* supra

[1] Sess. XIII, cap. 7.

citato, et ex alio loco ubi excommunicatus declaratur qui contrarium docuerit : "Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat" (l. c. can. 11).

(b) In casu mortalis peccati *dubie commissi*, non adest obligatio stricta confitendi, quamvis in praxi omnino suadenda sit confessio in hoc casu, nisi quis sit scrupulosus ; si autem peccatum sit certum, et ejus remissio dubia, juxta æquiprobabilistas, adest obligatio confitendi ; juxta probabilistas, talis obligatio non urget.

(c) Qui ante communionem recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione non declaravit in confessione, non tenetur ante communionem confiteri, quia tale peccatum fuit indirecte per absolutionem remissum.

141. (B) *Exceptio huic regulæ :* Qui conscius est peccati mortalis potest, per exceptionem, recipere post elicitum actum perfectæ contritionis, sine confessione, dummodo adsit *simul necessitas communicandi*, et *defectus confessarii.*

Adest autem *necessitas :* (a) quando agitur de consecrandâ hostiâ pro moribundis ; (b) quando communio non potest omitti sine scandalo, v. g. si laicus jam sacræ mensæ accesserit, aut si sacerdos jam altare ascenderit, aut a fortiori jam inchoaverit sacrificium ; (c) quando pastor, aut ejus assistens, debet celebrare ex officio, in die festo, aut cantare Missam pro defunctis, præsente cadavere, non autem si agatur de Missâ quotidianâ.

Adest *defectus confessarii :* (a) quando nullus est sacerdos præsens qui facultatem habeat absolvendi, et simul vicinior ita distat ut, spectatis circumstantiis temporis, locorum et sanitatis, sine magno incommodo, adiri nequeat ; unde non sufficit ut consuetus confessarius absit; (b) quando adest confessarius sed non approbatus, aut approbatus qui nolit aut non possit audire confessiones ; quando confessarius adest, sed jurisdictione carens quoad reservata, si ille qui vult celebrare habeat solummodo peccata reservata, non tenetur stricte ea confiteri ; si autem habeat simul reservata et non reservata, probabilius tenetur posteriora accusare, ut possit directe absolvi a non reservatis et indi-

recte a reservatis ; (c) quando non potest confessio fieri sacerdoti præsenti, sine gravi damno, distincto ab incommodo ipsi confessioni intrinseco, v. g. timore bene fundato scandalum præbendi. Cavendum est tamen ne humano pudore quis decipiatur, et in praxi, ut conscientiæ pax servetur, confessio præmittatur quotiescumque possibilis est.

142. (C) *De clausulâ "quamprimum"*. Sacerdos qui, urgente necessitate, absque præviâ confessione celebravit, debet quamprimum confiteri, ut expresse declarat *Trid.* (a) Hæc obligatio est *pro sacerdotibus*, non pro laicis, imo pro sacerdotibus celebrantibus, non pro iis qui communicant more laicorum. (b) Est obligatio vera, non autem merum consilium, ut constat ex prop. ab *Alex. VII* damnatâ (*Denzing.* 1009). (c) Obligatio debet quam primum adimpleri, i. e. intra triduum, juxta communem interpretationem, seu primâ datâ opportunitate. Insuper si sacerdos prævideat futuram esse necessitatem celebrandi sequenti die, et adsit copia confessarii, non potest diutius differre. Ab *Alex. VII* damnata est sequens propositio : "illa particula *quamprimum* intelligitur cum sacerdos suo tempore confitebitur".

II. De dispositionibus ex parte corporis [1].

Duæ sunt : 1° *Jejunium ;* 2° *Decentia.*

1° *Jejunium.*

143. (A) *Ejus natura.* Jejunium *naturale*, ad sacram communionem requisitum, est *abstinentia a quâcumque re, quæ sumitur per modum cibi, potus, aut medicinæ, etiam in minimâ quantitate, post mediam noctem.* Proinde ad frangendum jejunium quatuor requiruntur :

(a) Ut quod sumitur, *ab extrinseco* proveniat : hinc sanguis ex *interiori* capite vel *gengivis* manans, aut saliva non frangunt jejunium, etiamsi ex industriâ deglutiantur ; e contra sanguis ex digitis fluens, lacrymæ ex oculis manantes

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 80, a. 8 ; *Suarez*, disp. 68, sect. 3 sq. ; *Lugo*, disp. XV, sect. 2-4 ; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 271 sq. ; *Konings*, n. 1308 sq. ; *Marc*, n. 1556 sq. ; *Lehmk.* n. 159 sq. ; *Sabetti*, n. 698 sq. ; *Many*, n. 171.

posteaque absorptæ, aut saccharum in os immissum et post mediam noctem sese resolvens, jejunium frangunt; trajectio *reliquiarum cibi* quæ hærent inter dentes certo non frangunt jejunium, si sit involuntaria; si autem sit voluntaria, res dubia est, sed juxta *S. Ligor.*, probabilior sententia affirmat frangi jejunium, licet alii probabiliter contradicant.

(b) Ut quod sumitur sit *digestibile* saltem aliquo modo, non autem requiritur ut nutriat. Hinc jejunium non frangitur ab eo qui deglutit vitrum, capillos, sericum, lanam, metallum, ossicula fructuum omnino depurata, et forsan paleam; frangitur ab illo qui deglutit ungues, ossa, ceram, cretam.

(c) Ut sumatur per modum *cibi*, *potus*, *aut medicinæ*: hinc jejunium non frangitur, si aliquid sumatur per modum *salivæ*, v. g. si quis os lavando, deglutiat paucas stillas aquæ, aut per modum *respirationis*, v. g. si quis respirando, muscam aut nivem attrahat fortuito; aut per modum *attractionis*, v. g. si quis tabacum aspiret; imo tabacum dentibus attritum probabilius ex se non frangit jejunium, dummodo succus exspuatur; attamen masticatio ante communionem a veniali non excusatur, propter indecentiam [1]. In stomachum autem aliquid transmittere *ex proposito* per nares aut respirationem, frangit jejunium.

(d) Ut aliquid sumatur post *mediam noctem;* tempus *physice*, non moraliter computandum est, ac proinde qui comedit post primum horæ ictum jam non est jejunus; tempus potest determinari ex horologiis publicis, aut e meridiano, ad libitum. Inter horologia dissonantia licet quodvis sequi, etiam ultimum, modo non constet illud errare. In dubio

[1] Clysterium nutriens non frangit jejunium, quia non sumitur per modum cibi vel potus. Ita *Capelmann*, op. cit. p. 123. — Dubitatur autem utrum lavare stomachum ope tubuli *(pompe gastrique, stomach-pump)* frangat jejunium; si tubulus oleo liniatur, ut quandoque fit, jejunium violatur; secus, probabile est non violari, quia quod sic in stomachum transmittitur, posteaque expellitur, non sumitur per modum comestionis vel potationis. Quidquid sit, licentia tali instrumento utendi cuidam sacerdoti a S. Officio concessa est 23 ap. 1890. Cfr. *Canoniste*, mars 1897, p. 143.

utrum quis jejunium fregerit, potest communicare, quia probanda est fractio legis priusquam quis communicare prohibeatur [1].

144. (B) *Obligatio. Jejunium supra explicatum, sub gravi, lege ecclesiasticâ præscribitur.*

(a) Illa lex est antiquissima, cum de eâ loquatur *S. Augustinus* (Epist. 54 ad Januar.), sancita fuit a pluribus Conciliis præsertim *Carthaginensi* (397) et *Constantiensi* (1418) [2].

(b) Convenienter statuta fuit propter reverentiam huic sacramento debitam: ut fideles melius intelligant corpus Christi primarium eorum cibum esse; et mens sit liberior et expeditior ad res spirituales tractandas (*S. Th.* q. 80, a. 8). Naturalis pariter reverentia exigit, ut nullâ saltem causâ urgente, communicans ab esu et potu abstineat donec sacræ species consumptæ fuerint.

145. (C) *Causæ excusantes:* Quatuor præcipuæ causæ a jejunio Eucharistico excusant:

(a) *Necessitas sacrificium perficiendi;* nam lex circa integritatem sacrificii est divina et legi ecclesiasticæ præstat. Hinc si sacerdos, post consecrationem, recordetur se non esse jejunum, debet tamen sacrificium Missæ perficere, item si sacerdos animadvertat se, communionis instanti, pro vino sumpsisse aquam; si accidat ut sacerdos post consecrationem deficiat, alter, etiam non jejunus, complere debet sacrificium.

(b) *Necessitas vitandi scandalum;* v. g. si sacerdos in publico celebrans recordetur, Missâ jam incœptâ, se non esse jejunum, et non possit sine scandalo discedere; iterum die dominicâ aut festo obligationis, parochus non jejunus potest, deficiente alio sacerdote jejuno, pro populo Missam celebrare, si ex non celebratione *scandalum* timeatur, prout sæpe contingit, nisi pastor sit optime notus; secus vero si

[1] Si quis inter comedendum vel bibendum primum pulsum horæ duodecimæ audiat, non tenetur quod in ore habet exspuere, quia ad hoc Ecclesia non censetur obligare velle.

[2] Imo *Tertullianus* (ad Uxorem, l. II, c. 5; de Orat. c. 14), necnon *S. Cyprianus* (Ep. 63) hanc praxim commemorant, et nonnulli putant eam ab Apostolis, si non præscriptam, saltem commendatam fuisse Cf. *Corblet*, op. cit., l. VIII, c. I, a. 2, § 2.

nullum timeatur scandalum, vel si notum sit parochum non esse jejunum : quo casu scandalum ex ipsâ celebratione oriretur.

(c) *Necessitas vitandi irreverentiam* erga SS. Sacramentum, v. g. si periculum sit ne sacra hostia pereat, vel male tractetur ab hæreticis ; item si sacerdos post ablutionem inveniat particulas sacras eâdem Missa consecratas ; vi ejusdem principii, si hostia palato adhæreat, post sumptionem calicis, potest aquam sumere ut hostiam deglutiat.

(d) *Periculum proximum mortis* prudenter existimatum ; tunc enim communio ministratur per modum viatici ; non requiritur ut periculum sit certum, sed vere probabile. Durante eodem periculo mortis, infirmo, non jejuno, iterum dari potest communio frequenter, imo quotidie, si agatur de eo qui quotidie communicare consueverat ; si autem morbus non sit periculosus, etiamsi diuturnus, non licet, sine speciali licentiâ S. Pontificis, dare communionem infirmo non jejuno, etiam tempore Paschali [1] ; sed in tali casu posset dari communio statim post mediam noctem. Insuper, juxta *Lehmkuhl* (n. 161) probabile est licere sacerdoti non jejuno Missam celebrare, imo binare, ad ministrandum viaticum in casu extremæ necessitatis, si species consecratæ desint : lex enim divina viaticum recipiendi legi ecclesiasticæ anteponi debet.

146. 2° *Decentia corporis.*

1° Jure naturali requiritur ad S. communionem ea *corporis et vestium compositio* quæ internam animæ devotionem exhibeat ; ratio est quia SS. Sacramento non solum interna, sed etiam externa debetur veneratio. Hinc (a) mulieres in modesto ornatu ad sacram mensam accedere debent ; si quæ nudato pectore accederent in regionibus ubi hoc a mortali excusari nequit, ipsis prudenter deneganda esset S. communio. (b) Convenit ut milites communicantes, depositis

[1] Quidam auctores putant id fieri posse tempore paschali, etiam absque indulto, si hoc facile obtineri nequeat, quia præceptum de communione annuâ, utpote determinativum juris divini, præcepto mere ecclesiastico præstantius est. Cfr. *Gasparri*, n. 1129. Indultum autem sat facile conceditur a *S. Officio*, vi cujus infirmi jejunare non valentes possunt communicare bis in mense, etiamsi aliquid sumpserint per *modum potûs*.

armis, ad sacram mensam accedant. (c) Clerici in superpelliceo, sacerdotes cum stolâ communicare debent.

2° Ex se *nulla corporis macula* impedit a communione suscipiendâ, quia puritatem animæ non minuit. Si autem deformitas aliqua sit temporanea, melius est paucis diebus exspectare, donec auferatur, propter reverentiam huic sacramento debitam. (a) Hinc sacerdos infectus leprâ, aut aliâ infirmitate horrorem excitante, celebrare potest privatim, sed non in publico, ne mirationem publicam excitet. (b) Pollutio involuntaria tum in se tum in suâ causâ, quæ præcedente nocte occurrerit, non impedit S. communionem, nisi perturbationem mentis creaverit; quo in casu, melius esset differre ad sequentem diem, nisi specialis ratio esset hâc ipsâ die communicandi.

III. De dispositionibus requisitis ad frequentem communionem[1].

147. *Status quæstionis :* Expositis dispositionibus quæ pro omnibus ad communionem requiruntur, dicendum superest de dispositionibus ad frequentem communionem requisitis.

(A) Frequens communio hodie vocatur ea quæ pluries fit in hebdomadâ, etiam sine præviâ confessione. Tempore S. Francisci Salesii uti frequens reputabatur etiam communio hebdomadaria.

(B) Circa frequentem communionem duplex est excessus vitandus; (a) excessus *Jansenistarum* qui tot et tam perfectas conditiones ad illam requirebant ut nullus fere esset qui frequenter posset communicare[2]; (b) excessus aliorum qui contendunt frequentem communionem esse jure divino præscriptam, et quotidianam communionem omnibus statum gratiæ habentibus consuli posse.

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 80, a. 10; *Lugo*, disp. XVII; *Billuart*, diss. VI, a. 1, § 5; *S. Alphonsus*, Praxis Confessarii, n. 149 sq.; *Konings*, 1312 s.; *Marc*, 1575 sq.; *Lehmk.* 156; *Dalgairns*, op. cit. p. 111; *Ami du Clergé*, 1 juil. 1897, 3 mars 1898, 5 mai 1898 etc.

[2] Has conditiones late exposuit *Arnauld*, De la Fréquente Communion, 1643; cujus errores confutavit, inter alios, *Petavius*, De Pœnitentiâ publicâ et præparatione ad communionem, t. 8 oper. ed. *Vivès*, p. 197 sq.

Unde exponemus : 1° *utilitatem* communionis frequentis; 2° *consectaria* inde deducenda, secundum recens Decretum *S. C. Concilii*, 20 dec. 1905, a *Pio X* approbatum. [1]

148. 1° *Thesis :* **Communio frequens et quotidiana utilis est iis qui in statu gratiæ et cum rectâ piâque mente ad sacram mensam accedunt.**

Probatur. (A) Ex *naturâ* ipsius sacramenti. (a) Christus enim instituit hoc sacramentum *per modum cibi;* cibus autem frequenter sumitur ut vires corporis reparentur et augeantur : " Ex quâ comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebræi quotidie refecti sunt, ita animam christianam cœlesti pane vesci posse quotidie ac recreari.[2] " (b) Ex *effectibus* Eucharistiæ supra descriptis, n. 102-113, inferri potest communionem frequentem prodesse non solum *perfectis*, qui in virtutibus proficere volunt, sed etiam *peccatoribus*, qui sincere a spiritualibus morbis curari futuraque peccata præcavere intendunt. Ad rem præfatum Decretum : "Desiderium vero Jesu Christi et Ecclesiæ ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo conjuncti, *robur* inde capiant ad compescendam libidinem, ad *leves culpas* quæ quotidie occurrunt obluendas, et ad *graviora peccata*, quibus humana fragilitas est obnoxia, præcavenda : non autem præcipue ut Domini honori ac venerationi consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut præmium sit suarum virtutum. "

(B) *Ex praxi Ecclesiæ* [3]. " Hanc Dei voluntatem, juxta præfatum Decretum, priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitæ ac fortitudinis mensam accurrebant : "Erant perseverantes in doctrinâ Apostolorum et communicatione fractionis panis [4]. " (a) Sæculis posterioribus usque ad *quintum*, frequens admodum erat communio : fideles corpus Christi recipere solebant quoties missæ assistebant, idest, bis, ter, vel quater in hebdomade, secundum diversa tempora et loca. (b) A *quinto* et præsertim *nono* sæc., refri-

[1] Ap. *Acta S. Sedis*, t. XXXVIII, p. 400-406.

[2] Ita e prælaudato Decreto.

[3] Cfr. *Dublanchy*, in Dict. de Théol. (Mangenot), t. III, p. 515-552, cum auctoribus ibi allegatis. — [4] *Act.*, II, 42.

gescente caritate, minus frequens evadit communio : in quibusdam ecclesiis, viget hebdomadaria communio inter devotos; sed plerumque nonnisi præcipuis festis corpus Christi recipiebatur; de quo queruntur Patres et theologi. (c) A *sæculo XIII ad XVI*, præcipui theologi, post *S. Thomam* et *S. Bonaventuram*, utilitatem frequentis et quotidianæ communionis prædicant, præsertim quando exinde augetur fervor; attamen etiam devoti nonnisi semel in hebdomade plerumque cummunicabant. (d) *Tridentinum* optaret " ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent [1]; *S. C. Concilii*, approbante *Innocentio XI*, 12 febr. 1679, declaravit omnes cujusvis cœtûs, mercatoribus atque conjugatis minime exceptis, ad communionis frequentiam admitti posse, juxta singulorum pietatem et sui cujusque confessarii judicium. Attamen, vigente Jansenianâ hæresi, non pauci, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiæ debiti, a frequenti communione abstinuerunt. (e) Sæculo XIX mediante, instantibus undique sacerdotibus præsertim Regularibus, crebrior evasit Eucharistiæ receptio; quam praxim recenter confirmavit et ampliavit prælaudatum S. C. C. Decretum, 20 dec. 1906.

149. Declaratur. Ad thesim exponendam, utemur ipsis præfati Decreti verbis (n. 2) : " Recta autem mens in eo est ut qui ad sacram mensam accedit non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere." Duo igitur, præter statum gratiæ, ad frequentem communionem desiderantur : (a) *recta intentio*, quâ vitentur humana motiva, et foveatur votum arctioris cum Deo unionis; (b) aliquod *sincerum proficiendi desiderium*, quo paulatim nostris defectibus occurramus, ideoque in virtutibus proficiamus : non enim vitia nostra emendare valemus nisi simul positive virtutes contrarias excolamus.

150. Non autem *requiritur*, etsi maxime *expediat*, ut frequenter et quotidie communicantes sint immunes ab affectu venialium, prout olim multi theologi docuerant, post *S. Franciscum Salesium* et *S. Alphonsum.* [2] Id enim aperte

[1] Sess. XXII, cap. 6; cfr. sess. XIII, cap. 8.

[2] Juxta *S. Fr. Sales* (Vie dévote, 2e Part., ch. 20), immunitas ab affectu peccati venialis requiritur ad *octiduam* confessionem; juxta *S. Alphonsum* (Praxis, n. 152), eadem dispositio requiritur non ad octiduam, sed ad frequentem communionem.

declarat præfatum decretum (n. 3) : " Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidianâ communione utentes, venialibus peccatis saltem plane deliberatis eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos : quo sincero animi proposito fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant." Ratio est quia frequenter communicantes cum rectâ intentione, paulatim ab isto affectu se expediunt.

Curandum est tamen ut *sedula præparatio* sacram communionem antecedat et congrua gratiarum actio sequatur, quo majores fructus inde percipi valeant (Decret., n. 4.) : "Cum vero sacramenta N. Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, majorem tamen producant effectum quo majores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem præparatio antecedat et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia."

151. 2° **Corollaria practica.** (a) *Omnibus christianis*, non exceptis impuberibus, qui præfatas dispositiones præ se ferunt, enixe suadendum est ut frequenter communicent.

" Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidianâ S. Eucharistiæ sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et æternæ felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores... christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur [1]." Quod quidem maxime valet quoad *religiosa Instituta* et clericorum *Seminaria* : " Communio frequens et quotidiana præsertim in religiosis Intitutis cujusvis generis promoveatur, pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum*... Quam maxime quoque promoveatur in clericorum seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio ; item in aliis christianis omne genus ephebeis [2]."

(b) Quando, in regulis aut constitutionibus Religiosorum, communiones aliquibus diebus affixæ inveniantur, hæ normæ tanquam *directivæ*, non autem *præceptivæ* habendæ sunt. " Præscriptus vero communionum numerus haberi debet ut *quid minimum* pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus

[1] Decretum, n. 6. — Cfr. *S. C. Conc.*, 15 sept. 1906, *Acta*, t. XXXIX, 510.
[2] Decretum, n. 7.

ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, juxta normas superius in hoc decreto traditas "[1]. Ad quod efficacius promovendum, hoc Decretum quotannis vernaculâ linguâ in communi legi debet infra Octavam festivitatis Corporis Christi.

(c) Juxta præfatum Decretum, ad solum confessarium pertinet de frequentiâ communionis judicare. Hinc *superiores* vel *superiorissæ* communitatum non debent, pro libitu suo, subditorum communiones definire; possunt tamen prohibere ne communionem recipiant subditi qui *scandalum* vel *gravem externam* culpam commisserunt, donec ad sacrum tribunal denuo accesserint. Confessarius tamen debet et ipse regulariter stare regulis a competenti auctoritate statutis, et, nonnisi ex speciali ratione, privare debet monialem a communione per regulam permissâ, aut frequentiorem concedere[2].

(d) Confessarius communionis frequentiam determinare debet præsertim ex fructu in ejus receptione percepto, et attendere non solum ad progressum in fervorem, sed etiam ad tentationes quibus pœnitens impugnatur, et ad victorias supra tentationes reportatas. Hinc concedi potest frequens communio illis qui etiam in peccata mortalia labuntur, dummodo strenue pugnent et sese emendare velint, quo efficacius pravos habitus eradicare valeant.

(f) Confessarius attendere etiam debet ad pœnitentis conditionem, ejusque vitæ statum, et cavere ne frequens communio ab officiis vitæ deterreat. Hinc, primis conversionis temporibus, nimis frequenter communio concedi non debet, ne superbia foveatur, et fervor brevi in teporem convertatur.

---

[1] Decretum, n. 8.

[2] " Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram synaxim accedenti, eadem Sanctitas sua decernit, hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimum sacramentalen confessionem communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ sacramentum denuo accesserit.

Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim curent diligenter se præparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti pote-

(g) Tandem insinuare curet ut, post communionem, gratiarum actio fiat, saltem per unum quadrantem, nisi necessitas excuset; nam communionis fructus multum a gratiarum actione pendet.

152. *Corollarium : de spirituali communione.* Optima sane præparatio ad frequentem S. Eucharistiæ receptionem est spiritualis communio, quæ consistit in pio desiderio Christum suscipiendi, ut eidem arctiori vinculo per ejus virtutum imitationem uniamur. Tres præcipuos complectitur actus : (a) actum vividæ fidei in realem Christi præsentiam; (b) piam recollectionem spiritualium beneficiorum quæ passione suâ Dominus meruit, et in sacrâ communione unicuique nostrum largitur; (c) amorem erga Christum, et desiderium eum in S. Eucharistiâ, si fieri possit, recipiendi, ut ejus virtutum participes effecti, eidem simillimi reddamur. Quæ quidem feliciter expressa invenire est in oratione " O Jesu vivens in Mariâ, veni et vive in famulis tuis...", quæ in Seminariis S. Sulpitii in fine meditationis recitatur.

Communio spiritualis omni tempore et loco fieri potest, præsertim vero quando quis Missæ assistit, vel Sanctissimum visitat. Hoc exercitio innumeræ obtinentur gratiæ, cum Deus pia suorum desideria complere non dedignetur, et in sacrâ communione eo majora beneficia largiatur quo ferventius optata fuerint : " Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes " (*Luc.* I, 53).

rit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianæ communionis, de hoc certiorem reddere superiorem teneatur; quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communiones, eas confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit ". (*S. Congr. Episcop. et Reg.* Decret. *Quemadmodum*, 17 Dec. 1890.)

Caput III.

DE SACRIFICIO MISSÆ[1].

Art. I. De notione, existentiâ et essentiâ hujus sacrificii.

1. Notio sacrificii Missæ.

Ut dilucidius explanetur, dicemus 1° quid sit *sacrificium in genere*, et 2° quid sit *sacrificium Missæ*.

153. 1° *Notio sacrificii in genere.* Vox *sacrificium* idem sonat ac sacrum facere, proindeque designat actionem quâ aliquid sacrum efficitur. *Lato sensu* definitur quodcumque opus bonum, sive internum sive externum, in honorem Dei elicitum ; hoc sensu dicitur : " Immola Deo sacrificium laudis "[2]. *Stricto sensu*, prout est specialis actus religionis, definitur : *oblatio rei sensibilis, ejusque destructio vel mutatio, a ministro legitimo soli Deo facta, ad supremum ejus dominium agnoscendum, ejusque justitiam placandam in statu naturæ lapsæ.* Quæ quidem definitio jam explicata fuit (*de Verbo Incarn.* n. 220), ubi etiam sacrificii *species*, *fundamentum* et *originem* declaravimus (221-225).

Ad sacrificium igitur quatuor præsertim requiruntur : (a) *oblatio rei sensibilis*, quâ offerens significat velle seipsum, cum victimâ, Deo dedicare ; res autem oblata debet esse *sensibilis*, quia sacrificium proprie dictum est actus cultus publici, externaque manifestatio internæ religionis ; (b) *immutatio victimæ*, sive *physica* per veram immolationem, sive *moralis* victimam in statu humiliori constituendo,

---

[1] Cfr. *Gihr*, Le S. sacrifice de la Messe, son explication dogmatique, liturgique et ascétique, tr. par L. T. Moccand, Paris, 1894; *Thalhofer*, Handbuch der catholischen Liturgie, 2 vol. 1887-1893 ; *Schanz*, Die Lehre von den heilige Sacramenten, 1893.

[2] *Ps.* XLIX, 14.

ut sic melius agnoscatur supremum Dei dominium, qui solus est vitæ et mortis auctor, solusque jus habet ut vivat et glorificetur ; (c) *legitimus minister*, ut acceptus mediator esse possit inter Deum et societatem ; (d) *supremi Dei dominii recognitio :* hic est enim sacrificii *finis essentialis*, cui tamen alius additur in statu naturæ lapsæ, videlicet satisfactio pro offensis Deo irrogatis.

154. 2° *Definitio sacrificii Missæ.*

(A) *Quoad nomen :* Apud Græcos, sacrificium Missæ vocatur μυσταγωγία, i. e. peractio mysterii, ἱερουργία seu actio sacra, λατρεία, cultus. Apud Latinos vocatur *collecta* seu conventus, *agenda*, seu actio per excellentiam, sed præsertim *Missa;* quoad nomen, juxta quosdam, venit ex hebraico *Missah*, (spontanea oblatio) ; sed immerito ; nam vox illa non significat spontaneam oblationem, et aliunde sacrificium eucharisticum non cœpit vocari *Missa* nisi quarto sæculo ; communiter autem derivatur a latinâ voce *mitto*, quia, post sermonem, ante offertorium, catechumeni dimittebantur, juxta illud *S. Augustini :* " Post sermonem, fit *Missa* catechumenis, manebunt fideles " ; hinc etiam hodie, in fine sacrificii dicitur : " Ite, missa est ", i. e. recedite, vobis datur *missio*, seu licentia abeundi.

(B) *Quoad rem* : Sacrificium Missæ definitur : *sacrificium novæ Legis, in quo Christus offertur et incruente immolatur, sub speciebus panis et vini, per hominem ministrum pro Ecclesiâ ad agnoscendum Dei dominium supremum, nobisque applicandum satisfactiones et merita suæ passionis.* Dicitur :

(a) Sacrificium *novæ Legis*, ut sic distinguatur a sacrificiis *V. Legis* quæ solum figurativa erant, dum sacrificium Missæ est figurarum completio.

(b) In quo *Christus* etc. : quibus verbis indicatur tum *victima*, tum *principalis sacerdos*, qui Christus est ; ipse enim realiter præsens in Eucharistiâ seipsum Deo offert et immolat.

(c) Sub *speciebus* etc. : hic indicatur *modus* quo fit sacrificium Missæ ; Christus enim non immolatur modo visibili et cruento super altare, ut in cruce factum est, sed modo invisibili et *incruento*, qui tamen sensibiliter per separationem specierum exprimitur.

(d) Per hominem *ministrum :* i. e. per sacerdotem legitime consecratum, qui est minister secundarius hujus sacrificii, dum Christus ipse remanet principalis minister.
(e) Pro *Ecclesiâ :* tale enim sacrificium offertur pro universali Ecclesiâ militante, sed secundario tamen pro Ecclesiâ in purgatorio patiente, imo et in honorem Sanctorum qui Ecclesiam triumphantem constituunt.
(f) Ad *agnoscendum* etc. : quibus verbis duplex *finis* sacrificii Missæ innuitur, primarius quidem gloria Dei, secundarius autem, applicatio fructuum passionis unicuique fidelium.

155. Hinc sacrificium Missæ convenit quidem cum sacramento Eucharistiæ, in eo quod utrumque sit *signum sensibile* et *sacrum*, ad gloriam Dei et salutem animarum conducens ; sed sacrificium a sacramento differt : (a) ratione *essentiæ :* prius enim essentialiter consistit in actione *transitoriâ*, quâ victima immolatur, posterius in re ex se *permanenti ;* (b) ratione *finis :* prius *primario* ad Dei gloriam et cultum, posterius *directe* ad nostram sanctificationem refertur; (c) ratione *subjecti :* prius directe et per se pro *multis* offertur multisque prodest, dum posterius directe *soli* suscipienti prodest.

II. De existentiâ sacrificii Missæ[1].

156. *Errores.* (a) *Lutherus* doctrinam de sacrificio Missæ primum retinuerat ; postea autem, suadente diabolo ut ipse fatetur, eam ut impiam et sacrificio crucis injuriosam rejecit[2] ; et hodierni Lutherani, dum præsentiam realem retinent, negant confectionem illius esse sacrificium. (b) *Calvinistæ*, qui præsentiam realem negant, eo ipso rejiciunt sacrificium Missæ, imo doctrinam catholicam exhibent

[1] *S. Thom.* q. 83, a. 1 ; *Suarez*, disp. 74 ; *Bellarminus*, l. V, c. 5-27 ; *Lugo*, disp. XIX, s. 2 ; *Drouin*, de Sacrificio euch. q. IV ; *Billuart*, diss. VIII, a. 1 ; *Franzelin*, de Sacrificio, th. 8-11 ; *Stentrup*, Soteriologia, th. 84-87 ; *Rosset*, n. 1024 sq. ; *de Augustinis*, th. 14-15 ; *Pesch*, n. 852 sq. ; *Billot*, th. 53; *Sasse*, th. 20-24.

[2] Cf. *O' Connor*, Luther's own Statements, p. 13 ubi narrat se mediâ nocte cum diabolo disputâsse, posteaque argumenta refert, quibus diabolus Missam, præsertim privatam impugnat.

ut multis abusibus ansam præbentem [1]. (c) *Anglicani*, sub Henrico VIII, sacrificium Missæ retinuerant, paucis in Liturgiâ mutatis, sed, sub Eduardo VI, declaratum fuit "Missarum sacrificia blasphema figmenta esse et perniciosas imposturas" (art. XXXI). Nostris tamen diebus, quidam inter Anglicanos, Ritualistæ vocati, tum præsentiam realem, tum sacrificium Missæ de novo admiserunt [2].

157. *Thesis:* **Missa est verum et proprie dictum sacrificium N. Legis.** *De fide* est contra Novatores ex *Trident.* (Sess. XXII, can. 1): "Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari: A. S."

1° *Script.* ex *Vet. Test.* Inter prophetias, quæ sacrificium Missæ prænuntiant, celebre est vaticinium *Malachiæ*, in qua, post prædictam veterum sacrificiorum abrogationem, novum et perfectius annuntiatur sacrificium: "Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda" [3]. Quæ quidem verba de sacrificio Missæ prædicata sunt, ut a *Trident.* declaratur (Sess. XXII, cap. I): "Et hæc quidem illa munda oblatio est . . . quam Dominus per Malachiam nomini suo..., in omni loco mundam offerendam prædixit". Revera ibi prænuntiatur sacrificium (a) *novum*, quum sit judaicis sacrificiis subrogandum: "Munus non suscipiam de manu vestrâ"; (b) *proprie dictum*, nam vox hebraica *Minchah*, quæ latinæ voci *oblatio* respondet, sensu *profano* donum, seu munus nobilioribus personis oblatum significat, sensu autem *sacro* seu liturgico, prout hic sumitur, sacrificium præsertim incruentum, constans farinâ, polentâ aut libis, quod describitur in capite secundo *Levitici* [4]; quæ

1 Ita *Hodge*, System. theol. III, p. 688.

2 Cf. *Morgan Dix*, The sacramental system, p. 171.

3 *Malach.* I, 10-11. Cf. *Corluy*, Spicilegium, vol II, p. 398 sq.

4 Hâc de re audiatur protestans auctor, *A. Cave* (The Scripture doctrine of sacrifice, 1877, p. 479): "*Minchah*, a radice *manach* (dare)

interpretatio *contextu* firmatur, nam eadem vox *minchah* versu 10 ad designanda Judæorum sacrificia usurpatur, quæ certe vera sacrificia erant; insuper voces hebraicæ *muqtar*, *muggash*, quæ stant pro *sacrificatur* et *offertur* sunt *sacrificales* seu de sacrificiis proprie dictis prædicantur; tandem sacrificia improprie dicta semper in usu fuerunt, nec proinde tam emphatice prædici indigebant; (c) *universale*, nam declaratur illud in omnibus gentibus, in omni loco offerendum esse; siquidem "*ab ortu solis usque ad occasum*" totum orbem terrarum designat, ut patet ex parallelis locis [1]; aliunde additur "*in Gentibus*", quo vocabulo plurali non Judæi ipsi, sed populi Israelitis alieni designabantur; tandem "*in omni loco*" dicitur per oppositionem ad sacrificia judaica quæ in *uno* loco offerebantur; (d) *mundum*, seu purum et Deo gratum.

Atqui tale sacrificium non potest esse sacrificium Aaroniticum, nec sacrificium crucis, nec sacrificium bonorum operum, sed est sacrificium Missæ; (a) non est sacrificium Aaroniticum, quod declaratur abrogandum esse, et in solo templo Jerusalem offerebatur; (b) non est sacrificium crucis: licet enim sit novum et perfectum, tamen non est oblatum in omni loco, sed in uno, prope Jerusalem, et quidem modo cruento, dum *minchah* potius incruentum designat sacrificium; (c) nec est sacrificium bonorum operum, quod est improprie dictum, nec succedere sacrificiis judaicis dici potest, quum ante illa et simul cum illis jam in usu fuerit; (d) remanet igitur ut sit *sacrificium Missæ*, quod est simul *novum*, quatenus veteribus sacrificiis successit; *proprie dictum*, ut infra ostendetur; *universale*, utpote celebratum

multiplici sensu adhibetur, qui clarissime semper ob contextum detegitur, atque eamdem ideam exprimit fundamentalem. Aliquando ad farinæ oblationem significandam adhibetur, prout in Levitico describitur; aliquando ampliorem habet sensum et incruenta sacrificia exhibet per oppositionem ad cruenta, exempli gratia *Psal.* XXXIX, 7; *Isa.* XIX, 21; *Dan.* IX, 27. Aliquando vero sacrificium cruentum, sicut agni oblationem mane aut vespere factam, exempli gratia III *Reg.* XVIII, 29; IV *Reg.*, III, 20; *Psal.* CXII, 2; *Dan.* IX, 21."

[1] Ps. XLIX, 1; CVI, 3; CXII, 3.

ubique terrarum, *incruentum*, optimeque vocabulo *minchah* respondens, quod de sacrificio farinaceo præsertim dicitur ; *mundum*, quum hæc sit oblatio munda, quæ nullâ offerentium iniquitate possit inquinari. Ergo.

Confirmatur ex *Ps.* CIX, 4 ubi dicitur : "Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech". Hunc psalmum messianicum esse, et ad Christum referri constat ex variis locis [1]. Unde sic : Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ac proinde sacrificium offerre debuit eodem substantialiter ritu, eodem modo ac Melchisedech, sc. sacrificium panis et vini [2] ; atqui nisi sacrificium eucharisticum, sub speciebus panis et vini oblatum, sit verum et proprie dictum sacrificium, Christus nunquam panem et vinum obtulit, nec vocari potest sacerdos secundum ordinem Melchisedech ; ergo.

158. *Ex N. Test.* (a) Ex verbis institutionis Eucharistiæ [3] sic argumentari licet : in ultimâ cœnâ, Christus, Eucharistiam instituendo, verum sacrificium, licet incruentum obtulit ; atqui Apostolis præcepit facere in Missâ quod ipse in cœnâ fecerat, juxta illud : "Hoc facite in meam commemorationem" ; ergo Missa est verum sacrificium, licet incruentum.

Probo *majorem.* Christus enim non simpliciter dixit : "Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus", sed addidit de corpore "quod pro vobis datur" τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, "quod pro vobis traditur", et de sanguine "qui pro vobis effunditur" ἐκχυννόμενον ; verba enim quæ in Vulgatâ ponuntur in futuro tempore, sunt præsentis temporis, in originali græco ; referuntur ergo non ad sacrificium crucis die sequenti offerendum, sed ad corpus et sanguinem Christi, prout sub sacramento continebantur. Atqui tales expres-

---

[1] *Matth.* XXII, 42-45 ; *Hebr.* VI, 20 ; VII, 17 etc

[2] *Gen.* XIV, 18.

[3] "Hoc est corpus meum quod pro vobis datur" (*Luc.* XXII, 19) ; "Quod pro vobis tradetur" (*I Cor.* XI, 24). "Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur" (*Marc.* XIV, 24) ; "qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum" (*Matt.* XXVI, 28)

siones indicant corpus et sanguinem Domini Apostolis traditum fuisse in statu *victimæ*, eo magis quia voces *dare*, *tradere*, ex locis parallelis, immolationem important : "Dilexit me et *tradidit* semetipsum pro me"[1] ; "Dedit semetipsum pro nobis"[2]. Quod significatur etiam per verba "in remissionem peccatorum", quum sacrificia pro peccatis offerri solerent. Ergo hujusmodi verba veri sacrificii ideam naturaliter judæis mentibus suggerebant. Confirmatur ex *circumstantiis*, nam Christus Eucharistiam instituit eo *tempore* quo paschale sacrificium celebrabatur ; et quidem *sub speciebus panis et vini*, quæ in sacrificiis antiquis adhibebantur, præsertim in paschali celebratione ; cum *verbis* quæ ideam sacrificii naturaliter recolebant, nam verba "calix sanguinis mei, Novi et Æterni Testamenti" similia sunt verbis a Moyse prolatis dum sacrificium obtulit ad Vetus Test. confirmandum : "Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum"[3].

(b) Ex doctrinâ *S. Pauli;* quum enim vellet fideles ab usu judaicorum sacrificiorum deterrere, ait : "Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt"[4] ; atqui altare supponit sacrificium, et illud sacrificium ex contextu est verum et proprie dictum, quum sacrificiis judaicis opponatur, quæ vere sacrificia erant. Aliunde non potest esse aliud ac sacrificium *eucharisticum*, ut constat ex loco parallelo[5] : "Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est...? Videte Israel secundum carnem : Nonne qui edunt hostias

[1] *Galat.* II, 20.

[2] *Tit.* II, 14.

[3] *Exod.* XXIV, 8. — Hâc de re animadvertit protestans auctor : "Voluisse Dominum nos edocere Cœnam cum veteribus sacrificiis aliquo modo connecti, ex sequentibus conjicere possumus : primo, ex tempore quo fuit instituta ; secundo ex symbolis a Domino nostro adhibitis ; tertio, ex verbis quibus convivas est alloquutus... Cœna dici potest aliquo modo sacrificium ; relationem manifestam ad præscriptiones mosaicas de sacrificiis habebat... Sacrificium cœnæ est ideo intime cum sacrificio paschali connexum, Calvarii expiationem nobis in mentem revocans." (*A. Cave*, op. cit., p. 432-439.)

[4] *Hebr.* XIII, 10.

[5] *I Cor.* X, 16-22.

participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum". Ibi enim opponit Apostolus mensam eucharisticam altari Judæorum et Gentilium, et eucharisticam victimam victimis super illud oblatis; atqui tum Judæi tum Ethnici vera sacrificia offerebant; ergo pariter eucharistia est verum sacrificium. Confirmatur ex alio loco[1]: "Ministrantibus (græce λειτουργούντων) autem illis Domino, dixit illis Spiritus S.: segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos"; vox enim λειτουργειν in divinis litteris idem sonat ac sacrificare, seu sacerdotale officium adimplere, ut fatetur ipse *D. Alford*, h. loc.: hoc vocabulum illud est quod generatim usurpatur ad sacerdotale munus designandum inter Judæos; hinc Græci idem usurpârunt ad designandum Missæ sacrificium.

159. 2° *Tradit.* (A) ex *Patribus*, qui docent (a) sacrificium Missæ nihil aliud esse nisi sacrificium a Malachiâ prænuntiatum; legitur enim in *Doctrinâ duodecim Apostolorum* (c. 14): "Die dominicâ convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum... Hoc enim est dictum a Domino: In omni loco et tempore offeratur mihi sacrificium mundum, quia rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in Gentibus"; (b) idem fuisse in *V. Lege* prænuntiatum, et judaicis sacrificiis successisse: "Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis V. T., quæ immolabantur in umbrâ futuri"[2]; præsertim vero præfiguratum fuisse sacrificio *Melchisedech*: "Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam D. N. Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, i. e. panem et vinum, suum scil. corpus et sanguinem"[3]; (c) sacrificium hoc in nocte cœnæ a Christo institutum fuisse: "Sacrificium Patri se ipsum primus obtulit et hoc fieri in

[1] *Act.* XIII, 2.
[2] *S. August.* De Civit. Dei, l. 17, c. 20.
[3] *S. Cyprianus*, Epist. 63 ad Cæcilium, n. 4.

sui commemorationem præcepit "[1]; (d) idem esse commemorationem sacrificii in cruce oblati: "An non quotidie offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam... Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi "[2]. (e) Docent insuper celebrationem eucharistiæ esse *oblationem*, *immolationem*, *sacrificium*, plenum ac *verum* sacrificium, *tremendum* sacrificium, *summum* et *verissimum* sacrificium, sacrificium *Deo plenum*, sacrificium *proprium*, quod sedulo distinguunt a sacrificio improprio et interno, quo fideles seipsos Deo offerunt[3]. Multiplicari possent Patrum testimonia, sed hoc superfluum esset, quum ipse Lutherus fassus sit: "Missa creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla tantusque usus per orbem constanter observatus" (de Capt. Babyl. c. 1); quod etiam confirmavit vir inter protestantes eruditissimus, Jo. Ernest *Grabius* (ad Iren. IV, 17 adnotat.): "Ceterum hæc doctrina non est doctrina unius ecclesiæ, vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiæ universalis: Ecclesia eam acceperat ab Apostolis, Apostoli a Christo".

(B) Ex antiquissimis *liturgiis*, quæ, licet permultæ, et in multis *ritibus* accidentalibus discrepantes, omnes sine ullâ exceptione tum ritu et cæremoniis ipsis, tum disertis verbis testantur Missam esse *plenum* et *verum sacrificium, immolationem et oblationem*[4]. Ibidem declaratur Christum hoc sacrificium instituisse in ultimâ Cœnâ; victimam eamdem esse ac in cruce; missam esse sacrificium propitiatorium pro vivis et defunctis. Constat insuper ex *picturis Catacum-*

[1] *S. Cyprian.* l. c. n. 14. — [2] *S. Chrysost.* homil. 7 in Hebr. n. 3.

[3] Ita *S. Cyprianus*, *S. Chrysost.*, *S. Cyril. Hieros. S. Augustinus*, *S. Gregor. Naz.*, *Eusebius* etc.

[4] "Cœna universim habita fuit non solum ut sacramentum, sed etiam ut sacrificium, verum ac æternum sacrificium N. Testamenti, succedens transitoriis ac typicis sacrificiis Vet. Testamenti, præsertim vero paschali sacrificio quod liberationem ab Ægypto significabat". Ita eruditus protestans *P. Schaff*, History of the Christian Church, Vol. II, 1892, p. 245.

barum[1], in quibus repræsentatur sacerdos eucharisticum panem consecrans, et in adverso pariete exhibetur Abraham filium immolaturus, ut exinde appareat sacrificium altaris per sacrificium Abrahæ præfiguratum fuisse.

(C) Ex *Conciliis; Nicænum* supponit solos sacerdotes *offerendi* potestatem habere; *Ephesinum* vocat Eucharistiam *sanctum* ac *vivificum, incruentumque sacrificium; Chalcedonense* eam appellat *terribile* et *incruentum sacrificium; Lateran. IV.* (cap. I) hæc habet: "Una est fidelium universalis Ecclesia... in quâ idem ipse sacerdos et sacrificium J. Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur". Historice igitur constat Missam semper in Ecclesiâ ut verum sacrificium habitam fuisse[2].

160. 3° *Rat. Theol.* (a) Tanta est connexio inter religionem et sacrificium proprie dictum, ut, si posterius desit, prior sit incompleta et veluti manca; quod probant *divinæ litteræ*, ex quibus liquet cultum et sacrificium coæva fuisse, et religionem floruisse vel defecisse florentibus aut deficientibus sacrificiis; *Gentilium historia*, quum, ubicumque religio vigeat, sacrificia quoque sint in usu[3]; et *ratio ipsa*, quæ dictat supremum Dei dominium agnoscendum esse aliquo actu exteriori soli Deo exhibendo; quum enim ejus excellentia toto cœlo differat ab excellentiâ cæterorum, oportet esse quemdam exteriorem cultum soli Deo reservatum, quo singularis ejus excellentia agnoscatur. Jamvero hujusmodi actus nihil aliud est nisi sacrificium, vi cujus publice et practice declaratur solum Deum jus habere ad existentiam, creaturas autem ex se ad nihilum tendere. Atqui, sublato sacrificio Missæ, nullum esset sacrificium in N. Lege, quum sacrificium crucis, utpote in actu transitorio consistens,

[1] Cf. *Martigny*, Dictionnaire des Antiquités chrétiennes, voce *Messe; P. Allard*, Rome souterraine, 1877, p. 392-96.

[2] Traditionis argumentum evolutum invenies apud *Bellarminum*, de Euchar. lib. V. c. 15 sq.; auctores operis Perpétuité de la Foi, præsertim vol. III, 219 sq. (ed. Migne); *Franzelin, Hurter*, de *Augustinis; Wilberforce*, op. cit. ch. XI; *J. M. A. Vacant*, Histoire de la conception du sacrifice de la Messe, Paris, 1894.

[3] Cf. *Encyclop. Britannica*, voce *sacrifice*.

amplius non existat, sicque pejor esset Christianorum quam Judæorum Gentiliumve conditio. Neque dicere oportet sacrificium crucis semel oblatum, propter infinitum suum valorem, plane sufficere; sicut enim, peractâ redemptione per sacrificium crucis, conveniens fuit sacramenta institui quibus fructus passionis unicuique applicarentur, ita omnino decebat ut perenne sacrificium institueretur, quo sacrificii crucis effectus perpetuo renovarentur.

(b) Insuper in Missâ reperire licet omnes conditiones ad sacrificium proprie dictum requisitas, sc.: *oblationem rei* sensibilis, dum corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini offeruntur; *immutationem victimæ*, quum, vi verborum, corpus a sanguine separetur, et humanitas Christi in statu humiliori ponatur, ut infra ostendetur; *ministrum legitimum*, quum solus sacerdos specialiter consecratus offerre valeat; *agnitionem supremi Dei dominii*, quia per immolationem Christi perfectissime Deus agnoscitur ut mortis et vitæ Dominus, cui omnis honor et gloria debetur. Ergo Missa est sacrificium proprie dictum.

161. *Objic. Protestantes:* (A) Ex S. Paulo (*Heb.* VII, 23-25), unus est tantum sacerdos, Christus; atqui ubi est unus sacerdos, ibi unum est sacrificium, sc. sacrificium crucis.

Resp. Distinguo majorem; unus sacerdos *principalis*, *concedo;* unus sacerdos *secundarius*, *nego.* Etsi enim Christus sit solus supremus sacerdos, tamen, quum visibiliter non maneat in terrâ, instituere voluit sacerdotes secundarios, qui ipsius ministri essent, ejus vicarii, et nomine ipsius sacrificium crucis renovare possent; hoc sensu Apostolis dixit: "Hoc facite in meam commemorationem"; quo pariter sensu Paulus scribit: "Sic nos existimet homo ut ministros Christi" (I *Cor.* IV, 1).

(B) *Instant:* Ex eodem Apostolo (*Heb.* VII, 27; X, 12, 14) unicum adest sacrificium, scil. sacrificium crucis; imo si aliud daretur, prioris excellentiæ derogaretur.

Dist. antecedens: unicum est sacrificium, quoad *substantiam*, *concedo:* quoad *modum offerendi*, *nego.* Siquidem sacrificium Missæ est substantialiter idem ac sacrificium crucis, quum eadem sit victima, idem principalis offerens, iidem fructus; differt tamen ab eo quoad modum offerendi, quum unum cruento modo, alterum incruento offeratur. S. Paulus excludit quidem omne sacrificium substantialiter a sacrificio crucis distinctum, præsertim sacrificia Vet. Legis, minime vero sacrificium Eucharisticum, de quo ipse loquitur non semel, ut diximus in thesi.

Nec potest dici sacrificium Missæ derogatorium esse sacrificio crucis; nam omnis valor, omnes fructus sacrificii Missæ ex sacrificio crucis promanant[1], ac proinde ejus efficaciam non minuunt, sed potius manifestant, sicut fructus, qui ex arbore pendent, ejus fecunditatem ostendunt; neque tamen inutile dici valet, quum sit applicatio unicuique fidelium fructuum sacrificii crucis, prout fit per ipsa sacramenta, sub diverso tamen respectu.

III. De essentiâ sacrificii Missæ[2].

162. *Status quæstionis.* Omnes quidem theologi admittunt Missam esse verum et proprie dictum sacrificium; sed quando agitur de *essentiâ* illius determinandâ, in varias abeunt sententias. (**A**) *Vasquez*[3] contendit sacrificium Missæ esse *relativum, non autem absolutum* sacrificium; siquidem relativum illud est in quo victima non immolatur, sed solummodo victimæ immolatio repræsentatur; absolutum illud est in quo victima vere immolatur; atqui in Missâ Christus non vere immolatur, quum non possit amplius mori, sed solum fit vere præsens in altari, et ejus mors repræsentatur; ergo. Illa sententia non est hæretica quidem, sed communiter a theologis rejicitur. (**B**) Inter theologos qui admittunt Missam esse absolutum sacrificium, controvertitur in quâ actione reponenda sit essentia sacrificii. (**a**) Quidam veteres, ut *Soto*, *Eckius*, censuerunt illam essentiam consistere partialiter saltem in oblatione hostiæ, quæ fit in offertorio vel subsequitur consecrationem; talis opinio antiquata et improbabilis est. (**b**) Juxta alios, v. g. *Canum*[4], partialiter consistit in fractione et commixtione specierum; quod pariter improbabile est. (**c**) Juxta quosdam, ut *Le-*

[1] "Nullâ igitur ratione Sacrif. Missæ... derogat peracto in cruce sacrificio; quinimo ejus merita ac beneficia quam latissime propagat, atque in omnes uberrime diffundit. Siquidem Christus in hoc sacrificio pro iis, quos redemit, omnibus eumdem pretiosum sanguinem et vulnera Patri suo ostendit ac offert, quibus ad dexteram Ejus in cœlis sedens gratiam nobis apud Eum conciliat". (*C. Balt.* II, n. 352.)

[2] *Suarez*, disp. 75; *Bellarminus*, l. V, c. 27; *Lugo*, disp. XIX: *Drouin*, q. V; *Billuart*, diss. VIII, a. 2; *Franzelin*, th. 16; *Rosset*, n. 1083 sq.; *Stentrup*, th. 91-97; *de Augustinis*, p. III, a. 5; *Pesch*, n. 886 sq.; *Billot*, th. 54; *Vacant*, op. cit. p. 44-60.

[3] In 3. D. Thom. disp. 220-222.

[4] De Loc. theol. l. XII, c. 13.

desma, consistit in solâ communione, in quâ habetur destructio victimæ. Illa pariter opinio est antiquata, et hodie duæ remanent opiniones probabiles, sc.: (d) Juxta *Bellarminum* et *S. Ligorium*, essentia sacrificii Missæ consistit partialiter in consecratione, per quam victima producitur, et partialiter in communione, per quam victima consumitur. (e) Tandem *Thomistæ* plerique, multique alii theologi contendunt essentiam sacrificii in solâ consecratione consistere et communionem esse solum partem integrantem; quam sententiam ut probabiliorem propugnamus.

163. 1° *Missa est sacrificium non solum relativum, sed etiam absolutum.* Ita communiter contra Vasquez. Fatemur siquidem Missam esse sacrificium relativum, in eo sensu quod sit repræsentatio sacrificii crucis, ut declarat *Trid.* "ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur"; quo sensu jam Paulus dixerat: "Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis"[1]; verumtamen asserimus illam non esse nudam et meram illius repræsentationem, sed realem et vividam, licet mysticam, reiterationem, in quâ victima mystice saltem iterum immolatur.

(A) Juxta omnes, Missa est verum et proprie dictum sacrificium; atqui si Missa esset nuda repræsentatio mortis Christi sine novâ immolatione, non posset vocari verum sacrificium, sed solum veri sacrificii commemoratio; nam ad sacrificium verum quædam immolatio requiritur, nec sufficit immolationis figura. Quod illustratur exemplo: si filia Jephte, quæ olim sacrificata fuit, nunc resurgeret, et in tragœdiâ ageret, quâ mors ipsius repræsentaretur, non posset dici proprie sacrificari, nec actio illa repræsentativa vocari posset sacrificium; ergo a pari Missa non posset verum sacrificium vocari si Christi immolatio solum repræsentaretur, et nullomodo renovaretur. Quod illustrari potest etiam analogiâ cum sacrificiis V. T.; ea siquidem Domini mortem repræsentabant, sed simul veram immolationem rei oblatæ in se continebant; ergo pariter sacrificium Missæ non so-

[1] *I Cor.* XI, 26.

lum mortem Christi repræsentat, sed aliquam immolationem importat, et est sacrificium absolutum.

(B) Missa est sacrificium non solum relativum, sed etiam absolutum, si in illâ inveniatur quædam immolatio victimæ; atqui res ita se habet; quod a theologis duplici modo declaratur; (a) nam *vi verborum* ponitur seorsim corpus Christi sub specie panis et seorsim ejus sanguis sub specie vini, ac proinde verba consecrationis sunt veluti gladius mysticus separans corpus a sanguine, ita ut, nisi obstaret ejus perfecta immortalitas, Christus revera per verba consecratoria occideretur; "nec obstat veritati hujus sacrificii quod non fiat reipsa separatio sanguinis a carne: quia id est quasi per accidens, propter concomitantiam partium. Nam quantum est ex vi verborum fit vera separatio.... Et hoc sufficit ad rationem hujus sacrificii: tum ut sit verum sacrificium, fit enim circa hostiam, dum sic ponitur sufficiens mutatio quâ protestemur Deum habere supremam in omnia potestatem; tum ut sit sacrificium commemorativum, repræsentans nobis sacrificium crucis et mortem Domini"[1]. — Hunc tamen dicendi modum rejicit *Billot*, tum quia actio consecrativa *de se* non excludit sanguinem a corpore sub speciebus panis, tum quia hæc actio nullomodo mutat Christum, sed solam materiam quæ consecratur, proindeque *ex se* non tendit ad separandum corpus a sanguine. Rem sic exponit. Sacrificium est in genere *signi;* jamvero si contingat rem offerri non in propriâ, sed in alienâ specie, tunc ad essentiam sacrificii nihil requiritur, nisi ut res illa in specie alienâ, seu in specie sacramenti, sub quodam externo habitu mortis præsens sistatur; hinc non requiritur formalis vel æquivalens destructio rei in seipsâ, sed sola destructio mystica sub specie sacramenti exterius apparens. Porro actio consecrativa sistit Christum sub speciebus sacramenti in quodam externo habitu mortis et destructionis, quum *vi sacramenti* solum corpus sensibiliter adsit sub specie panis, solus sanguis sub specie vini; ergo in ordine ad *significan-*

[1] Ita *Lessius*, De perfect. divinis, lib. XII, c. 13, n. 97. Addit *Pesch* (n. 915) non requiri in hoc sacrificio realem et physicam separationem corporis et sanguinis, quia sanguinis effusio in cruce sese virtualiter extendit ad omnia sacrificia sub N. Lege oblata.

dum, mystica illa mactatio plane sufficit, imo expressior est quam simplex liquoris effusio, quæ, juxta omnes, ad verum sacrificium sufficit.

(b) Aliam explicationem tradunt *Lugo* et *Franzelin*. Juxta ipsos siquidem, per verba consecrationis humanitas Christi ponitur in statu imperfectiori et decliviori; siquidem ejus corpus et sanguis reducitur ad statum cibi et potus, ita ut comedi possit, et in tali modo existendi constituitur ut naturaliter suis sensibus uti nequeat, ejusque sacramentalis existentia a speciebus Eucharisticis pendeat et cum illis desinat; uno verbo Christus in Eucharistiâ est in statu quodam *exinanitionis*, qui sufficit ad verum et proprie dictum sacrificium[1]; talis enim mutatio major est quam ea quæ in nonnullis sacrificiis fiebat, v. g. in libationibus.

Utraque explicatio nobis videtur necessaria ad essentiam sacrificii illustrandam; nam sacrificium Missæ est simul *relativum* et *absolutum;* jamvero prior expositio feliciter ostendit Missam esse sacrificium relativum, quum specierum separatione vivide repræsentetur mors Christi; posterior autem demonstrat hanc non esse nudam repræsentationem, sed moralem importare mutationem in corpore Christi, ita ut sacrificium Missæ non sit mere relativum, sed etiam absolutum.

164. 2° *Essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione utriusque speciei, ita ut communio sacerdotis celebrantis sit solum pars integrans sacrificii.* Ita *probabilius.* (A) Probatur *directe:* Illa actio constituit essentiam sacrificii Missæ quæ fit in personâ Christi, quam ipse adhibuit, quæ est repræsentativa passionis, et immutativa victimæ; atqui consecratio et quidem sola has quatuor conditiones simul adimplet: (a) fit nomine Christi, cum in consecratione ipsissima ejus verba adhibeantur, et sacerdos vere Christi personam gerat; (b) eamdem actionem Christus ipse adhi-

[1] Hinc *Gregorius Nyss.* (de Resurrect. apud *Franzel.* p. 375) ait Christum in ultimâ Cœnâ seipsum in sacrificium obtulisse: "Tunc ergo aperte ostendit Agni sacrificium jam esse perfectum; non enim esset corpus sacrificii ut comederetur idoneum, si animatum esset. Quando ergo corpus edendum et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam ineffabili et inaspectabili ratione corpus erat immolatum"...

buit, ut constat ex Evangelio; (c) illa actio est repræsentativa passionis, propter separationem specierum, ut supra diximus; (d) eadem est immutativa victimæ, quia, ex dictis, mystice saltem mactat Christum. Ergo.

(B) Probatur *indirecte* ex confutatione aliarum opinionum. Essentia enim sacrificii non est (a) in *oblatione:* nam oblatio, quæ fit ante consecrationem, nullomodo est immutativa victimæ, sed est solum præparatio ad sacrificium; oblatio, quæ consecrationem sequitur, non immutat pariter victimam sed immutationem jam factam supponit; neutra fit, directe saltem, in nomine Christi, aut ab eo adhibita fuit; (b) nec in *fractione hostiæ:* hæc enim attingit quidem species consecratas, sed minime dividit aut immutat corpus Christi; aliunde illa cæremonia aliquando omittitur, (v. g. quando hostia decidit in calicem) nec a Christo adhibita fuit; (c) nec in *communione*, imprimis non in communione fidelium, quum teste *Tridentino*, sacrificium celebrari possit quin ullus fidelis communicet; neque in communione ipsius sacerdotis, nam communio, quæ nihil aliud est nisi participatio victimæ, supponit victimam jam antea fuisse mactatam; neque est pars essentialis sacrificii, quum omnino deesset in holocaustis. Aliunde communio non aliam mutationem implicat in corpore Christi nisi mutationem localem, quatenus ex ore in stomachum transit; nec potest dici mutationem fieri in stomacho, dum species consumuntur, quia actio sacrificativa non in stomacho sed in altari perfici debet; aliunde communio non fit in personâ Christi, sed est actio propria sacerdotis, in propriam utilitatem facta. Ergo, exclusis aliis actionibus, remanet ut essentia sacrificii in consecratione reponatur.

Fatemur tamen *communionem sacerdotis esse partem integrantem sacrificii;* nam (a) sacrificium eucharisticum institutum fuit per modum cibi et potus, ac proinde in manducatione victimæ compleri debet; (b) insuper per sumptionem fit totalis destructio victimæ in consecratione jam immolatæ, non quidem eo sensu quod Christus ipse destruatur, sed eo sensu quod specialis modus existendi, quem in hostiâ habebat, per corruptionem specierum terminum habeat. Hinc talis communio sacerdoti præscribitur, et quidem sub gravi.

165. 3° *Corollaria.* (A) Sacrificium Missæ est idem quoad substantiam ac sacrificium crucis; in utroque enim eadem est hostia, idem principaliter offerens, juxta illud: " Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit" (*Trid.*, Sess. XXII, cap. 2). Differt tamen accidentaliter Missa a sacrificio crucis: (a) ratione *immolationis*: in cruce Christus oblatus est cruente, in altari incruente offertur; (b) ratione *offerentis*: in cruce Christus directe seipsum obtulit, in Missâ se offert sacerdotum ministerio; (c) ratione *effectuum*: in cruce solutum est pretium redemptionis, in altari nihil novi meretur, sed solum merita crucis nobis applicantur.

(B) Sacrificium Missæ pariter idem est quoad substantiam ac sacrificium in ultimâ cœnâ peractum, ab illo tamen differt accidentaliter: (a) in cœnâ oblatus est Christus mortalis, in Missâ offertur immortalis; (b) in cœnâ Christus per se ipsum obtulit sacrificium, in Missâ per manus sacerdotis illud offert; (c) cœna significabat mortem Domini in cruce futuram, dum Missa significat mortem jam præteritam.

Art. II. De effectibus sacrificii Missæ[1].

Dicemus 1° *Quinam* sint; 2° *Quomodo* producantur: 3° Quisnam sit *valor* sacrificii Missæ.

1° *Thesis*: **Sacrificium Missæ non solum latreuticum est et eucharisticum sed etiam impetratorium, et propitiatorium pro vivis ac defunctis**[2]. *De fide* est, ut constat ex *Trid.*: " Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro pec-

[1] *Suarez*, disp. 79; *Bellarminus*, l. VI, c. 1-7; *Lugo*, disp. IX, s. 9; *Drouin*, q. VII, c. 2; *Billuart*, diss. VIII, a. 3; *Franzelin*, th. 12-13; *Rosset*, n. 1167 sq.; *Pesch*, n. 917 sq.; *Stentrup*, th. 98-110.

[2] Ex dictis in *Tr. de Verbo Incar.* (221) sacrificium est *latreuticum*, quando directe tendit ad agnoscendum supremum Dei dominium; *eucharisticum*, quum ad gratias Deo agendas pro præteritis beneficiis offertur; *impetratorium*, quum ad nova beneficia obtinenda dirigitur; *propitiatorium*, quando pro peccatis aut pœnâ peccato debitâ offertur.

catis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere: A. S." (Sess. XXII, can. 3).

166. *Probatur argum. generali:* (a) Ex dictis supra, sacrificium Missæ idem est substantialiter ac sacrificium crucis, ac proinde eosdem effectus substantialiter producere debet, juxta illud *Trid.:* "cujus quidem oblationis cruentæ fructus per hanc (Missam) uberrime percipiuntur"; atqui sacrificium crucis quadruplicem effectum supra recensitum habuit, ut fatentur ipsi Protestantes; ergo.

(b) Insuper sacrificium Missæ sacrificiis antiquæ legis successit, ut constat ex textu Malachiæ supra exposito, imo eis valde præstat; atqui sacrificia A. Legis hunc quadruplicem effectum obtinuerunt, ut in *Tr. de Verbo Incarn.* (n. 221) exposuimus; ergo [1].

167. *Argumento speciali:* Quia vero *Protestantes* modo speciali negaverunt Missæ sacrificium esse propitiatorium et impetratorium, argumenta specialia contra illos adducimus.

(A) Quoad effectum *propitiatorium.* (a) Christus, sacrificium cœnæ offerendo, expresse dixit: "Hic est sanguis meus.. qui pro multis effundetur in *remissionem peccatorum*" [2]; atqui sacrificium Missæ idem est ac sacrificium cœnæ, juxta illud: "Hoc facite in meam commemorationem"; ergo Missa in remissionem peccatorum offertur.

(b) Confirmatur ex antiquis *Liturgiis*, in quibus dicitur: "Offerimus tibi pro peccatis nostris et ignorantiis populi..... ad expianda delicta... in veniam delictorum populi, requiem et refrigerium patrum nostrorum, qui obdormierunt". Ita *Liturgia S. Jacobi, S. Basilii, et Syriaca.*

(B) Quoad effectum *impetratorium*, res constat ex variis liturgiis, in quibus declaratur Missam offerri "pro communi ecclesiarum pace, pro rectâ mundi compositione, pro iis qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur", uno verbo pro omnibus beneficiis spiritualibus et temporalibus [3].

---

[1] Unde merito *Trident.* (sess. XXII, cap. 1) de oblatione sacrificii missæ ait: "Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur".

[2] *Matt.* XXVI, 28. — [3] Cfr. *S. Cyril. Hieros.* Catech. myst. 5, n. 8.

(C) Quoad *utrumque :* Christus, ex dictis, est vere et realiter præsens in Eucharistiâ, incruente immolatur, et sese Deo ut victimam offert pro nobis, sive ad veniam pro peccatis obtinendam, sive ad interpellandum pro nobis ; atqui fieri nequit ut tantâ oblatione placatus, Deus non moveatur ad pœnitentiæ donum aliaque spiritualia beneficia concedenda : talis enim oblatio est infiniti valoris et maxime Deo acceptabilis ; ergo. Nec obstat Christum non esse nunc in statu orandi ; licet enim Christus in cœlo vel in SS. Sacramento non oret eâ oratione quæ defectum potestatis importat, vere tamen Patri suam voluntatem repræsentat circa ea quæ vult hominibus concedi : et hæc est oratio late sumpta, quæ eo efficacior est in divino sacrificio quo Dominus seipsum humiliorem facit.

2° *De modo quo hujusmodi effectus producuntur.*

168. *Prænotanda :* Missæ sacrificium suos effectus producere potest : (a) *ex opere operato*, vel *ex opere operantis :* priori modo, si effectus causentur ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis ; posteriori, si ex merito sacerdotis aut fidelium producuntur. Siquidem tres sunt offerentes in sacrificio Missæ : sacerdos, Ecclesia, Christus ; sacerdos proprio nomine celebrans opus aliquod ponit quod est meritorium, satisfactorium et impetratorium ex opere operantis ; Ecclesia ipsa per sacerdotem sacrificat, et ejus preces efficaciam habent quasi ex opere operato, ut dictum est ubi de sacramentalibus ; tandem Christus seipsum offert, et hæc oblatio suum obtinet effectum ex opere operato.

(b) *Infallibiliter* vel per modum *impetrationis :* priori modo, si semper et in omni casu obtineatur effectus ; posteriori modo, si effectus non obtineatur nisi positis conditionibus, quæ deficere possunt. (c) *Immediate vel mediate*, prout effectus sine ullo intermedio obtinetur, vel contra mediante aliquâ conditione.

169. (A) *Certum est effectum latreuticum et eucharisticum ex opere operato, et quidem infallibiliter et immediate obtineri ;* nam, independenter a merito sacerdotis vel fidelium, per solam immolationem Christi in altari, Deus perfectissimam adorationem et eximias gratiarum actiones accipit, quum ibi renovetur adoratio et laus condigna olim

in cruce divinæ Majestati oblata; hinc homines hoc sacrificio plenissime suo debito adorandi et colendi Deum satisfacere possunt.

170. (B) Quoad effectum *propitiatorium*, distinguendum est: (a) *Peccata, sive mortalia sive venialia, remittuntur quidem ex opere operato, sed mediate tantum*, quatenus sc. sacrificium Missæ ex se in animâ dispositiones quasdam parit, præsertim vero contritionem, quibus peccator remissionem peccatorum obtinere valeat. Ita communiter. Probatur ex *Trid.*: "Hujus oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittit" (l. c. cap. 2). Christus siquidem seipsum tanquam victimam offert, ut ipsius satisfactiones nobis applicentur; Deus autem hâc oblatione placatus, gratiam pœnitentiæ peccatoribus concedit. Ille tamen effectus non producitur infallibiliter, quia, licet peccator recipiat gratias actuales ad pœnitentiam agendam, eis resistere potest.

(b) *Pœna temporalis, peccatis debita, per sacrificium Missæ ex opere operato, immediate et infallibiliter remittitur, saltem partialiter.* Ita *communiter.* Nam ex *Tridentino* Missa offertur pro vivis atque defunctis, pro pœnis et satisfactionibus; atqui pœnæ, ab animabus Purgatorii solvendæ, non possunt remitti ex opere operantis et mediate, quum illæ animæ sint incapaces merendi; ergo pro illis saltem pœnæ remittuntur ex opere operato et immediate, et si ita est, nil impedit quin idem de vivis dici possit.

171. (C) *Effectus impetratorius sacrificii Missæ obtinetur quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, non autem infallibiliter.* Ita *communiter.*

(a) producitur *ex opere operato:* nam *Trid.* declarat Missam offerri non solum pro peccatis, pœnis et satisfactionibus, sed etiam pro "aliis necessitatibus". Atqui illæ necessitates nihil aliud sunt nisi bona spiritualia vel temporalia, quibus indigemus; ergo ex se sacrificium Missæ gratias illas obtinet. Revera Christus, seipsum offerendo, rogat Patrem ut, propter merita sua, gratiæ nobis tribuantur; porro ejus preces non possunt non exaudiri.

(b) *non autem infallibiliter:* nam, quamvis sacrificium Missæ ex se sit efficax ad gratias obtinendas, illæ gratiæ de

facto non recipiuntur nisi adsint requisitæ conditiones ex parte postulantis, eorum pro quibus postulantur, et objecti quod postulatur; atqui illæ conditiones aliquando deficere possunt; ergo.

172. (D) *Tandem omnes effectus supra descripti producuntur etiam ex opere operantis. Certum est.* Nam, præter intrinsecum valorem, duo sunt consideranda in sacrificio Missæ: preces sacerdotis celebrantis astantiumque, et preces Ecclesiæ, cujus nomine offertur sacrificium; atqui ex utroque capite sacrificium vim aliquam desumit, et quidem eo majorem quo sacerdotis et astantium preces sunt ferventiores, et eorum cum Christo unio, principali offerente, intimior; ergo ex opere operantis fructus Missæ augentur.

173. *Corollaria:* (A) Missa sacerdotis, in statu mortalis peccati celebrantis, æque valet ac Missa boni sacerdotis quoad effectum *principalem ex opere operato*, qui ex oblatione ipsius Christi oritur, aut etiam quoad effectum qui ex precibus Ecclesiæ procedit, dummodo sacerdos non sit excommunicatus vitandus; nam duplex ille effectus a voluntate sacerdotis non pendet; quo sensu dicit *Trident.:* " Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest". Sed fructus *secundarius*, qui ex orationibus sacerdotis, ut privatæ personæ, provenit, evidenter ex ejus devotione pendet, ac proinde, sub hoc respectu, melior est Missa boni quam mali sacerdotis. (*S. Th.* q. 82, a. 6.)

(B) Sacerdos, qui, accepto stipendio, Missam in statu mortalis peccati celebravit, obligationi suæ substantialiter satisfecit; convenit tamen ut piis orationibus compenset quod defuit ex parte fructus secundarii.

174. 3° *De valore Missæ.* Valor Missæ est virtus intrinseca quâ gaudet ad suos effectus producendos, dum fructus est bonum quod, intuitu sacrificii, Deus confert.

(A) Valor Missæ *in se* spectatus, prout consideratur ex parte victimæ oblatæ et principalis offerentis, est simpliciter infinitus: e contra valor sacrificii ex parte Ecclesiæ vel sacerdotis offerentis est necessario finitus.

175. (B) Sacrificium Missæ in suâ *applicatione* consideratum, habet semper effectum finitum: non enim capaces su-

musinfinitæ gratiæ suscipiendæ; aliunde Missa non majorem efficaciam habet quam sacrificium crucis ; atqui sacrificium crucis, etsi in se valoris infiniti, in suâ applicatione limitatur : secus omnes justificarentur ; ergo. Ratio autem cur Christus voluerit fructus sacrificii Missæ nonnisi certâ mensurâ dispensari, fuit ut hoc modo frequentaretur hoc sacrificium, sine quo religio consistere non potest, et ut servaretur providentiæ ordo, vi cujus gratiæ non omnes simul, sed successive et paulatim distribuuntur. Hinc licet et expedit pro unâ personâ pluries sacrificium offerre.

176. (C) Fructus ex Missâ perceptus crescit secundum dispositiones illius cui applicatur. Quod enim *Trid.* dicit de distributione gratiæ in genere sc., " largitur singulis prout vult, et secundum uniuscujusque dispositionem et cooperationem ", non solum pro sacramentis, sed etiam pro sacrificio Missæ valet.

177. (D) *Controvertitur* vero utrum sacrificium Missæ, pro pluribus oblatum, æqualiter singulis prosit ac si pro uno oblatum fuisset : (a) Qui negant, ita ratiocinantur : Missæ sacrificium est finitum in suâ applicatione ; atqui quod est finitum, quando dividitur inter plures, minus ipsis prodest, quam si uni applicaretur ; ergo [1].
(b) Qui affirmant, dicunt : sacrificium Missæ idem est substantialiter ac sacrificium crucis ; atqui sacrificium crucis tam prodest unicuique ac si fuisset pro illo solo oblatum; ergo idem dicendum de sacrificio Missæ.
(c) Quidquid sit, in praxi certo peccaret contra justitiam sacerdos qui acceptis duobus stipendiis, unicum sacrificium offerret, ut constat ex damnatione hujus propositionis ab *Alex. VII* (1665) : " Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram ". Ratio est quia nemo obligationi certæ satisfacere potest per solutionem dubiam.

[1] Certum est tamen per multitudinem offerentium vel audientium missæ fructus non minui ; hinc sacerdotes multi simul celebrantes, ut fit in Oriente, singuli stipendium accipere possunt.

Potest tamen sacerdos, salvo jure illius pro quo Missa offertur, ejusdem fructum intentione *secundariâ* uni vel pluribus aliis applicare. Imo expedit ut, præter intentionem absolutam celebrandi pro tali vel tali fine, habeatur conditionata intentio, quæ valeat in casu quo prior intentio valere nequit.

178. *Corollarium practicum:* Merito igitur cum pio auctore *Imitationis* concludere licet: "Quando sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, vivos adjuvat, defunctis requiem præstat, et sese omnium bonorum participem efficit" (lib. iv, c. v, 3). Ut vero illi uberes fructus plene recipiantur, Missa attente, devote ac reverenter celebrari debet. Celebrans igitur finem sibi præfigat excelsum, supernaturalem, qui Dei gloriam respiciat, propriam sanctificationem et salutem, perfectionem ac proximi utilitatem; ex intimo corde divinæ Victimæ sese uniat, et cum eâ sese immolet, juxta illud: "Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus mortis dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis". (*Pontificale*, de Ordin. presb.) Curent etiam Pastores sedulo fideles docere methodum quâ pie ac devote Missam audire valeant; "Sæpe ac diligenter doceant divini hujus sacrificii dignitatem ac præstantiam, uberrimosque fructus qui in pie ac devote Sacris astantes deriventur" (C. *Balt.* II, 365)[1].

Art. III. De ministro sacrificii Missæ.

Duo expendemus: 1° *Quinam* offerre possint; 2° quænam sint eorum *obligationes*.

I. De potestate celebrandi[2].

179. 1° *Errores: Lutherani* et *Calvinistæ* tenent omnes Christianos esse sacerdotes, ac proinde potestatem habere sacrificia Deo offerendi, cœnamque consecrandi 3. Doctrina autem catholica est Christum esse principalem hujus sacrificii ministrum, sacerdotes secundarios ministros, fideles autem nonnisi improprie et mediate offerre.

---

[1] Cf. *Bona*, de sacrificio Missæ tractatus; *Coshin*, Instructions on the Mass; *Cochem*, Explanation of the H. Sacrifice of the Mass; *Vaughan*, The Holy Sacrifice of the Mass.

[2] *S. Thomas*, 3 p. q. 82, a. 1, 2, 5; *Suarez*, disp. 77; *Bellarminus*, l. IV, c. 16; *Drouin*, q. VI; *Billuart*, diss. VII, a. 1-2; *de Augustinis*, th. XI.

[3] Cfr. *Hodge*, vol. III, p. 690; *Lichtenberger*, th. XI, p. 374.

180. 2° *Thesis :* **Omnes et soli sacerdotes, rite ordinati, sunt proprie loquendo ministri sacrificii Missæ.** *De fide est ex Trident.* infra citando.

Illi soli habent potestatem Eucharistiam consecrandi et sacrificium Missæ offerendi, quibus Christus eam contulit; atqui solis Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus hanc potestatem contulit, dicendo : " Hoc facite in meam commemorationem " ; etenim (a) ex *contextu* apparet solos Apostolos fuisse tunc præsentes in cœnaculo tanquam Christi convivas, ac proinde valde probabiliter ipsis, ut *sacerdotibus*, non autem omnibus laicis hæc verba fuisse dicta. (b) Idem constat ex *Patribus*, qui præfata verba de solis Episcopis et sacerdotibus intelligunt. Ita v. g. *S. Justinus* (Apol. I, n. 65) scribit *eum qui fratribus præest* Eucharistiam conficere ; per hujusmodi verba designari Episcopum vel sacerdotem patet ex eo quod postea additur sacram communionem *a diaconis* distribui. Item *S. Cyprianus* (ep. 4) commendat presbyteris, qui detentos martyres invisunt, ut hoc caute faciant, " ita ut *presbyteri* quoque, qui illic apud confessores *offerunt*, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, ne ex hoc invidia concitetur ". Nec aliter *S. Epiphanius* (hæresi 79, n. 4) : " Neque diaconis quidem ipsis ullum in ecclesiastico ordine sacramentum conficere conceditur, sed hoc dumtaxat, ut eorum quæ perficiuntur ministri sint ". Ex quibus constat nec ipsis diaconis, sed solis presbyteris consecrandi potestatem inesse. (c) Ex *praxi Ecclesiæ*, nam historia constat presbyteros, non sine magno vitæ periculo, in carceres penetrasse, ibique sacrificium Missæ obtulisse, ut martyres sacris mysteriis reficerent; quod quidem prorsus inutile fuisset, si omnes etiam fideles consecrare potuissent; insuper in can. 18 *C. Nicæni* manifeste supponitur diaconos Missam offerre non posse[1]. (d) Tandem ex conciliorum decretis, præsertim ex *Later.* IV, et *Trid.:* " Si quis dixerit his verbis : " Hoc facite in meam

[1] " Pervenit ad sanctum magnumque Concilium quod in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant ; quod nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, corpus Christi accipiant ".

commemorationem", Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, A. S." (l. c., can. 2).

3° *Solv. difficultates.* (A) Objiciunt Protestantes omnes Christianos sub Lege Novâ esse sacerdotes, juxta illud : "Vos autem genus electum, regale sacerdotium"[1], ac proinde omnes sacrificium Missæ offerre posse.

Resp. Ad solvendam hanc difficultatem, duplex sacerdotium distingui debet, sicut duplex sacrificium, sc. *proprie dictum* et *improprie dictum.* Omnes siquidem fideles sunt sacerdotes *improprie dicti*, eo sensu quod possint et debeant spirituales hostias offerre Deo, ut S. Petrus paulo ante (5) explicavit, et exhibere corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, ut ait S. Paulus[2]; sed non sunt sacerdotes proprie dicti, nec proinde possunt offerre sacrificium proprie dictum ex dictis in thesi.

(B) *Instant :* ex Patribus et ex ipsâ Liturgiâ liquet fideles ipsos sacrificium Missæ offerre ; ergo manet difficultas.

Resp. Fideles dicuntur offerre sacrificium Missæ non quidem immediate et proprie loquendo, sed mediate et improprie, et quidem triplici modo : (a) *generatim*, quatenus sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine sacerdos sacrificium offert ; (b) *speciatim :* quatenus sacrificio Missæ assistunt, et sese uniunt sacerdoti celebranti ; (c) *specialius*, quatenus cooperantur sacrificio, sive ministrando altari, sive materiam sacrificii præbendo, aut stipendium erogando.

181. *Corollarium.* Ad valide consecrandum sufficit in ministro potestas ordinis et intentio faciendi quod facit Ecclesia, uti explicavimus ubi de sacramentis. Unde sacerdos hæreticus, schismaticus, excommunicatus aut etiam degradatus, valide, etsi illicite, consecraret.

II. De obligationibus ministri[3].

Dicemus de ministri obligationibus : 1° quoad *Missæ celebrationem ;* 2° quoad Missæ *fructuum applicationem ;* 3° quoad *servanda in celebratione* Missæ.

182. 1° *De obligatione celebrandi :* illa obligatio oriri potest vel ex *ordine* vel ex *officio.*

Ratione *ordinis :* (A) Omnes et singuli sacerdotes, non legitime impediti, sub gravi tenentur aliquoties saltem cele-

[1] *I Petr.* II, 9.

[2] *Rom.* XII, 1.

[3] *S. Thom.* 3 p. q. 82, a. 10 ; *Suarez*, disp. 80 ; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 313 sq.; *Konings*, n. 1320 sq.; *Marc*, n. 1602 sq.; *Lehmk.* n. 191 sq.; *Sabetti*, n. 707 sq.; *Müller*, § 21; *Many*, de Missâ, n. 1142.

brare, ex jure divino. Ita communiter[1]; etenim (**a**) Quisque tenetur susceptum officium aliquoties saltem exercere; atqui officium sacerdotis est offerre sacrificium, juxta illud S. Pauli: "Omnis namque Pontifex ... pro hominibus constituitur ... ut offerat dona et sacrificia" (*Heb.* V, 1).
(**b**) Insuper aperte declarat *Trid.*: "Christus Apostolis eorumque successoribus ut offerrent *præcepit* per hæc verba: Hoc facite etc." (Sess. XXII, cap. 1).

(**B**) Quoties autem hæc oblatio *ex se* urgeat, non tam aperte constat; attamen (**a**) ex decreto S. C. Concilii (1696), "qui sine justâ causâ, ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri"; (**b**) insuper, ex sententiâ communi, peccat graviter qui, absque ratione, celebrationem differt ultra sex menses; venialiter qui sine causâ celebrare omittit diebus dominicis et festivis[1]. Ut autem in praxi sacerdotes ad quotidie celebrandum incitentur, sæpe hæc verba S. Bonaventuræ[2] meditentur: "Sacerdos qui non celebrat quantum in ipso est, privat Trinitatem laude et gloriâ, angelos lætitiâ, peccatores veniâ,

[1] Hoc quidem negârunt pauci veteres theologi, v. g. *S. Bonaventura*, *Gabriel*, *Cajetanus*, *Lugo*. Omnes tamen concedunt sacerdotem qui ex merâ desidiâ et negligentiâ nunquam sacrum facit, peccatum grave committere. Cfr. *Pesch*, n. 938.

[2] Primis Ecclesiæ temporibus non omni die Missa celebrabatur, sed solum die dominicâ, ut probabiliter infertur ex *I. Cor.* XVI, 2, et *S. Justino* (Apol. I, 67), qui de christianis conventibus agens, solius meminit Dominicæ; et certe quotidianam celebrationem non patiebatur frequentium persecutionum furor. Sed jam a secundo sæculo viguit usus tribus diebus per hebdomadem celebrandi, Dominicâ sc., et quartâ, sextâque feriâ, ut liquet ex *Tertulliano*, de Oratione. Quibus paulo post sabbatum additum fuit, ut tradit *S. Basilius* (Ep. 289 ad Cæsaream). Tempore S. Augustini variæ erant ecclesiarum consuetudines; nam ut ipse ait (ep. 54 ad Januar.): "Alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantum et Dominico, alibi tantum Dominico". Sexto tamen sæculo jam usus prævaluerat quotidie ubique celebrandi, ut constat ex *Ordine Gelasii*: imo per plura sæcula, sc. usque ad tempora Alexandri II (1061), pluries celebrare licebat unâ die, pro cujuscumque sacerdotis arbitrio. (Cf. *Martene*, op. cit. l. I, c. II, a. 3; *Martigny*, op. cit. verbo *Messe*; *American Eccl. Review*, mart. 1892, p. 119 sq.)

[3] De præparat. ad Mis. c. 5.

justos subsidio et gratiâ, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicinâ et remedio contra quotidiana peccata et infirmitates".

183. Ratione *officii :* Omnes pastores animarum *tenentur sub gravi* celebrare Missam *singulis diebus dominicis et festivis de præcepto;* si quis autem legitime impediatur, tenetur supplere per alium, si res sit possibilis. Ratio est quia hisce diebus fideles sub gravi tenentur Missam audire; atqui non possunt huic præcepto satisfacere, nisi pastores per se aut per alium Missam celebrent ; ergo. Insuper *per accidens* teneri potest pastor celebrare, v. g. si urgeat necessitas consecrandi ad viaticum ministrandum, si fideles occasione exsequiarum Missam petant etc.

2° *De applicatione Missæ* [1].

184. *Regulæ generales :* (**A**) Triplex fructus in Missâ distingui potest : (**a**) fructus *generalis*, cujus omnes fideles fiunt participes, præsertim vero illi qui Missæ assistunt ; (**b**) fructus *specialis* seu *medius*, quem sacerdos determinatis personis applicat in particulari ; (**c**) fructus *specialissimus*, qui sacerdoti celebranti obtingit, eique est proprius.

(**B**) Fructus *generalis* percipitur sine ullâ speciali applicatione, quia talis fructus implicite applicatur in generali intentione celebrandi ad mentem Ecclesiæ. Item fructus *specialissimus* semper a sacerdote percipitur, dummodo intendat celebrare ad mentem Ecclesiæ ; attamen melius est ut sacerdos specialem finem intendat, v. g. acquisitionem talis virtutis, ut fructus uberiores exinde percipiat. Ut vero fructus *specialis* obtineatur, necessaria est celebrantis applicatio ; nam sacerdos, ut minister Christi, potest libere de illo fructu disponere, eumque cui vult applicare ; si autem nulla fiat applicatio specialis, fructus ille ad generalem Ecclesiæ thesaurum accedit.

(**C**) Ut valida sit applicatio Missæ, tres conditiones requiruntur : (**a**) debet fieri saltem *ante secundam consecrationem*, quia sacrificii effectus producitur eo tempore quo actio essentialis Missæ perficitur, proindeque multo probabilius,

[1] *S. Alphonsus*, l. VI, n. 334 sq. ; *Konings*, n. 1318 sq. ; *Marc*, n. 1596 sq.; *Lehmk.* n. 187 sq.; *Sabetti*, n. 705 sq.

ipso instanti consecrationis ; expedit tamen intentionem determinare, antequam Missa inchoetur.

(b) debet esse saltem *habitualis*, i. e. antea habita et nondum retractata ; quia applicatio se habet per modum donationis verbalis, quæ semel facta valet donec revocetur. Si quis autem, prioris intentionis immemor, novam intentionem eliciat, illa valebit quæ *prædominans* fuerit ; generatim posterior valet, nisi priorem ita formaverit, ut voluerit eam prævalere, etiamsi ex oblivione eam mutaturus sit. In dubio autem, sufficit ut sacerdos aliâ vice ei applicet cui prima vice Missa non fuit applicata.

(c) debet esse *determinata*, saltem implicite ; fructus enim personæ indeterminatæ applicari nequit. Valet applicatio si dicatur : offero pro illo qui prior dedit stipendium, qui prior inscribitur in Missarum libro, pro personâ cujus nomen inscribitur in libro fundationum pro hâc die, pro omnibus animabus in Purgatorio, pro illâ animâ quæ majori auxilio indiget aut est magis Deo grata, etc. Non valet autem hic applicandi modus : "offero, ut Deus ipse applicet etc." quia sacerdotis est rem determinare ; nec etiam valet applicatio sub conditione futurâ contingente, v. g. offero pro Petro, si cras restituerit. Si quis plura stipendia collecta habeat, nec sciat a quibus et quo ordine data fuerint, sufficit Missas dicere secundum ordinem eorum qui stipendia præbuerunt.

185. *Speciales regulæ quoad stipendium :* (A) Licet accipere stipendium pro celebrandâ Missâ, non quidem quasi pretium consecrationis sed quasi *medium sustentationis*[1],

[1] Res exemplo declaratur : si pictor vovisset gratis pingere in obsequium Ecclesiæ, contra votum non ageret, si ab Ecclesiâ peteret sumptus necessarios ad colores, tabulam, imo ad propriam sustentationem ; ita pariter sacerdos contra præceptum gratis dandi quod gratis accepit non agit, si a Fidelibus accipiat necessaria ad sacrificium, vel ad honestam sustentationem. (Cf. *Lugo*, disp. XXI, n. 13-14). Quod quidem ex ipsâ *stipendii origine* colligi potest. Primitus scilicet Fideles, quum ad Sacra peragenda conveniebant, panem et vinum afferebant, ex quibus sumebant sacerdotes ea quæ ad sacrificium necessaria erant, cetera autem in proprium usum servabant. Postea autem usus invaluit ut alia, sc. oleum, lac, mel, fructus etc. ad altare offerrentur in sacerdotum commodum. Imo etiam pecunia primum in gazophylacium

justum est enim ut qui altari deserviunt de altari vivant. Quando stipendium acceptum est, oritur obligatio *justitiæ*, quia accipiendo oblationem, sacerdos eo ipso promittit se applicaturum Missæ fructum specialem tali vel tali personæ, et si promissionem non adimplet, violat justitiam, et ad restitutionem tenetur.

(B) *Quantitas* stipendii ab Episcopo determinari debet, secundum varias locorum consuetudines; et omnes, sive regulares sive seculares, taxæ ab Episcopo statutæ stare debent. Hinc non licet stipendium supra pretium exigere; potest tamen sacerdos plus recipere, si sponte offeratur, aut etiam si labor extraordinarius exigatur, v. g. pro Missâ inconvenienti horâ celebrandâ, nullatenus tamen pro Missâ in altari privilegiato, in loco miraculoso etc. dicendâ. Regulariter etiam non debet accipi stipendium minus taxâ statutâ, ne talis praxis aliis sacerdotibus nociva fiat.

(C) *Tot* missæ celebrandæ sunt *quot* stipendia accepta sunt, et, juxta probabiliorem sententiam, graviter peccaret qui etiam unicam Missam celebrare omitteret, quia gravitas materiæ non est mensuranda in ordine ad stipendium, sed in ordine ad fructum Missæ, quo privatur qui eleemosynam tradidit. Item debent sedulo adimpleri conditiones contractûs quoad *tempus*, aliasque *circumstantias;* unde qui promisit celebrare in altari privilegiato non satisfaceret obligationi suæ in alio altari celebrans; nec compensatio fieri potest lucrando indulgentiam plenariam defuncto applica-

immitti, deinde ad ipsum altare cœpit offerri, non quidem ut soli sacerdoti offerenti, sed clericis in communi prodesset. Quum vero labentibus temporibus communis vita clericorum cessâsset, certa pars bonorum Ecclesiæ ad singulorum sacerdotum sustentationi subveniendum detracta est; et circa sæc. VIII, mos invectus est ut sacerdotes munera acciperent a fidelibus qui rogabant ut Missæ fructus speciatim sibi applicaretur. Quod tamen non sine difficultate permissum est, nonnullis contendentibus hoc esse simoniacum. Attamen praxis hujusmodi ab Ecclesiâ tolerata fuit, communisque evasit, et S. Thomæ probata fuit: "Sacerdos, inquit, non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis" (2. 2. q. 100, a. 2, ad 2). Cf. *Bened.* XIV, de Missæ sacrific. l. III, c. 21; *Geyer*, de Missarum stipendiis, Mogunt. 1864; *Barbier de Montault*, La question des messes, Rome, 1864; *Le canoniste contemporain*, Oct. 1891, Jan. 1892 etc.

bilem. — Consuetudo, quæ existit in pluribus Americæ diœcesibus, pinguem pecuniæ summam colligendi die commemorationis Defunctorum unamque dicendi Missam pro omnibus tolerari potest dummodo apponatur tabella in Ecclesiâ, quâ fideles hac de re certiores fiant [1].

(**D**) Qui, accepto stipendio, celebrare *notabiliter differt*, peccat graviter. Notabilis autem dilatio ex intentione eorum qui dant stipendium, et ex circumstantiis pendet: (**a**) si Missa pro aliquâ instante gratiâ impetrandâ promissa fuerit, intra tempus præfixum sub gravi celebrari debet; secus stipendium restituendum est; (**b**) Si *unum* stipendium offertur, unus mensis ad missam celebrandam concedi censetur; pro *centum* missis, unum *semestre*; inter hæc duo extrema, spatium temporis *proportionate* determinari debet. (Ex decreto *S. C. C.*, 11 maii 1904.)

(**E**) Obligatio celebrandi ex accepto stipendio potest per alium sacerdotem adimpleri, sed tunc integrum stipendium huic tradi debet, nisi excessus intuitu personæ traditus fuerit, aut alter sacerdos sponte et non rogatus, excessum remittat [2]. Nec licet Episcopis, sine speciali S. Sedis licentiâ, aliquid detrahere ex eleemosynis Missarum quæ celebrioribus sanctuariis tradi solent, etiam ut eorum decori consulatur.

(**F**) Omnis mercaturæ species quoad Missarum stipendia strictissime prohibetur. Ex Bullâ *Apost. Sedis* excommunicationem *latæ sententiæ* simpliciter R. Pontifici reservatam incurrunt "colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex eis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent". Insuper, ex decreto S. C. C. 1874 [3], turpe mercimonium sapit eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et præmiis, vel alio quocum-

[1] *S. Cong. Conc.* 27 Jan. 1877.

[2] *S. C. Conc.* 19 jan. 1869 ap. *Acta S. Sedis*, IV, p. 537. Hinc administratores ecclesiarum, ex eleemosynis datis ad Missas celebrandas, nihil possunt retinere pro expensis altarium, luminum etc., nisi alii non sint reditus; et tunc id solum retineri potest quod pro uno tantum sacrificio expenditur.

[3] Cf. *Canoniste contemporain*, août-sept. 1893, p. 553; *Analecta eccles.*, aug. 1896, p. 374.

que modo Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt. Neque hæc agendi ratio cohonestari valet,vel quia tot Missæ celebrantur quot collectæ fuerunt, vel quia sic pauperibus sacerdotibus eleemosynis Missarum carentibus subvenitur, aut quia lucrum exinde perceptum in piarum institutionum usum impenditur. Quare huic turpi commercio cooperari non licet, sive stipendia a fidelibus accepta mercatoribus aut aliis collectoribus tradendo, sive onus Missas celebrandi pro libris aliisve mercibus acceptando. Nec tamen illicite agunt sacerdotes qui pro Missis celebratis recipiunt, stipendii loco, libros vel alias merces, seclusâ quâvis negotiationis vel turpis lucri specie. Imo ex decreto 25 maii 1893, " si quis ex sacerdotali ordine contra enuntiata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit : clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis præterea fiat ad superiores ordines recipiendos : laici demum excommunicatione latæ sententiæ Episcopis reservatâ obstringantur ". Tandem, vi ejusdem decreti, sub gravi obedientiæ præcepto decernitur " ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati... aut utcumque ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni Missarum onera, quæ reliqua sunt, et quibus non satisfecerint, propriis Ordinariis tradant... Ordinarii autem acceptas Missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos... alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum diœceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant inter præfixum congruum tempus, quibus de exactâ earumdem satisfactione constet ".

186. *Regulæ quoad Missas fundatas :* (A) Perpetua Missarum onera non possunt a sacerdotibus sæcularibus accipi absque prævio assensu Episcopi, a regularibus sine prælati regularis licentiâ [1] ; quod sapienter cautum est, ut Episcopi

[1] Hæc pariter attendant sacerdotes, quæ ex Decreto IV Concilii II

perpendere possint tum redditus assignatos, tum possibilitatem hæc onera adimplendi in perpetuum. (B)"In singulis ecclesiis sæcularibus ac regularibus adsit catalogus sive tabella onerum quæ ad perpetuum vel ad certum præfinitumque tempus imposita ipsis ac respective acceptata fuerunt; utque ibidem in sacrario asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporalia onera, in altero vero Missæ *manuales et adventitiæ* inscribantur, una cum fideli ac distinctâ adnotatione subsecuti utrorumque implementi" (C. *Balt.* II, 371). (C) Omnes conditiones temporis et loci adamussim serventur ; si reditus deficiant *in totum*, sine pastoris culpâ, non tenetur Missas celebrare; si in *parte*, et nihil hâc de re in fundatione statutum fuerit, adeatur, per Episcopum, Sedes Apostolica, quæ sola Missarum onera reducere potest, ex Const. *Cum Sæpe* Urbani VIII.

187. *Regulæ quoad Missam pro populo :* (A) *Jure communi* pastores animarum sub gravi tenentur applicare Missam pro populo singulis diebus dominicis, aut festivis de præcepto, etiam suppressis [1]. Sub nomine autem pastorum veniunt : (a) Episcopi qui diœcesim regunt, non autem Vicarii apostolici neque Episcopi mere *titulares*, nisi simul sedis vacantis vel suspensæ administrationem habeant; vel administratores diœcesis canonice erectæ, non autem vicarii capitulares ; (b) abbates, jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum cum territorio separato habentes; (c) parochi proprie dicti, sive seculares sive regulares, sive amovibiles sive inamovibiles aut etiam vice-parochi, qui ad officium parochi supplendum deputati sunt.

(B) In *Statibus Fœderatis*, cum parœciæ non sint canonice erectæ, pastores non stricte tenentur neque ex justitiâ

Cincinnatensis (1863) desumuntur : "Censuerunt Patres ejusmodi fundationes, maxime quando sunt perpetuæ, cum magnâ cautelâ, ob peculiaria in quibus versamur rerum adjuncta et nonnisi in casibus specialiter ab Ordinario approbandis, esse admittendas ; eâ etiam ratione, ut pro Missâ privatâ saltem quinquaginta scutatorum, pro cantatâ vero centum scutatorum prius existat, curante quoque Ordinario, ut conditiones fundationum adamussim adimpleantur" (Cf. Acta C. *Balt.* II, p. 319).

[1] Hos dies recensitos invenire est in *Ordine divini Officii* etc.

neque ex caritate Missam applicare pro populo ; "attamen cum id valde deceat ex caritate, eos omnes enixe hortamur in Domino, ut id muneris adeo populo utile Deoque charum exsequi pergant" (*Syn. Balt.* 35).

(C) Obligatio Missam applicandi pro populo est *personalis*, ab ipso pastore adimplenda, nisi gravis adsit ratio, ut infirmitas, longa absentia etc.; sed est simul *realis*, ita ut legitime impediti *per alios*, dato stipendio, celebrare teneantur; quod si ita factum non fuerit, quamprimum Missa pro populo applicetur (S. C. C. 14 Dec. 1872). Missa pro populo in ecclesiâ parochiali regulariter celebrari debet : si vero legitime absit, pastor obligationi suæ satisfacere potest ubi degit ; nec requiritur Missa solemnis, sed privata sufficit. Si quis duabus distinctis parochiis præsit, duplicem Missam applicare tenetur ; secus vero si Episcopus duas diœceses regat. Cf. Encycl. *In Supremâ* 10 jun. 1882. Si *solemnitas festi* in proximam diem dominicam transferatur, pastores ipso die quo officium festi habetur, Missam pro populo applicare tenentur ; si vero non solum solemnitas, sed etiam *officium festi* transferatur, sufficit Missam applicare die dominicâ, in quam transfertur [1].

3° *Regulæ in ipsâ celebratione servandæ.*

188. *Quoad tempus :* (A) *Jure communi* non licet celebrare ante auroram vel post meridiem ; quod ita est intelligendum ut Missa non absolvatur ante auroram, et saltem incipiatur horâ meridianâ. Sed in hâc regione generatim, vi indulti apostolici, ab Episcopis conceditur facultas celebrandi unâ horâ ante auroram vel post meridiem. Insuper licet tempus celebrationis anticipare vel protrahere : (a) in necessitate, v. g. ut morituro deferatur viaticum ; (b) quum adest causa rationalis, v. g. ut opifices summo mane Missam audire possint, quando secus magna pars populi Missâ careret, aut ex causâ itineris aut solemnioris festivitatis etc. Extra hos aut similes casus, celebrare integrâ horâ ante vel

[1] Si gravi penuriâ laborent parochi, Episcopus eis concedere potest ut die dominico vel festo stipendium accipiant, quo secus infra hebdomadam carerent, eâ tamen conditione ut Missam pro populo infra hebdomadam offerant.

post præfixum tempus esset mortale. (B) In celebratione Missæ vitanda est festinatio, quæ scandalum causat, prolixitas quoque, quæ fastidium parit. " Itaque ne quis infra horæ trientem Missam absolvere audeat, nec ultra dimidiam horam producat ". (C. *Balt.* II, n. 363).

189. *Quoad binationem.* Generatim, excepto die Nativitatis Domini, semel tantum in die celebrare licet Attamen, diebus dominicis aut festivis de præcepto, licet binare : (**a**) quando presbyter duas habet parœcias, nec populus facile potest in eâdem Ecclesiâ convenire; (**b**) quando una est Ecclesia, nec omnes parochiani possunt simul ad unam Missam convenire ; imo in hâc regione, vi specialis indulti, quoties fidelibus *valde utile* est ut sacerdos bis Missam eodem festo die celebret. Illa tamen binandi facultas dependenter ab Ordinario exerceri debet, ad quem pertinet de verâ utilitate judicare, et solum quando deficit alter sacerdos, qui secundam Missam dicere possit. Quando quis duas Missas celebrat, non potest duo stipendia accipere, nisi speciale habeat indultum. In die autem Nativitatis tria stipendia accipere licet, quia ita fert consuetudo. (Cf. C. *Balt.* III, n. 103 et sq., App. de binatione, p. 243).

190. *Quoad locum.* Jure communi non licet celebrare nisi in ecclesiâ consecratâ vel saltem benedictâ. Attamen, in Statibus Fœderatis, vi Indulti Apost., Episcopi communicare solent facultatem celebrandi " sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, si aliter celebrari non possit " ; quod tamen intelligi debet cum restrictionibus appositis a Conc. *Balt.* II, 362. ubi dicitur : " nulli sacerdoti licere Missam celebrare in ædibus privatis,nisi in stationibus, et in ædibus quas Ordinarius designaverit, aut dum actu missionis exercitiis procul ab ecclesiâ dat operam ".

N. B. Cetera quæ referuntur ad ecclesias, calices, sacra linteamina, aut cæremonias vide in Comp. Sacræ Liturgiæ [1].

[1] Hæc tamen inter alia notentur : " Sacerdotes, quamdiu Missam legunt, vel canunt, nunquam ab altari descendant, nisi quando id præcipit Rubrica, aut ad concionem astantibus habendam. Hinc nullomodo id facere licet, ad preces etiam ab Ordinario quâcumque de causâ præscriptas seu latino seu vernaculo sermone recitandas. Hæ

Art. IV. De subjecto sacrificii Missæ [1].

Subjectum sacrificii Missæ sunt illi omnes pro quibus offerri seu applicari potest Missa, tum *vivi* tum *defuncti*.

I. De vivis.

Ex se sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus vivis, sicut et ipsum sacrificium crucis pro omnibus oblatum est. Jure autem ecclesiastico adsunt quædam restrictiones. Pro fidelibus nulla est difficultas ; potest siquidem Missa offerri sive pro justis, sive pro peccatoribus ; sed difficultas est quoad *excommunicatos* et *infideles*.

191. 1° *De excommunicatis :* (A) Probabilius licet sacrificium Missæ offerre pro excommunicatis toleratis, nam ex constitutione Martini V. "*Ad vitanda scandala*", cum illis communicare licet etiam in divinis ; atqui talis concessio importat privilegium pro illis orationes etiam publicas, ac proinde sacrificium Missæ, offerendi ; ergo.

(B) Si autem agatur de excommunicatis non toleratis seu vitandis, non licet pro illis offerre nomine Ecclesiæ, quia Ecclesia illos excommunicando, intendit eos privari illis gratiis, quæ ex suffragiis publicis proveniunt ; unde non licet pro eis stipendium accipere ; sed sacerdos potest, quatenus persona privata, pro illis et præsertim pro eorum conversione offerre quod in Missâ celebrandâ agit ut opus bonum privatum.

192. 2° *De infidelibus :* Missæ sacrificium offerri etiam potest, saltem per modum deprecationis (i. e. ex intentione

namque ante vel post Missam recitari debent. Fertur vero, quod non sine maximo animi dolore accepimus, nonnullos aliquibus in locis esse sacerdotes, qui ipsa intra Missarum solemnia, ab altari recedant, ædemque sacram circumeant, e singulis fidelibus eleemosynam petentes. Quem turpissimum abusum, Ecclesiæ sacrisque ejus ritibus injurium, quique Catholicorum ruborem et indignationem, Acatholicorum vero irrisionem et contemptum provocat, reprobamus et prorsus extirpandum decernimus. Quâ in re singulorum Episcoporum conscientia oneratur". (C. *Balt.* II, n. 364). Hunc abusum iterum damnavit C. *Balt.* III, n. 293.

[1] *Suarez*, disp. 78; *Lugo*, disp. XIX, sect. 10; *Drouin*, q. VII, c. 1; *Lehmk.* n. 175 sq.; *Marc*, 1601.

ut convertantur et pœniteant) pro infidelibus et a fortiori catechumenis. Etenim S. Paulus postulat fideles publice orare "pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt"[1]; quorum plerique tunc temporis infideles erant. Constat etiam ex responso S. Officii 1865, ubi declaratur Missam celebrari posse, accepto stipendio, pro *Turcarum* aliorumque *infidelium* intentione, dummodo non adsit scandalum, nihil in Missâ specialiter addatur, et nihil mali aut superstitiosi adsit in Infidelibus Missam postulantibus. Vetitum tamen fuit a *S. Officio* 1837 ne Missa offerretur pro *græco-schismatico*, "nisi expresse constet eleemosynam a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem"; quod quidem sancitum est ne quibusdam cogitandi præbeatur occasio religionem schismaticam æque valere ac catholicam.

II. De defunctis.

193. 1° *Principia generalia :* Inter defunctos alii sunt in cœlo regnantes, alii in inferno, alii in purgatorio degunt.

(**A**) Sacrificium Missæ non offertur pro *sanctis*, quum pœnam non habeant pro peccatis solvendam, nec gratiam acquirendam : sed offertur *in honorem sanctorum*, ut Deo gratiæ reddantur de illorum victoriis, eorum patrocinia implorentur, et ipsi pro nobis intercedere dignentur, quorum memoriam agimus in terris.

(**B**) Insuper Missa offerri nequit pro *damnatis*, quum isti in statu æternæ reprobationis constituantur, et pœnitentiæ incapaces.

(**C**) Pie et utiliter offertur sacrificium Missæ pro *animabus in Purgatorio* detentis. De fide est ex *Trid.* definiente : "Si quis dixerit Missæ sacrificium.... neque pro vivis et defunctis offerri debere, A. S." (sess. XXII, Can. 3).

(**a**) *Script. :* Legitur enim in libro secundo *Mach.* XII, 43, Judam duodecim millia drachmas argenti misisse Jerosolymam ut offerretur pro peccatis mortuorum sacrificium; atqui si sacrificia antiquæ Legis efficacia erant ad juvandas animas defunctorum, idem a fortiori valet de sacrificio

[1] *I Tim.* II, 1-2.

N. Legis ; ergo. Protestantes equidem non admittunt hunc librum esse inspiratum, sed ejus valorem historicum denegare nequeunt, et hoc sufficit ut ostendatur quænam fuerit antiqua Judæorum fides circa preces et sacrificia pro defunctis. (b) *Rat. Theol.* Sacrificium Missæ est satisfactorium et impetratorium ; atqui sub utroque respectu mortuis prodesse potest ; quatenus satisfactorium directe remissionem pœnæ obtinet, quatenus impetratorium viventibus gratias obtinet quibus excitantur ad bona opera facienda pro defunctis. Ergo.

194. 2° *Regulæ practicæ.* Quum prorsus ignoretur quinam sint in Purgatorio, licet Missam offerre pro omnibus defunctis, nisi specialis adsit Ecclesiæ prohibitio. Jamvero regula generalis Ecclesiæ est ut quibus deneganda fuerit sepultura ecclesiastica, denegari debeant suffragia publica. Hinc sacerdos non potest publice, nomine Ecclesiæ, sacrificium offerre pro excommunicatis vitandis, qui nec ante nec post mortem absoluti fuerunt, nec pro hæreticis et schismaticis ad sectam publice pertinentibus, neque pro infantibus ante baptismum mortuis. Hinc, quum a S. Officio quæsitum fuisset "an liceat Missam offerre pro illis qui in manifestâ hæresi moriuntur, præsertim quando hujusmodi applicatio nota esset, — an licet etiam in casu, quo hujusmodi applicatio Missæ tantum sacerdoti, et illi qui dat eleemosynam nota esset", S. Officium *negative* ad utrumque respondit 7 Aprilis 1875 (*Acta S. Sedis*, Febr. 1893, p. 445). Quod quidem sancitum est ne forte ex contraria praxi deduceretur omnes Christianismi formas esse æqualiter bonas, et sic via indifferentismo paretur. Unde qui, a nemine, rogatus, sponte Missam applicaret pro hæretico materiali, qui bonâ fide et in gratiâ divinâ e vitâ migrasse videtur, sub hâc prohibitione probabiliter non caderet.

Hæc sufficiant de SS. Eucharistiæ mysterio. Clerici autem præ oculis habeant hæc verba : " Si haberes angelicam puritatem et S. Joannis Baptistæ sanctitatem, non esses dignus hoc sacramentum accipere vel tractare. Non enim hoc meritis debetur hominum quod homo consecret et tractet Christi sacramentum, et sumat in cibum panem Angelorum ". (*De Imit.* l. IV, c. 5.)

De Poenitentia.

Auctores consulendi.

Inter **Patres** : *Sæc. III*, **Tertullianus,** Liber de Pœnitentiâ; **S. Cyprianus,** Liber de Lapsis. *Sæc. IV*, **S. Basilius,** Homil. in ps. 32 ; **S. Ambrosius,** Libri duo de Pœnitentiâ ; **S. Ephrem,** Paræneses 76 seu hortationes ad pœnitentiam ; **S. Chrysostomus,** Homiliæ IX de Pœnitentiâ; Libri duo de Compunctione; **S. Pacianus,** Paræenesis, sive adhortatorius libellus ad pœnitentiam. *Sæc. VI*, **Joannes Jejunator,** Consequentia et ordo erga eos qui confitentur[1]. *Sæc. VII*, **S. Columbanus,** De pœnitentiarum mensura taxanda[2]; **Cummianus,** De mensurâ pœnitentiarum[3]. *Sæc. VIII*, **Alcuinus,** De confessione peccatorum ; **Egbertus,** Pœnitentiale[4]; **S. Joannes Damascenus,** Ep. de Confessione. *Sæc. IX*, **Theodorus Cantuariensis,** Pœnitentiale et capitula[5]; **Rabanus Maurus,** Pœnitentium liber[3] ; **Halitgarius Cameracensis,** De vitiis et virtutibus et de ordine pœnitentium.

Inter **theologos** : *Sæc. XII*, **Petrus Lombardus,** Sentent. lib. IV. *Sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.,** O. P., Sum. theol., 3, q. 84 sq.; Supplement., q. 1 sq.; C. Gentil. lib. IV, c. 70-72 ; Opusc. de modo confitendi et puritate conscientiæ, *Sæc. XIV*, **F. Mayron,** O. M., De Pœnitentiâ. *Sæc. XV*, **S. Bernardinus Senensis,** Tr. de Confessione; **S. Antoninus,** Liber de eruditione confessariorum. *Sæc. XVI*, **Barthol. Medina,** O. P., Instructio de sacr. Pœnitentiæ; **Joannes Fisher,** De pœnitentiâ et virtutibus pœnitentiæ annexis ; **S. Carolus Borromæus,** Instructio pro confessariis; **Martinus Azpicuelta** (*Navarrus* dictus), Manuale, seu Enchiridion Confessariorum ; **Emmanuel Sa,** S. J., Aphorismi confessariorum. *Sæc. XVII*, **Sayrus,** O. S. B., Summa sacram. Pœnitentiæ, Venetiis, 1615 ; **Phil. Fabri,** Disput.

---

[1] Ap. *Migne*, P. G., LXXXVIII, p. 1889.
[2] *Migne*, P. L., LXXX, 223. — [3] *Migne*, P. L., LXXXVII, 978.
[4] *Migne*, P. L., LXXXIX, 401. — [5] *Migne*, P. L., XCIX, 927.
[6] *Migne*, CXII, 1397. — [7] *Migne*, P. L., CV, 651.

theol. de pœnitentiâ, de peccato, de suffragiis, Venetiis, 1623; **Suarez**, S. J., de Pœnitentiâ; **Bellarminus**, S. J., De sacram. Pœnitentiæ; **J. de Lugo**, S. J., De virtute et sacram. Pœnitentiæ; **Mart. Perez**, S. J., De virtute et sacram. Pœnitent., Lugduni, 1656; **Petavius**, S. J., De la pénitence publique et de la préparation à la communion; **Jac. Sirmondus**, S. J., Historia pœnitentiæ publicæ, 1651; **J. Morinus**, Comment. historicus de disciplinâ in administratione sacram. Pœnitentiæ, Parisiis, 1651; **Seraphinus a Conceptione**, O. C, De Pœnitent. virtute ac sacramento, Romæ, 1674; **Natalis Alexander**, O. P., Dissertatio polemica de confessione sacramentali, 1678; **Denis de Ste Marthe**, Traité de la Confession auriculaire, Paris, 1685. *Sæc. XVIII*, **Liberius a Jesu**, O. Carm., Fœdus timoris et amoris Dei in ministerio sacramentalis reconciliationis, Romæ, 1713; **Ziegler**, O. S. B., Pharus navigantium, seu de sacram. Pœnitentiæ, Monachii, 1709; **Cl. Pelletier**, Traité dogmatique et moral de le Pénitence, 1728; **P. Collet**, Tr. de Pœnitentiâ, ap. *Migne*, Theol. Curs., vol. XXII; **Ant. Magre**, S. J. Theol. scholast. tr. XII de Pœnit. Ingolstadii, 1732; **P. Straka**, O. Præm., sacram. Pœnitentiæ, Pragæ, 1758-60; **Billuart, Gotti, Wirceburgenses**, oper. cit. *Sæc. XIX*, **F. Kunstmann**, Die lateinischen Pönitentialbücher der Angelsachsen, Moguntiæ, 1844; **Gerbet**, Considérations sur le dogme générateur... suivies de vues sur le dogme de la Pénitence, 1853; **Lierheimer**, Das heilige Busssacrament; **Tappehorn**, Anleitung zur Velwaltung des hl. Busssacraments; **Palmieri**, S. J. De sacramento Pœnitentiæ, Romæ, 1879; **Billot**, S. J., De Sacramentis, t. II, Romæ, 1895; **Tepe**, S. J., Instit. theol., t. IV, 1896; **Pesch**, S. J. t. VII; **Sasse**, S. J. De Sacram. t. II; **Cambier**, De divinâ Instit. confessionis, Lovanii, 1884.

Inter **Protestantes**: **Dallæus**, De sacramentali seu auriculari confessione, Genevæ, 1661; **Blunt**, Sacraments, London, 1868, p. 179 sq.; **Morgan Dix**, The Sacramental system, New York, 1893, p. 92 sq.; **H. C. Lea**, History of Confession and Indulgences, Philadelphia, 1896.

Ex decreto ad Armenos.

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: Ego te absolvo, etc., et minister hujus sacramenti est sacer-

dos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.

Conc. Trident. Decreta et Canones de Pœnitentiæ sacramento [1].

(Sess. XIV.)

CAP. I. De necessitate et institutione sacramenti Pœnitentiæ.

Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio et gratiâ susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordiâ, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent, sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur.

Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ et emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait [2]: "Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas". Dominus etiam dixit [3]: "Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis". Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat [4]: "Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum".

Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens [5]: "Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt". Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum

---

1 Disputationes patrum Tridentinorum de his decretis ac canonibus vide ap. *Theiner*, op. cit. vol. I, p. 531 sq.

2 *Ezech.* XVIII, 30. — 3 *Luc.* XIII, 3. — 4 *Act.* II, 38.

5 *Joa.* XX, 22-23.

consensus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem falso detorquent.

CAP. 2. De differentiâ sacramenti Pœnitentiæ et Baptismi.

Ceterum hoc sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. "Quid enim mihi, inquit Apostolus[1], de iis qui foris sunt, judicare?" Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesiâ Catholicâ nullâ ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.

Alius est præterea Baptismi, et alius Pœnitentiæ fructus : per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus : ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem *necessarium*, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAP. 3. De partibus et fructu hujus sacramenti.

Docet præterea sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ *formam*, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ.

Sunt autem *quasi materia* hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe *Contritio*, *Confessio* et *Satisfactio*. Qui, quatenus in

[1] *I Cor.* V, 12.

pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.

Sane vero res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus et effectu hujus sacramenti sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

CAP. 4. De contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.

Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud[1]: "Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum". Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: "Tibi soli peccavi, et malum coram te feci[2]: Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum[3]: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ"[4]; et alios hujus generis, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse ascribendam. Illam vero contritionem *imperfectam*, quæ *attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam

[1] *Ezech.* XVIII, 31. — [2] *Ps.* L, 6. — [3] *Ps.* VI, 7. — [4] *Isa.* XXXVIII, 15.

disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed et falso docent contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

CAP. 5. De confessione.

Ex institutione sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.

Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur : nam venialia, quibus a gratiâ Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, et Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum apertâ et verecundâ confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam

confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare : constat enim, nihil aliud in Ecclesiâ a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Prophetâ dicimus[1] : "Ab occultis meis munda me, Domine". Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.

Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humilationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ; unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ : quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tanquam pium et merito retinendum.

CAP. 6. De ministro hujus sacramenti et absolutione.

Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini[2] : "Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alli-

[1] *Ps.* XVIII, 13. — [2] *Matt.* XVIII, 18; *Joa.* XX, 23.

gata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo", et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correctionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicumque factam.

Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata, exercere; eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt.

Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed *ad instar actus judicialis*, quo ab ipso, velut a judice sententia pronuntiatur; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de suâ ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentiâ remissionem ullam peccatorum præstaret : nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem jocose absolventem cognosceret, et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

CAP. 7. De casuum reservatione.

Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices maximi pro supremâ potestate sibi in Ecclesiâ universali traditâ, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in suâ cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos traditâ supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externâ politiâ, sed etiam coram Deo vim habere.

Verumtamen pie admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eâdem Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœ-

nitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt : extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAP. 8. De satisfactionis necessitate et fructu.

Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata ; ita una maxime nostrâ ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint ; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesiâ Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur.

Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo unde glorietur : sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salu-

tares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem : nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum; sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliquâ parte imminui : quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

CAP. 9. De operibus satisfactionis.

Docet præterea, tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

CANONES.

1. Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; A. S.

2. Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; A. S.

3. Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : " Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ", non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S.

4. Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscien-

tiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata ; A. S.

5. Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; A. S

6. Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum ; A. S.

7. Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant ; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam ; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum ; aut demum, non licere confiteri peccata venialia ; A. S.

8. Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam ; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ ; A. S.

9. Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum : aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat ; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit ; A. S.

10. Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere ; aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : "Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo" ; et : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt" : quorum verborum virtute

quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; A. S.

11. Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; A. S.

12. Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpâ remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; A. S.

13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; A. S.

14. Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; A. S.

15. Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublatâ pœnâ æternâ, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; A. S.

Objectum et divisio Tractatus.

1. Spiritualis vita, quæ in Baptismo confertur, per Confirmationem roboratur et in sacrâ Communione nutritur, per peccatum mortale amitti potest et aliquando amittitur; reparatur autem per sacramentum *Pœnitentiæ*, quod ideo merito vocatur sacramentum *reconciliationis*, *secunda post naufragium tabula* peccatori oblata, et *baptismus laboriosus*, qui nonnisi arduis laboribus nos a peccato mundat; de quo prædicari potest quod *S. Chrysostomus* de virtute Pœnitentiæ aiebat: "Est enim medela delictorum, consumptio iniquitatum, effusio lacrymarum, fiducia apud Deum, armatura contra diabolum, gladius ejus caput abscindens, spes salutis, desperationis profligatio; hæc homini cœlum aperit, hæc in paradisum introducit, hæc diabolum superat" (De Pœnit. hom. 8). Quanti igitur sit momenti hâc de re catholicam doctrinam exponere nemo est qui non videat, præsertim

quum ex unâ parte sæpe sæpius *Fideles* ad sacrum tribunal recurrant, et ex alterâ tum *Protestantes* tum *Rationalistæ* nullum immotum reliquerint lapidem ad remedii tam efficacis veritatem evertendam.

2. Hujus sacramenti nonnisi *dogmaticam* partem hic exponemus, quum de morali parte in *Synopsi Theologiæ moralis* acturi simus; expendemus videlicet *existentiam*, seu divinam institutionem, et *naturam* sacramenti Pænitentiæ, pauca de *Indulgentiis* per modum Appendicis addentes.

PROLEGOMENA : de Pænitentiæ virtute : { notio. / necessitas.

De Sacramento Pænitentiæ.
- De potestate clavium. { Existentia. / Minister.
- De actibus pænitentis. { De confessione. / De contritione. / De satisfactione.
- De ipso Sacramento. { Existentia. / Elementa. / Effectus.

Appendix : de Indulgentiis.

Prolegomena.

De Pœnitentiâ ut virtute.

Duo exponemus : 1° genuinam pœnitentiæ *notionem*, 2° ejus *necessitatem*.

I. Genuina pœnitentiæ notio[1].

3. (A) *Quoad nomen.* Pœnitentia, juxta plerosque theologos, derivatur a *pœnam tenere*, quatenus homo pœnitendo punit quidquid mali peccando admisit. Juxta recentiores vero, pœnitentia venit a *pœne*, quod antiquitus idem significabat ac penitus, i. e. aliquid intimum, quod cor ipsum afficit[2]. Quidquid sit, vox illa tria præsertim significat : (a) interiorem animi sensum quo res, sive bona sive mala, reprobatur; (b) dolorem conceptum de crimine, non Dei causâ, sed propter malos effectus exinde secutos ; (c) intimum animi dolorem de peccato commisso, Dei causâ conceptum ; quo sensu hanc vocem in hoc tractatu usurpamus.

4. (B) *Quoad rem*, pœnitentia ut habitus definiri solet : *virtus supernaturalis et moralis, peccatorem inclinans ad detestationem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, et ad firmum emendationis satisfactionisque propositum.*

Dicitur (a) virtus *supernaturalis*, quia, licet speculative dari posset *naturalis* habitus pœnitentiæ, actibus repetitis acquisitus, tamen de facto quum ad statum supernaturalem

---

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 85 ; *Suarez*, de Pœnitent. disp. I-VII ; *Salmant.* disp. V; *Morinus*, lib. I, c. 1 ; *Drouin*, q. I, c. 1 ; *Billuart*, diss. II ; *de Augustinis*, p. I, a. 1 ; *Billot*, p. 53-62 ; *Pesch*, n. 87 sq.

[2] Cfr. *M. Bréal et A. Bailly*, Dictionnaire étymologique latin, 1885, p. 241.

evecti simus, virtus pœnitentiæ in christianis est *supernaturalis*, quippe quæ probabilius a Deo *infunditur* cum ceteris virtutibus, ac certo sub influxu *gratiæ actualis* exercetur et motivo *supernaturaliter cognito* dirigitur, videlicet peccatum esse Deo injuriosum, prout in Scripturâ revelatur.

(b) Et *moralis*, non autem theologica, quia ejus objectum materiale non est Deus ipse, sed compensatio pro peccato, nec ejus objectum formale est aliquid divinum, sed honestas actionis quâ quis peccatum suum retractat et reparat.

(c) Inclinans ad *detestationem peccati:* hic est præcipuus pœnitentiæ *actus*, quo videlicet peccator de peccato commisso dolorem seu tristitiam concipit, illud odio habet sincereque repellit, ita ut velit, in quantum fieri possit, illud nunquam fuisse commissum. Unde quatenus species quædam *tristitiæ*, est in concupiscibili appetitu sicut in subjecto; sed secundum quod est virtus, est in *voluntate* sicut in subjecto: voluntatis enim est admittere vel removere peccatum. (*S. Th.* q. 85, a. 4.)

(d) Peccati *proprii*, nam id solum potest *proprie* retractari quod fuit propriâ voluntate patratum. Hinc peccatum *originale* sub hâc virtute proprie non cadit, quia non fuit nostrâ voluntate peractum; nec peccata *aliena*, propter eamdem rationem; peccata vero *propria*, sive mortalia, sive venialia, sive remissa sive non, sunt objectum materiale pœnitentiæ, quatenus ea detestare et vindicare possumus ac debemus. Insuper pœnitentia *late sumpta*, quatenus est peccati odium et vindicta, versatur etiam circa peccata aliena; quo sensu Christus pœnitens fuit, quatenus peccatum odio habuit et pro illo satisfecit. (*S. Th.* q. 84, a. 2 ad 3.)

(e) Quatenus est *offensa Dei:* en proprium pœnitentiæ *objectum formale*, seu motivum; peccatum enim, prout aversio a Deo, ei displicet, eumque offendit, quatenus violat jus quod habet ut sit finis noster ultimus, proindeque sincere retractari nequit, nisi detestetur quatenus est offensa Dei.

(f) Et ad firmum *emendationis* ac *satisfactionis propositum;* non potest enim quis peccatum vere detestari, nisi a peccato cesset novamque instituere vitam sibi proponat; imo non sufficit sola cessatio offensæ, sed exigitur ulterius quædam satisfactio, quâ compensetur offensa Deo irrogata.

Omnes theologi concedunt pœnitentiam esse virtutem, sed quidam negârunt eam esse *specialem* virtutem. Pauci, ut *Gulielmus Antisiodor.* et *F. Mayronus*, docuerunt peccata detestari non per specialem virtutem, sed per virtutem cui opponuntur, v. g. intemperantiam detestari propter virtutem temperantiæ. Alii, ut *Durandus*, dixerunt pœnitentiam nihil aliud esse nisi caritatem, quatenus de peccato dolet prout est offensa Dei. Quidam, post *Cajetanum*, tenuerunt pœnitentiam esse complexum trium virtutum, caritatis, quæ odit peccatum, religionis quæ peccata confitendo Dei dominium agnoscit, justitiæ vindicativæ quæ satisfactionem præstat. — Communiter tamen docent theologi, post *S. Thomam*, pœnitentiam esse specialem virtutem Etenim ibi est specialis virtus ubi occurrit actus laudabilis propter speciale motivum seu objectum formale elicitus; atqui actus pœnitendi est certe actus laudabilis, quum tendat ad destructionem peccati præteriti, atque elicitur propter speciale motivum, quia videlicet peccatum est offensa Dei : hoc enim motivum ad omnia peccata sese extendit, ac differt a motivo aliarum virtutum, proindeque est motivum speciale. Ergo pœnitentia est virtus specialis.

Hæc autem virtus ad *justitiam commutativam* refertur, non quidem tanquam pars subjectiva, sed ut *pars potentialis* [1]; per eam siquidem peccator aliquo modo reparat injustitiam erga Deum commissam, non quidem ad perfectam æqualitatem, sed meliori quo fieri potest modo. Quod sic

[1] Partes *subjectivæ* alicujus virtutis sunt veluti species in quas dividitur, seu partes quæ plene participant rationem illius virtutis; partes *potentiales*, eæ sunt quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus, nec habent totam potentiam hujus virtutis, sed solum aliquid de ejus perfectione. Licet autem pœnitentia sit species quædam justitiæ, aliquid participat aliarum virtutum, ut egregie declaratur a *S. Thomâ* (q. 85, a. 3, ad 4) : Pœnitentia est cum *fide* passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, et cum *spe* veniæ, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad *caritatem*. In quantum vero est virtus moralis, participat aliquid *prudentiæ*, quæ est directiva omnium virtutum ; sed ex ipsâ ratione justitiæ, non solum habet id quod justitiæ est, sed etiam ea quæ sunt *temperantiæ* et *fortitudinis*, in quantum scilicet abstinet ab eis quæ delectationem causant, quod ad temperantiam pertinet, et sustinet dura, quod pertinet ad fortitudinem.

declarat *S. Thomas* (3, q. 85, a. 3): "*Simpliciter justum* est inter æquales, eo quod justitia est æqualitas quædam... *Justum autem secundum quid* dicitur quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale justum consideratur in pœnitentiâ. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud [1]: "Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri"; et sicut filius ad patrem, secundum illud [2]: "Pater, peccavi in cœlum et coram te"; et sicut uxor ad virum, secundum illud [3]: "Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus".

5. (C) *Falsa Protestantium notio. Lutherus*, quem Protestantes generatim sequuntur, contendit pœnitentiam consistere in *resipiscentiâ* seu novæ vitæ institutione, sine ullo peccati antea commissi dolore et detestatione. Fatetur equidem contritionem quamdam esse ad justificationem necessariam, sed contritio illa, nedum sit peccati detestatio, est terroris quidam sensus peccatori incussus, et ab eo passive susceptus, quo ad fidem in Christum excitetur: "Constat autem pœnitentia proprie his duabus partibus: altera est contritio seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato; altera est fides, quæ concipitur ex Evangelio seu absolutione, et credit propter Christum remitti peccata, et consolatur conscientiam, et ex terroribus liberat" [4]. Contra quos sit sequens propositio:

6. *Pœnitentia vera et salutaris non solum est propositum novæ vitæ, sed etiam peccatorum commissorum detestatio.* Certum est.

(a) Quidquid enim dicatur de sensu etymologico vocabulorum *pœnitentia*, vel μετάνοια [5], certum est *usu biblico* voca-

[1] *Ps.* CXXII, 2. — [2] *Luc.* XV, 21. — [3] *Jerem.* III, 1.

[4] Ita *Augustana Confessio* (1530), a. 12, apud *Schaff*, Creeds, vol. III, p. 14. Cf. *Moelher*, Symbolism, § 32-33.

[5] Vox μετάνοια (μετα, trans, νοια, mens) etymologice idem sonat ac transmentatio, seu mentis mutatio, sed ex usu loquendi apud auctores tum sacros tum profanos, tristitiam et dolorem de præterito etiam signi-

bula hujusmodi non tantum simplicem consilii mutationem, sed etiam præteritæ vitæ detestationem, significare; sic v. g. dicebat pius *Job*[1]: "Ideo insipienter locutus sum ... idcirco ipse *me reprehendo*, et ago pœnitentiam in favillâ et cinere"; iterum ait *Psalmista*[2]: "Sacrificium Deo spiritus *contribulatus;* cor contritum et humiliatum non despicies"; nec aliter Prophetæ: "Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris ... et facite vobis cor novum, et spiritum novum"[3]. Porro in his et similibus textibus, præter vitæ mutationem invenire est peccati detestationem; quid est enim *seipsum reprehendere*, cor *contritum* habere, *a peccatis pœnitentiam agere*, etc. nisi vitam præteritam detestari? Præterea, *S. Paulus* pœnitentes Corinthios alloquens, explicite tristitiam commemorat ut veræ pœnitentiæ elementum[4]: "Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam... Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur".

(b) Idem colligi potest ex auctoribus profanis; ita apud *Gellium*[5], Gallus Asinius et Largius Licinius docent nos pœnitere "cum quæ ipsi fecimus ... ea nobis post *incipiunt displicere*, sententiamque in iis nostram demutamus". Eodem sensu scribit *Ovidius*[6]:

> "Pœnitet: oh! si quid miserorum creditur ulli;
> Pœnitet, et facto *torqueor* ipse meo".

(c) Consonat ipsa *ratio:* qui enim resipiscit, et vitam in melius mutat, idcirco consilium revocat, quia priorem vitam malam esse intelligit; utquid enim novam duceret, nisi priorem æquitati contrariam esse videret? Atqui sicut amare bonum tenemur, ita et malum odisse, præsertim si fuerit a nobis commissum. Ergo pœnitentia peccati detestationem importat. Aliunde reconciliatio cum personâ offensâ plus requirit quam cessationem injuriæ; qui enim ab hominibus veniam petit, primum detestationem ac dolo-

---

ficat, ut constat ex Lexicis etiam a Protestantibus editis, *Schleusner*, *Robinson*, *Thayer* etc. Cfr. *Morinus*, op. cit., lib. I, c. 2.

[1] *Job.* XLII, 3-6. — [2] *Ps.* L. 19. — [3] *Ezech.* XVIII, 30, sq.

[4] *II Cor.* VII, 9-10. — [5] *Gell.* l. XVII, c. 1. — [6] I de Ponto, Eleg. I.

rem injuriæ prius illatæ manifestare debet, ut, hoc dolore mota, persona offensa injuriam condonare velit. Eodem igitur modo peccator sese cum Deo habere debet.

II. De pœnitentiæ necessitate[1].

7. *Status quæstionis.* Quæstio est de homine lapso seu peccatore, et de necessitate tum *medii* tum *præcepti.* Illud autem necessarium est necessitate *medii*, quod est medium, et quidem necessarium justificationis adeoque salutis, sine quo proinde, etiam inculpabiliter omisso, salus obtineri nequit; id necessarium est necessitate *præcepti*, quod ita præscribitur, ut ejus omissio, si culpabilis, sit peccatum, si autem inculpabilis, saluti non noceat. (a) Jamvero pœnitentiam in genere, i. e. quamdam peccati detestationem ac retractationem necessariam esse necessitate medii, posito peccato mortali, omnes Catholici docent; controvertitur tamen utrum requiratur formalis actus pœnitentiæ, an sufficiat virtualis, qualis continetur in actu caritatis perfectæ. *Scotistæ* tenent *virtualem* actum pœnitentiæ sufficere; multi *Thomistæ* putant requiri actum *formalem; Suarez* autem distinguit, dicendo actum formalem *per se* requiri, quando quis de suis peccatis cogitat, sed aliquando *per accidens* remissionem peccati per actum virtualem pœnitentiæ obtineri posse, quando videlicet quis, ex oblivione vel inconsideratione, de peccatis suis non cogitat; quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.
(b) *Victoria*[2] negat esse speciale præceptum pœnitendi, ideoque impœnitentiam esse speciale peccatum: textus enim Scripturæ, ait, intelligi debent de necessitate medii, quæ non est semper conjuncta cum præcepto: ita v. g. gratia sanctificans, licet ad salutem necessaria, non cadit sub præcepto. Sed hæc opinio communiter a theologis rejicitur.

8. *Thesis:* **Supposito peccato mortali, certum est actum saltem virtualem pœnitentiæ necessarium esse necessitate medii in præsenti rerum ordine; communiter tenetur eumdem necessarium esse necessitate præcepti.**

[1] *S. Thom.* 3 p. q. 86, a. 2; *Suarez*, disp. IX et XV; *Salmant.* disp. IV, dub. 2; disp. V, dub. 6; *Drouin*, q. I, c. 3; *Palmieri*, th. 7; *de Augustinis*, th. 11; *Sasse*, th. 6. — [2] Tr. de Septem Sacram. q. 121.

Dixi *in præsenti ordine*, quia nonnulli theologi putant Deum posse, de potentiâ suâ absolutâ, condonare peccatum et gratiam infundere absque ullo actu peccatoris ; attentis autem suis attributis, præsertim sapientiâ, justitiâ et sanctitate, non potest.

9. (A) Quoad *necessitatem medii*. (a) *Script.* Id enim necessarium est necessitate medii quod ita cum fine conjunctum est, ut sine eo finis obtineri nequeat ; atqui, posito peccato gravi, salus ita cum pœnitentiâ conjungitur, ut sine eâ haberi non possit, ut ex his et similibus testimoniis colligitur : "Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei... si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono quod locutus sum ut facerem ei"[1] ; "Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... vitâ vivet et non morietur ... si autem averterit se justus a justitiâ suâ, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur ; in prævaricatione quâ prævaricatus est,et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur"[2]. Nec aliter in *Nov. Testamento :* "Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis"[3] ; "Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra"[4], quasi diceretur : conditio necessaria ut deleantur peccata vestra est ut pœnitentiam agatis. Ergo, in præsenti ordine, pœnitentia cum remissione peccati jungitur sicut *medium* cum fine.

(b) *Tradit.* Ait enim *Trident.* (sess. XIV, c. 1) : "Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjectâ et emendatâ, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur" ; ex quo sequitur pœnitentiam necessariam esse necessitate medii, quum omni tempore,

[1] *Jerem.* XVIII, 8-10. — [2] *Ezech.* XVIII, 21-27. — [3] *Luc.* XIII, 5.
[4] *Act.* III, 19.

etiam antequam lex positiva condita fuisset, ad remissionem peccati requireretur.

(c) *Rat. theol.* Peccator salvari nequit nisi prius a Deo remissionem peccati sui impetraverit ; atqui sine pœnitentiâ Deus peccata remittere nequit ; *sapientia* enim vetat ne sibi reconciliet, nec in suam amicitiam recipiat quem a se voluntarie aversum, et in peccati amore obstinatum cognoscit : hoc enim nihil aliud esset nisi peccatum ipsum fovere et præmiari ; insuper *justitia* prohibet ne offensa remittatur sine aliquâ reparatione ; *sanctitas* ne sibi uniat aliquid impurum peccato adhuc adhærens. Jamvero qui graviter peccavit, etiam ex fragilitate, manet a Deo aversus, habitualiter saltem, usquedum pœniteat, neque offensam Deo irrogatam pro posse reparat, sed in eâ perseverat, et peccato adhærere pergit ; ergo Deus peccatum remittere nequit, attentis suis attributis, nisi peccator per actum pœnitentiæ ad Deum sese convertat ; ergo sine pœnitentiâ peccator salvari nequit.

10. (B) Quoad *necessitatem præcepti.* (a) *Script.* textus allati rem jam demonstrant ; Deus enim necessitatem pœnitentiæ tam emphatice declarando, minandoque gravissimas pœnas impœnitentibus satis clare voluntatem suam manifestat ut omnes pœnitentiam agere teneantur. Præterea id sub præcepto cadit quod qui omittit, inobedientiæ fit reus ; porro qui pœnitere renuit, inobedientiæ convincitur, et quidem gravis, cum gravi puniatur pœnâ : " Quia vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret,... ego quoque in interitu vestro ridebo " [1]. Aliunde Christus sub formâ præcepti pœnitentiam prædicavit : " Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : *Pœnitentiam agite;* appropinquavit enim regnum cœlorum " [2]. Frustra autem objicitur gratiam, licet ad salutem necessariam, non cadere sub speciali præcepto ; gratia siquidem non est virtus, sed medium ad virtutem, ideoque non præcipitur directe ; pœnitentia autem specialis virtus est ex dictis, proindeque sub præcepto cadit.

(b) *Rat.* Quisque tenetur, vi *justitiæ*, reparare injuriam alteri illatam ; atqui homo, per peccatum mortale, gravem

[1] *Prov.* I, 24-33. — [2] *Matt.* IV, 17.

injuriam Deo irrogavit ; ergo, ex præcepto justitiæ, ad hanc injuriam compensandam tenetur pœnitentiam agendo. Accedit alia ratio : cuique præcipitur spiritualis salutis curam habere ; atqui peccator animam suam salvare nequit, nisi de peccatis gravibus pœniteat ; ergo vi *caritatis erga seipsum*, pœnitentiam agere tenetur.

11. *Corollaria.* (A) Præceptum pœnitendi est simul *negativum* et *positivum* : quatenus *negativum*, prohibet ne quis in peccatis sibi complaceat ; quo sensu obligat semper et pro semper ; quatenus *positivum*, præcipit ut quis de peccatis commissis doleat, et tunc obligat tempore opportuno, tum *per se*, i. e. vi ipsius virtutis pœnitentiæ, tum *per accidens*, i. e. vi alius præcepti.

12. (B) *Per se* obligat : (a) juxta omnes, *articulo mortis* : tunc enim quisque tenetur, ratione justitiæ erga Deum, et caritatis erga seipsum, Deo reconciliari suæque saluti providere, quum aliud tempus non supersit. (b) Probabilius, *aliquoties in vitâ* ; nam dilatio nimia conversionis ab auctoribus sacris graviter reprehenditur : " Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te "[1] ; "Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ "[2]. Aliunde dilatio conversionis est *periculosa saluti*, quia in nova peccata facile inducit, meritum de condigno impossibile reddit ac periculo damnationis exponit, si mors subito occurrat ; est etiam *Deo injuriosa*, quum per longum tempus peccator ejus inimicus maneat. (c) nec tamen, probabilius, statim post peccatum ; nam, ex communi sensu fidelium, non agnoscitur gravis obligatio statim pœnitendi, nec in confessione accusandi ordinariam pœnitentiæ dilationem. Revera præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum, et sicut quis divino confessionis præcepto satisfacit per annuam confessionem, idem pariter dici potest de ipsâ pœnitentiæ virtute. (*S. Th.* Suppl. q. 6, a. 5.)

13. (C) *Per accidens* autem obligat, quoties tenetur quis ex alio præcepto statum gratiæ recuperare, v. g. ad sacramenta ministranda vel recipienda.

[1] *Eccli.* V, 8-9. — [2] *Rom.* II, 4-6.

De Pænitentiæ Sacramento.

Prænotanda.

14. 1° **Sacramenti Pænitentiæ Notio.** Ante Christi adventum Pænitentia non erat sacramentum; quo securius vero fideles peccatorum post baptisma commissorum remissionem consequerentur, Dominus pænitentiam ad dignitatem sacramenti erexit, Ecclesiæ tradendo potestatem ministerialem peccata remittendi, atque determinando actus a peccatoribus præstandos ad veniam obtinendam.

15. Pænitentiâ, prout sacramentum, a theologis definiri solet: *Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo, per juridicam sacerdotis absolutionem, homini contrito, confesso et satisfactionem promittenti, remittuntur peccata post baptismum commissa.*

Dicitur (a) *quo per juridicam sacerdotis absolutionem*, ut sic declarentur *forma* hujus sacramenti, videlicet sacerdotis absolutio; *minister*, seu sacerdos; et *modus* quo ministratur, nempe judicialis forma; (b) *homini contrito*, etc., quibus verbis designantur tum *subjectum*, tum subjecti *dispositiones*, contritio, confessio et votum satisfaciendi, quæ, juxta multos, sunt etiam *materia proxima* sacramenti; (c) *remittuntur peccata* etc., et ita exprimuntur non solum *effectus* præcipuus, sed etiam *materia remota* sacramenti, videlicet omnia peccata, sive mortalia, sive venialia, post baptismum commissa. Quam definitionem ex dicendis legitimam esse constabit.

16. 2° **Hujus partis divisio.** In parte dogmaticâ hujus Tractatûs, *existentiam* seu divinam institutionem sacramenti Pænitentiæ demonstrare intendimus, necnon ejus *naturam* declarare.

Ad quod præstandum tria expendemus :

I. *Potestatem clavium* Ecclesiæ concessam ;

II. *Actus pænitentis* ad exercitium hujus potestatis requisitos ;

III. *Naturam* sacramenti, prout ex his duobus inferri potest.

Ratio divisionis hæc est : juxta *Tridentinum*, Dominus sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue instituit quando potestatem remittendi peccata, quæ potestas clavium dicitur, apostolis contulit : hanc igitur exponere ante omnia necesse est. Quia vero hæc non exercetur nisi positis quibusdam pænitentis actibus, nempe confessione, contritione et satisfactione, de iis postea agendum est. Cum autem ex potestate clavium et ex actibus pænitentis constituatur ipsum sacramentum, de eodem, per modum corollarii, disputare oportet, describendo ejus *materiam* et *formam* necnon *effectus*.



Caput j.
DE POTESTATE CLAVIUM ECCLESIÆ COLLATA.

Duo expendemus : 1° *num* hæc potestas vere a Christo collata fuerit ; 2° *quinam ministri* eam exercere valeant.

Art. I. De ipsâ potestate clavium, quatenus vere fuit Ecclesiæ collata.

17. **Status quæstionis.** (A) Jam primis Ecclesiæ sæculis, quidam hæretici negârunt aut plus æquo limitârunt potestatem remittendi peccata. (a) *Encratitæ*[1], ducibus *Tatiano* et *Marcione* (sæc. II.) Gnosticorum erroribus plus minusve addicti, putantes materiam et carnem esse malam, nuptiarum usum condemnabant atque absolutam propugnabant continentiam. Docebant christianos ad perfectionem tendere debere et ab omni peccato abstinere ; et contendebant peccata post baptismum commissa esse *irremissibilia.* (b) *Montanistæ*[2], ita vocati a duce *Montano*, in Phrygiâ nato, — cui adhæserunt divites mulieres *Priscilla* et *Maximilla*, posteaque *Tertullianus* circa finem vitæ, — non denegabant Ecclesiæ quamlibet potestatem remittendi peccata, sed eam coarctabant, dicentes quædam peccata esse *irremissibilia*, præsertim adulterium, idololatriam et homicidium, pro quibus pænitentia imponebatur, sed quæ solus

---

[1] *S. Irenæus*, Adv. hæres., I, 28; *Philosophoumena*, VIII, 16, 20; X, 18; *Eusebius*, H. E., IV, 28-29; *Hilgenfeld*, Die Ketzergeschichte des Urchristentums, Leipzig, 1884; *Tixeront*, La Théologie anténicéenne, Paris, 1905, p. 208-210.

[2] *Eusebius*, H. E., V, 3, 14-19; *Tertullianus*, De pudicitiâ; *Duchesne*, Histoire ancienne de l'Eglise, Paris, 1906, ch. 15, p. 270-284; *Tixeront*, op. cit., p. 186-189; *A. d'Alès*, La Théologie de Tertullien, Paris, 1905, ch. 9, p. 435-494.

Deus condonare poterat. (c) *Novatiani*[1], qui, circa medium sæculi tertii, docere cæperunt, duce *Novatiano*, peccatum *apostasiæ*, a *lapsis* commissum, non posse remitti. Longius autem processerunt ejus discipuli atque contenderunt omnia peccata *ad mortem*, præsertim mæchiam, homicidium et apostasiam, esse irremissibilia. Quorum doctrinam sic contrahit *S. Pacianus*[2] : " Quod post baptismum pænitere non liceat, quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. " — Quibus erroribus devictis, per plura sæcula sine controversiâ omnes admiserunt Ecclesiam gaudere potestate divinitus concessâ omnia peccata remittendi, si excipias *Abælardum*, de quo infra.

18. (B) *Protestantes* vero hanc potestatem denuo rejecerunt. (a) *Lutherus* quidem diu anceps mansit, nunc agnoscens, tunc rejiciens hujusmodi sacramentum; quam hæsitationem imitati sunt ejus discipuli[3]. Attamen absolutio, juxta ipsos, vim solum habet *declarandi* non autem efficiendi peccatorum remissionem. (b) *Calvinus* aperte sacramenti existentiam negavit, docens Pænitentiam non vere a Baptismo, vel *Baptismi memoriâ* distingui : juxta ipsum siquidem, per Baptismum non deletur peccatum, sed solum testimonium præbetur peccata fide remissa fuisse, seu potius non imputari. Accidit autem postea baptizatum terreri subsequentibus peccatis, et tunc juvat in ejus memoriam revocare Baptismum antea collatum, ut pignus justificationis pro totius vitæ cursu acceptæ ; quæ *baptismi memoria* nihil aliud

[1] *S. Cypriani* epistolæ; auctor anonymus tr. *Ad Novatianum* (P. L., t. III)., *C. Götz*, Die Busslehre Cyprians, Königsberg, 1895; *L. Chabalier*, Les *Lapsi* dans l'Eglise d'Afrique au temps de S. Cyprien, Lyon, 1904; *Tixeront*, op. cit., p. 373-380; *Duchesne*, op. cit., ch. 20, p. 407 sq.

[2] *S. Pacian.*, ep. III, 1; P. L., t. XIII, 1063.

[3] Hinc in Conf. *Augustanâ* (a. 12) legitur : " De Pænitentiâ docent, quod lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocumque tempore cum convertuntur; et quod Ecclesia talibus redeuntibus ad pænitentiam absolutionem impertiri debeat ". (Apud *Schaff*, Creeds, vol. III, p. 14). — " Absolutio proprie dici potest sacramentum Pænitentiæ, ut etiam scholastici theologi eruditiores loquuntur " (*Melanchthon*, Apolog. art. 5). Cfr. *Pfisterer*, Luthers Lehre von der Beichte, Stuttgard, 1857.

est nisi *Pœnitentia*, quâ renovatur peccati displicentia novæque vitæ propositum[1]. (c) *Anglicani* agnoscunt a presbyteris absolvi posse tum moribundos tum publice communicaturos, imo utilitatem confessionis admittunt, non autem ejus necessitatem[2]. (d) *Ritualistæ* præterea docent absolutionem esse sacramentum, unum videlicet ex *minoribus* sacramentis; non enim inter *majora* sacramenta recensent nisi baptismum et cœnam.

19. (C) Nostris diebus, americanus protestans *H. C. Lea*[3], Dallæi argumenta renovans, divinam institutionem confessionis et absolutionis ita impugnat : (a) Christus in Evangelio, qui sæpe inculcat Deum in spiritu et veritate colendum esse, nullum ritum externum instituit ad remittenda peccata, sed solum dilectionem et cordis pœnitentiam exigit. (b) Potestas remittendi peccata aliquo ritu sacramentali minime agnoscebatur primis Ecclesiæ sæculis. Vigebat quidem disciplina quædam pœnitentialis, sed vim habebat solum in foro *externo*, ad reconciliandos peccatores cum Ecclesiâ, non autem cum Deo. (c) Patres docent multa esse media ad peccatorum remissionem consequendam, sed inter ea absolutionem sacerdotalem non commemorant. (d) Ceteroquin absolutionis verba, super pœnitentes recitata, nihil aliud sunt nisi preces quibus sacerdotes

[1] "Sic autem cogitandum est, quocumque baptizemur tempore, nos semel in omnem vitam ablui et purgari : itaque quoties lapsi fuerimus, repetenda erit Baptismi memoria, et hâc armandus animus, ut de peccatorum remissione semper certus securusque sit; nam etsi administratus præteriisse visus sit, posterioribus tamen peccatis non est abolitus". (*Calvinus*, Instit. l. IV, c. 15.)

[2] Ante communionem, hæc ab Anglicanis ministris dicuntur : "Si in medio vestrum quis reperiatur cujus conscientia in angoribus et in angustiis versetur, atque consolatione vel consilio indigeat, ad me vel ad alium prudentem, doctum ac in lege Dei peritum sacerdotem confugiat; confiteatur et detegat secreto peccata sua suosque angores, ut monita salutaria, consilia nec non solatia recipere possit, et per nos Dei et Ecclesiæ ministros, fidentiam et absolutionem obtineat". Cfr. *Blunt*, The sacraments, London, 1868, p. 190; *Morgan Dix*, The sacramental system, New York, 1893, p. 92-104. — Protestantium doctrinam expositam vide ap. *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 214-229.

[3] *Lea*, A history of auricular confession and indulgences, Philadelphia et London, 1896.

enixe a Deo flagitabant veniam peccatorum, minime vero formæ sacramentales gratiam conferentes[1].

Contra hos errores doctrinam catholicam exponemus ac vindicabimus, Scripturæ et priorum Patrum textus critice expendendo.

20. *Thesis :* **Christus Ecclesiæ contulit potestatem remittendi et retinendi omnia peccata post baptismum commissa, et quidem actu vere judiciali.**

De fide est ex sequentibus *Tridentini* canonibus[2] : 1. "Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, *quoties* post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum; A. S."

3. "Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : "Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt", non esse intelligenda *de potestate remittendi et retinendi peccata* in sacramento Pænitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; A. S."

9. "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum judicialem*, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum : aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pænitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; A. S."

Concilium igitur docet potestatem remittendi et retinendi peccata vere fuisse Apostolis eorumque successoribus collatam; — eamque exerceri posse in catholicâ Ecclesiâ non semel aut iterum, sed *quoties* fideles post baptismum *in peccata labuntur*, ideoque nullum peccatum irremissibile esse; — hanc autem potestatem non esse nudum ministerium declarandi remissa esse peccata, sed *actum vere judicialem* quo sacerdotes ipsi Deo reconciliant peccatores ceteroquin bene dispositos.

§ I. Thesis Scripturâ probatur[3].

Duo ex Scripturâ constant : Apostolis eorumque successoribus *promissam* fuisse *potestatem clavium*, in cujus ampli-

[1] Op. cit., t. I, ch. I-VII, p. 3-167. — [2] *Trident.*, sess. XIV, can. 1, 3, 9.
[3] Cfr. *Corluy*, Spicilegium Dogmatico-biblicum, Gandavi, 1884, t. I, p. 33-51; t. II, p. 438-452; *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 138-145.

tudine continetur *potestas remittendi peccata;* hanc vero potestatem eis fuisse *collatam* ipso resurrectionis die.

21. 1° Hanc potestatem fuisse promissam, constat ex verbis Christi ad Petrum : "Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis[1]. Item ex Christi verbis ad omnes Apostolos postea directis[2] : "Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo". Ad majorem probationis claritatem, prius sensus horum textuum exponendus est.

(a) Petro promittuntur *claves regni cœlorum*, id est potestas jurisdictionis super *universam Ecclesiam*, quam Christus regni cœlorum nomine designat, ut constat ex verbis antea prolatis : "super hanc petram ædificabo *Ecclesiam meam.*" Nam *claves tradere* alicujus domûs aut civitatis idem est ac auctoritatem conferre, ut constat ex usu loquendi apud auctores sacros et profanos; ita quando Eliacim substituitur Sobnæ, templi aut domûs regiæ præposito, dicitur[3] : "Et dabo clavem domûs David super humerum ejus"; pariter quando Christus gloriosus vult significare sibi traditam fuisse omnem potestatem, ait : "Et habeo claves mortis et inferni[4]". Petro igitur confertur vera auctoritas in Ecclesiam.

(b) Quænam sit autem natura hujus potestatis sequentia verba declarant : "*quodcumque ligaveris...*"; his enim promittitur summa potestas in ordine supernaturali ligandi fidelium voluntates per leges, judiciales sententias et pœnas; aliis autem "*quodcumque solveris...*" promittitur potestas solvendi vincula quæcumque quæ fideles ab ingressu cœli prohibere possunt. Unde sic argumentari datur : Christus Petro, ejusque successoribus (ut probatur in *Tr. de Ecclesiâ*) promisit supremam potestatem non solum ligandi fidelium voluntates, sed etiam solvendi omnia vincula quæ eos ab ingressu regni cœlorum cohibere possunt; atqui sane peccata

[1] *Matt.*, XVI, 18-19. — [2] *Matt.*, XVIII, 18. — [3] *Isa.*, XXII, 22.
[4] *Apoc.*, I, 18; cfr. III, 7.

sunt unum e præcipuis vinculis quæ illos a cœlo vel excludere vel retardare valent; ergo his verbis Christus promisit Petro potestatem peccata remittendi.

22. (c) Quod Christus primum soli Petro promiserat, paulo post omnibus simul apostolis pariter promisit; eis non tradit quidem potestatem clavium, seu potestatem supremam, sed potestatem ligandi atque solvendi, quam dependenter a Petro exercebunt.

(d) In utroque casu, hic agitur de potestate in ipsam Ecclesiam exercendâ, non autem in eos qui foris sunt : "Ædificabo Ecclesiam et tibi dabo claves..." Pariter, quando agitur de potestate Apostolis collatâ, prius commemoratur Ecclesiæ : "Dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit..." Potestas hujusmodi distinguitur proinde a potestate baptizandi, quæ exercetur in eos qui foris sunt, ut hi in Ecclesiam introducantur.

Fatemur tamen præfatum argumentum, quamvis probabile, non esse *per se solum* omnino apodicticum; sed ejus vis ex verbis S. Joannis et Patrum auctoritate firmatur; jam enim S. Bontifex *Callixtus* hoc textu utebatur ad probandum sibi inesse facultatem remittendi peccata; *Tertullianus* autem, etsi Montanista, hunc sensum non negabat, sed solum dicebat hanc potestatem Petro collatam solis *spiritualibus* transmissam fuisse[1].

23. Objiciunt quidam Protestantes verba *solvere* et *ligare*, secundum rabbinorum loquendi usum, nihil aliud significare nisi declarare rem esse licitam vel non; dicitur enim in Talmude : Rabbi M solvit, Rabbi N ligat, id est, unus dicit rem esse licitam et alter rem non licere. — Non diffitemur hunc esse sensum hujusmodi verborum, quando id postulat contextus; sed, in casu nostro, contextus, parallelus Joannis locus, et Patrum auctoritas sensum naturalem et obvium confirmant; contextus quidem, quia hic agitur de eo cui jam tradita est potestas clavium, seu suprema auctoritas, quæ scholis rabbinicis minime competebat; de Patribus infra dicemus; nunc ad textum S. Joannis accedimus.

24. 2° Quam promiserat potestatem Christus Apostolis contulit; siquidem a mortuis redivivus, stetit in medio discipulorum et dixit eis[2] : "Pax vobis.... sicut *misit* me

[1] *Tertul.*, De pudicitiâ, c. 21, P. L., t. II, p. 1025.
[2] *Joa.*, XX, 21-23.

Pater, et ego *mitto* vos. Hæc cum dixisset, *insufflavit* et dixit eis : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.*"

Atqui potestas, de quâ hic agitur, non est, ut volunt Protestantes mera facultas prædicandi remissionem peccatorum, vel declarandi peccata pænitentibus esse remissa, sed potestas *vere remittendi* peccata; — non solum quoad pœnam, sed etiam quoad *culpam;* — ad omnia peccata se extendens; — modo judiciali exercenda; — ideoque distincta a potestate peccata remittendi per baptismum. Quod successive declarabimus.

25. (A) Potestas hic concessa est potestas *vere remittendi peccata.* Colligitur (a) ex *contextu;* nam Christus sic exorditur : *sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* quibus verbis declaratur missionem Apostolis dandam similem esse missioni quam Christus a Patre accepit; jamvero Christus non solum prædicaverat remissionem peccatorum, sed ea vere dimiserat, imo ad hoc venerat in mundum ut ea vere destrueret[1]; ergo Apostoli receperunt potestatem vere peccata remittendi. — Postea Christus, sensibili signo *insufflationis*, Apostolis impertitur Spiritum sanctum, ut sic omnibus manifestum sit potestatem ipsis conferendam esse privilegium *novum* et *singulare* quod nonnisi Spiritu S. adjuvante exercere possunt : porro annuntiare remissionem peccatorum non est privilegium tam novum et singulare, quum Prophetæ id præstiterint, et quilibet fidelis id præstare possit; Apostoli ipsi id jam fecerant prædicando; ergo non agitur de prædicatione, sed de remissione peccatorum.

26. (b) Ex ipso *textu :* verbum enim *remiseritis* (gr. ἀφῆτε) est activum, et talem remissionem significat, quæ fiat per actionem positivam et efficacem, non per meram declarationem remissionis jam factæ; confirmatur ex aliâ voce *retinueritis* (κρατῆτε), quæ pariter actionem positivam denotat : non enim Christus dixit "*non remiseritis*", quod mere negativum esset, sed *retinueritis*, quasi actio positiva sacerdotis requireretur. Aliunde in secundo inciso additur "*remittuntur eis, retenta sunt*"; quod quidem, juxta ipsos Pro-

[1] *Matt.* IX, 2-8; *Luc.* V, 20; VII, 47; *Apoc.* I, 5.

testantes, idem sonat ac *vere remittuntur* vel *vere retenta sunt*[1]; ergo, vi parallelismi, priora verba, *remiseritis, retinueritis* eodem sensu intelligi debent : quo enim jure *remittere*, in priori inciso, significare dicitur *declarare remissionem*, et in posteriori vere remittere? Tandem, vi hujus textus, ea est relatio inter remissionem peccatorum ab Apostolis et a Deo factam, ut quotiescumque Apostoli remittunt, Deus remittat; atqui talis nexus bene quidem explicatur si Apostoli verâ facultate remittendi gaudeant; sensus est enim Deum ratum habere in cœlis quod ejus ministri faciunt in terrâ. Si vero solum potestatem habeant prædicandi remissionem, nullus est certus nexus inter declarationem Apostolorum et remissionem peccatorum : quomodo enim, seclusâ speciali revelatione, possunt Ecclesiæ ministri certo scire et declarare peccata esse a Deo remissa?

27. (B) Potestas Ecclesiæ collata *attingit non solum reatum pœnæ, sed etiam reatum culpæ*, ideoque culpam ipsam remittit coram Deo. Christus enim hic utitur verbis ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, quibus antea usus fuerat ad significandam veram peccatorum remissionem quoad culpam[2]. Quod ex contextu confirmatur. Nam (a) agitur de illâ peccatorum remissione quâ missio Christi perficitur et completur; atqui finis proprius hujus missionis erat interior peccatorum remissio : Christus enim in mundum venerat peccatores quærere et salvos facere, justificare, sanctificare et ad cœlum perducere eos qui per peccatum a Deo alieni facti fuerant[1]. (b) Apostoli, remittendo peccata, agunt in virtute Spiritûs sancti ipsis collati : " Accipite Spiritum sanctum... " Jamvero proprium est Spiritûs S. peccata remittere quoad culpam : in ipso enim abluti et sanctificati et justificati sumus[3].

28. (C) Hæc potestas *ad omnia peccata sese extendit.* Nam (a) nulla limitatio apponitur : "quorum remiseritis peccata, remittuntur eis", et græcus textus Ἂν τινων ἀφῆτε clare designat *omnes* peccatores posse veniam consequi;

[1] *Matt.*, IX, 5, 6; *Marc.*, II, 10; *Luc.*, V, 20; VIII, 47-49.
[2] *Marc.*, II, 17; *Matt.*, XVIII. 11; *Luc.*, XIX, 10; *Rom.*, V, 10, 18, 19.
[3] *I Cor.*, VI, 11.

(b) aliunde hæc verba sunt determinativa generalis potestatis solvendi vincula, quæ nullam patitur exceptionem : " quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis " ; possunt igitur remitti omnia peccata.

29. (D) Eadem potestas *exerceri debet actu judiciali*, id est *causam instruendo* et *sententiam* ferendo. (a) Primum quidem apostoli eorumque successores debent *causam instruere* et cognoscere. Duplex enim confertur potestas, peccata tam remittendi quam *retinendi* (quæ vox, ut supra notavimus, plus dicit quam non remittendi); jamvero hujusmodi facultas non potest pro libitu exerceri, sed prudenter; quomodo autem quis scire potest utrum peccata remitti valeant vel non, retineri debeant vel non, nisi prius juridicam materiæ investigationem instituerit ? Ad hoc siquidem requiritur cognitio tum delictorum a peccatore commissorum, tum dispositionum subjecti, ut Apostoli eorumque successores judicare valeant utrum possint, tanquam Christi ministri qui de suâ administratione rationem reddere tenentur, absolvere scilicet eos qui rite sunt dispositi, an ligare indispositos; ergo potestas remittendi peccata supponit etiam jus ac officium causam instruendi.

(b) Causâ vero instructâ, debent etiam *sententiam ferre :* ad ipsos enim spectat peccata retinere aut remittere, secundum dispositiones pænitentis, ideoque conditiones præscribere ad remissionem peccatorum adimplendas, onera et satisfactiones imponere pro peccatis commissis. Ipsis enim inest potestas ligandi æque ac solvendi, et quæcumque retinentur aut remittuntur in terrâ, retenta aut remissa sunt in cœlis. Potestate judiciali igitur gaudent, et peccatores cogere possunt ut potestati clavium se subjiciant, si velint absolvi.

30. (E) Hæc potestas est *distincta a potestate remittendi peccata ante baptismum commissa.* Non diffitemur quidem verba Joannis a quibusdam Patribus intellecta fuisse de potestate remittendi peccata per baptismum ; verba enim Christi generalia sunt, et *ex se* audiri possunt de peccatis ante aut post baptismum commissis. (a) Inspecto tamen contextu, melius intelliguntur de peccatis *post* baptismum commissis; nam, quoties de baptismo agitur, aliqua fit

mentio externæ ablutionis, et remissio peccatorum tribui solet non baptizantis voluntati et judicio, sed virtuti aquæ et Spiritûs S.; aliunde, in baptismo, non exercetur proprie actus judicialis aut potestas *retinendi* peccata : possunt quidem sacerdotes conferre aut denegare baptismum, sed in ipsâ collatione aut denegatione baptismi nullam exercent judicialem potestatem, sed tantum ponunt vel omittunt ministerium simplex reconciliationis.

(b) Quæ interpretatio auctoritate Patrum firmatur : *Origenes* enim aperte dicit potestatem peccata dimittendi apostolis eorumque successoribus fuisse collatam vi præfatorum verborum [1]. *S. Pacianus* magis directe confutat Novatianos, qui dicebant verba Joannis parallela esse verbis Matthæi " Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... " ; et ostendit textum Joannis exponendum esse secundum verba Matthæi " Quæcumque ligaveritis ", ideoque spectare peccata post baptismum commissa [2]. Quam interpretationem suam fecit *S. Ambrosius* [3]. Inter Patres vero qui præfata Joannis verba accipiunt de peccatorum remissione per baptismum, quidam, ut *S. Cyrillus Alexandrinus* aperte docent eadem posse etiam intelligi de peccatis post baptismum commissis [4].

Ex his igitur S. Joannis verbis, et ex modo quo communiter intellecta fuerunt jam a sæculo III, merito infertur Apostolis eorumque successoribus vere fuisse concessam potestatem remittendi, ritu judiciali, omnia peccata post baptismum commissa.

31. 3° Hanc potestatem ligandi et solvendi a *S. Paulo* fuisse exercitam quoad incestuosum Corinthium, multi Patres ac Theologi docent. Revera potestas *ligandi* aliquâ

[1] *Origenes*, De orat, n. 28, P. G., t. XI, 529.

[2] *S. Pac.*, ep. 3ª, n. 11, P. L., t. XIII, 1070.

[3] *S. Ambros.*, De pænit., I, 68, P. L., XVI, 467-468.

[4] " Remittunt porro peccata, vel retinent Spiritu afflati homines duobus, ut arbitror, modis : vel enim dignos ad baptismum vocant, vitæ nimirum gravitate et constantiâ fidei jam probatos homines, vel prohibent, et a gratiâ divinâ arcent eos qui nondum digni sunt; vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, vel pænitentibus ignoscunt ". (*S. Cyril.*, In Joan., lib. XII, cap. XX, 22-23, P. G., t. LXXIV, p. 722.)

pœnâ clare ex hoc textu probatur[1] : " Ego quidem, absens corpore, præsens autem spiritu, jam *judicavi* ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi... *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis*, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi ". Ibi enim Apostolus, per actum *judicii*, condemnat incestuosum alicui pœnæ subeundæ. Indirecte etiam ex his verbis infertur potestas *solvendi*[2]; nam peccator traditur pœnis quibusdam temporalibus, eo fine ut postea justificetur et in die judicii salvetur; et ita jam apparet nexus inter pœnam canonicam ab Ecclesiâ impositam et remissionem peccati, qui postea in disciplinâ pænitentiali manifesto exhibetur.

32. 4° **Solvuntur difficultates.** Attamen contra doctrinam expositam allegantur quidam textus Scripturæ, ex quibus constare videtur quædam peccata esse irremissibilia. Hos textus breviter explicare juvat.

(a) Christus videlicet Pharisæis dixit: "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus autem blasphemia *non remittetur* "[3]. — *Resp.* Contextu inspecto, peccatum de quo agitur est illud quo opera manifesto divina, ut miracula ad divinitatem missionis Christi probandam facta, diabolo ascribuntur, sicque deliberate et pertinaciter fidei lumini clauduntur oculi; agitur enim de Pharisæis qui dicebant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia. Jamvero illud peccatum dicitur *non remitti*, non quod nunquam dimittitur, sed quia *ex se nullam excusationem habet*, nullam veniam meretur; vel, juxta alios, quia *difficilius* remittitur, non quidem ex defectu potestatis aut voluntatis in Deo ejusque ministris, sed quia difficile est ut peccator, qui pertinaciter gratiæ mediis abusus est, sincere pæniteat. Quod sic optime declarat *S. Thomas* (2. 2. q. 14, a. 3) : " Qui enim ex ignorantiâ vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur; qui autem ex certâ malitiâ peccat, non habet aliquam excusationem, unde ejus pœna minuatur. Similiter etiam qui blasphemabat in Filium hominis, ejus divinitate nondum revelatâ, poterat habere aliquam excusationem propter infirmitatem carnis, quam in eo aspiciebat, et sic minorem pœnam merebatur. Sed qui in ipsam divinitatem blasphemabat, opera Spiritûs S. diabolo attri-

[1] *I Cor.*, V, 3-5.

[2] Quidam Patres et Theologi putârunt hanc potestatem Paulum directe exercuisse quando incestuosum Corinthium postea absolvit (*II Cor.*, II, 5-11); sed multo probabilius est eum, de quo agitur secundo loco, non esse incestuosum de quo in primo.

[3] *Matt.*, XII, 31. Cf. *Maldonat*, in h. loc.

buens, nullam excusationem habebat, unde ejus pœna diminueretur". Pergit S. Doctor exponendo peccatum in Spiritum S. etiam irremissibile dici secundum naturam suam, in quantum excludit fidem, ideoque ea per quæ fit remissio peccatorum; sicut morbus insanabilis dicitur secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus curari potest. "Per hoc tamen, ait, non præcluditur via remittendi et sanandi omnipotentiæ et misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur".

Alii tamen, cum *S. Augustino* (serm. 71), tenent peccatum hujusmodi esse finalem impænitentiam, quæ nullo modo remittitur, quia peccatum mortale in quo homo perseverat usque ad mortem, neque in hâc vitâ neque in futurâ remitti potest. Quæ tamen expositio aliena esse videtur a contextu.

33. (b) Allegantur verba *ep. ad Hebræos:* "*Impossibile est* enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritûs S., gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi et prolapsi sunt, *rursus renovari ad pœnitentiam*"[1]. — *Resp.* Hic agitur de *apostatis*, qui, post receptum Baptismum (*illuminati*), post receptam Eucharistiam et Confirmationem (*donum cœleste... participes Spiritûs S.*), ad judaismum aut paganismum revertebantur, et, juxta quosdam Patres et Theologos, declaratur eos non posse renovari *per Baptismum*, cum hujusmodi sacramentum sit initerabile. Quam interpretationem tradit *S. Athanasius*[2]: "Neque, ait, impossibile est pœnitere, sed impossibile est obtentu pœnitentiæ nos renovare. Est autem ingens inter hæc dicta discrimen. Is enim quem pœnitet, peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices. Qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, et renovatur superne genitus Spiritûs gratiâ". Idem *S. Chrysostomus* (hom. IX in h. loc., n. 3). — Alii autem permulti, et quidem probabilius, verbum *impossibile* intelligunt de magnâ difficultate, de morali non autem physicâ impossibilitate, ita ut sensus sit admodum difficile esse apostatas ad veram fidem redire. Simile fere modo intelligi possunt sequentia verba: "Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam *non relinquitur pro peccatis hostia*, terribilis autem quædam exspectatio judicii"[3]; siquidem hic etiam agitur de *apostatis*, qui, quatenus in apostasiâ manent, carent hostiâ pro peccatis, sicut qui voluntarie extra Ecclesiam manent, sunt extra viam salutis; nec tamen exinde præcluditur possibilitas ad fidem christianam redeundi, in quâ offertur hostia pro peccatis[4].

34. (c) Opponuntur etiam verba *Joannis*[5]: "Qui scit fratrem

[1] *Hebr.*, VI, 4 sq. — [2] Ep. 4 ad Serap., n. 13. — [3] *Hebr.*, X, 26.
[4] Cfr. *A. Lemonnyer*, O. P., Epîtres de S. Paul, Paris, Bloud, 1905, t. II, p. 221-223. — [5] *I Joa.* V, 16.

suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est *peccatum ad mortem*, non pro illo dico, ut roget quis". — *Resp.* Quodnam sit illud peccatum ad mortem, disputant theologi et commentatores: probabilius putamus hic agi de peccato infidelitatis, quo divinitas Christi negatur, quum in toto hoc capite S. Joannes de fide in Christum loquatur; Apostolus autem non declarat tale peccatum irremissibile esse, sed solum præceptum pro proximo orandi ad eos qui tali peccato se inquinârunt non extendi; quia, propter sui peccati enormitatem, hoc merentur ut a fidelibus relinquantur sicut ethnici et publicani; aliis verbis isti peccatores privantur publicis Ecclesiæ suffragiis, sicut hodie excommunicati. Si autem *peccatum* ad *mortem* intelligatur de finali impænitentiâ, valet explicatio jam supra proposita.

Fatendum est tamen præfatos textus non recte fuisse ab omnibus intellectos; ex nimis strictâ eorum interpretatione ortus est rigorismus, vi cujus quædam peccata tanquam irremissibilia habita sunt, ut mox exponemus.

§ II. Thesis Traditione probatur [1].

35. Duobus prioribus sæculis nonnisi pauca et obscura inveniuntur testimonia de potestate clavium; tertio et quarto, res aperte expenditur, ortis Montanistarum et Novatianorum erroribus; a quinto sæculo, hæc potestas tanquam veritas inconcussa habetur, et postea solum disputatur de ejus naturâ et modo eam exercendi.

Divisio:
- 1° Testimonia Patrum secundi sæculi.
- 2° Testimonia tertii sæculi contra Montanistas.
- 3° Testimonia tertii et quarti sæculi contra Novatianos.
- 4° Testimonia a quinto ad XIII sæculum.
- 5° Conclusiones ex his testimoniis deducendæ.

[1] *Morinus*, Comment. historicus de disciplinâ in admin. Sacr. Pænitentiæ, Antwerpiæ, 1682, lib. I, c. 3-7; c. 16-19; lib. III-VII; *Palmieri*, Tr. de Pænitentiâ, 2ª ed., Prati, 1896, thes. IX-XI; *L. de San*, op. cit., n. 180-245; *F. Pignataro*, De disciplinâ pænitentiali priorum Ecclesiæ sæcul., Romæ, 1904; *Funk*, Zur altchristlichen Bussdisciplin, Paderborn, 1897; *Boudinhon*, sur l'histoire de la pénitence, in *Revue d'hist. et de Littér. relig.*, t. II, 1897, pp. 306, 496; *Vacandard*, ap. *Rev. du Clergé français*, t. XIV, p. 192; t. XV, p. 195, etc.; *id.*, ap. *Vacant*, Dict. de Théologie, t. I, p. 145-168; *Batiffol*, Etudes d'hist. et de théologie positive, 3ᵉ éd., Paris, 1904; *Swete*, Penitential discipline in the first three centuries, in *Journal of Theological studies*, april 1903, p. 321-337; *Casey*, Notes on a history of auricular confession, Philadelphia, 1899.

I. Secundi sæculi testimonia expenduntur.

36. Primævâ Ecclesiæ ætate, toti erant Doctores in propugnandis fundamentalibus fidei dogmatibus, nempe unitate Dei, divinitate Christianæ religionis, divinitate Christi, obedientiâ episcopis præstandâ, etc. — Insuper, sub influxu enthusiasmi et fervoris in primis christianis communitatibus vigentis, non pauci fideles putabant peccata gravia vix a fidelibus committi posse, ideoque parum de pænitentiâ cogitabant.

Experientiâ tamen compertum est ipsos baptizatos non esse impeccabiles, imo et quosdam in gravissima peccata aliquando labi. Exinde quæstio orta est num et quomodo hæc peccata deleri possint. Gnostici quidam, ut Valentiniani et Carpocratiani, docebant, non obstantibus istis delictis, baptizatos salvari posse, dummodo fidem et caritatem servarent. Alii, *Encratitæ* dicti, tenebant perfectam continentiam esse ab omnibus servandam, ut ita vitarentur peccata, rati hæc esse irremissibilia. Contra quos, Patres secundi sæculi docuerunt peccata, post baptismum commissa, per pænitentiam deleri posse : non diserte tamen, sed obiter et obscure, si res judicatur tantum ex documentis quæ supersunt[1].

37. 1° Id insinuat *S. Ignatius* martyr, dum scribit an. circiter 107 : "Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quotquot *pænitentiâ* ducti redierint ad unitatem Ecclesiæ, et hi Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant[2]". Pariter in *Doctrinâ duodecim Apostolorum* (*Didache*) legitur[3] : " Die autem dominicâ convenientes frangite panem et gratias agite, postquam *delicta vestra confessi estis*, ut sit *mundum* sacrificium vestrum"; ibi enim confessio peccatorum, seu exomologesis, exhibetur ut medium quo peccata tolluntur : "ut sit *mundum* sacrificium". Quod confirmatur ex testimonio *S. Irenæi*[4] : hic enim nar-

[1] Quædam documenta maximi momenti periisse, ex hoc inferri potest quod decretum *Callixti*, de quo infra, novimus solum ex scriptis *Tertulliani*, qui illud impugnat.

[2] Ad Philadelph., n. 3; p. 267 ed. *Funk* (Patres Apostolici), 1901.

[3] *Didache* an. 98-120? n. 14, p. 33 ed. *Funk*.

[4] Contra hæreses, lib. I, cap. 13, n. 5-7, P. G., t. VII, 587-591.

rat mulieres quasdam, a Marco mago et hæretico fuisse seductas et corruptas. Jamvero quædam inter eas, conversæ ad Ecclesiam Dei, peccata sua confessæ sunt, et publicam pænitentiam seu exomologesim fecerunt; aliæ autem publicâ exomologesi perterritæ, desperantes a vitâ Dei abcesserunt. Ex quo merito infertur pænitentiam tunc habitam fuisse ut medium ad vitam divinam recuperandam.

38. 2° Sed opus præcipuum, in quo doctrina pænitentialis hujus ætatis exponitur, est *Hermæ Pastor*, opus scriptum valde probabiliter annis 140-154, a fratre Pii, Romani Pontificis[1].

(a) Imprimis auctor inquirit *num*, post baptismum, *pœnitentiæ locus detur*. Audivit enim *Hermas* a quibusdam doctoribus aliam pænitentiam non esse nisi eam quæ fit in baptismo. "Recte audisti, inquit Pastor[2]; sic enim res se habet. Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum non amplius peccare, sed in castitate permanere[3]. Attamen Deus, cum sit valde misericors, pergit Pastor, pænitentiam concedit pro omnibus peccatis hucusque commissis, et quidem ad modum privilegii *extraordinarii*. Una tantum datur pænitentia : non enim licet pænitere et iterum peccare, ne ita fideles in peccatum inducantur[4]. Remissio autem ad omnia delicta se extendit, etiam apostasiam et adulterium[5].

39. (b) *Modus pœnitendi* postea describitur : "Oportet pænitentem cruciare animam suam et humiliare fortiter in omni actu suo et affligi in omnibus tribulationibus variis; cumque sustinuerit tribulationes sibi supervenientes, omnino miserebitur qui creavit omnia confirmavitque, et remedium aliquod ei dabit; et hoc certe, si viderit cor pænitentis mundum ab omni negotio[6]". Itaque requiritur imprimis cor *contritum* et humiliatum, deinde patiens *acceptatio tribulationum*, tandem *mutatio vitæ:* pergit enim Pastor[7] : "Modo persevera humiliter sentiens et serviens Domino in toto corde puro,

[1] Cfr. *Funk*, Patres apostolici, t. I, p. CXXX : hanc editionem in sequentibus allegamus.

[2] Hic Pastor, juxta quosdam, est angelus Dei; juxta alios, ipse Christus.

[3] *Pastor*, Mand. IV, 3, 2, p. 479 ed *Funk*.

[4] *Mandat.* IV, 3, 4-7, p. 479-481 ed. *Funk*.

[5] *Simil.* VI, 2, 3-4, et VIII, 2, 8-9; VIII, 6, 6; pp. 547, 501, 569.

[6] *Simil.* VII, 4, p. 555 ed. *Funk*. — [7] Ibid., 6.

et filii tui et domus tua, et ambula in mandatis meis, quæ tibi do, et pænitentia tua fortis et munda esse poterit". — Alibi statuitur proportio quædam inter delictum et pœnam[1] : "Luxuriæ et voluptatis tempus est una hora; tormenti hora vim habet dierum triginta. Itaque cum quis unum diem luxuriæ ac deliciis sese dederit, unum autem diem cruciatus fuerit, dies cruciatus totum annum valet. Quot igitur dies luxuriatus quis fuerit, tot annos cruciatur".

40. (c) *Necessitatem* et *efficaciam* pænitentiæ ad vitam spiritualem recuperandam ita declarat[2] : "Quotquot autem non agent pænitentiam, vitam suam amiserunt; quotquot ex iis pænitentiam egerunt, boni evaserunt et habitationem acceperunt in primis muris; quidam etiam in turrim ascenderunt. Vides igitur, inquit, pænitentiam peccatorum vitam habere, impænitentiam vero mortem".

41. *Hermas* igitur optime describit *interiores dispositiones* ad peccati remissionem requisitas, earumque *necessitatem* et *efficaciam* ad gratiam iterum accipiendam; sed de confessione et absolutione tacet, quia ejus scopus erat mores christianos instaurare, non autem omnia describere quæ ad disciplinam pænitentialem spectant[3]. Quod hic autem prætermisit, scriptores tertii sæculi tam expresse affirmant, ut exinde merito inferatur potestatem clavium non fuisse ignotam sæculo secundo.

II. Testimonia Patrum tertii sæculi contra Montanistas.

Pænitentia, quam Hermas tanquam remedium *extraordinarium* tradiderat mediante sæculo secundo, exhibetur ut remedium *ordinarium* ineunte sæculo tertio. — Insuper Ecclesiæ potestas remittendi peccata diserte affirmatur.

42. 1° Id constat ex operibus *Tertulliani*. (A) In libro *De Pœnitentiâ* (an. 200-206), duo distinguit pænitentiæ genera : prior ante baptismum a catechumenis agitur; posterior fidelibus competit qui, post baptismum, in peccata gravia lapsi sunt. Ægre de hâc loquitur, ne baptizati, spe veniæ, ad liberius peccandum inducantur. (a) Imprimis animad-

[1] Simil. IV, 4, 4, p. 551 ed. *Funk*.

[2] Simil. VII, 6, 6, p. 569.

[3] Dici tamen potest *insinuari* recursum ad episcopos Ecclesiæ, ubi agitur de *proportione* inter peccatum et pœnam : hæc enim determinatio fieri nequit nisi auctoritate divinitus institutâ.

vertit hanc pænitentiam *semel* tantum concedi : " Collocavit in vestibulo pænitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat, sed jam *semel* quia jam secundo; sed amplius nunquam, quia proxime frustra[1] ".

43. (b) Hæc autem pænitentia est valde laboriosa. Primo loco peragitur *confessio*, quæ, ex contextu, episcopo aut ejus delegato fieri debet; nam ex hâc confessione satisfactio determinatur et delicto proportionatur[2]. Nil probat hanc confessionem fuisse publicam. — Secundo loco habetur *exomologesis*, seu satisfactio, quæ valde rigorosa erat, ut ex ejus descriptione patet : " Itaque exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; ceterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ caussâ : plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere ". Hâc laboriosâ pænitentiâ Deus placatur : " Cum igitur (exomologesis) provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet[3] ". — Tertio loco absolutio seu venia datur ab episcopo; id non ibi exponitur, sed in *Tr. de Pudicitiâ*, ubi, distinctione factâ inter *leviora* delicta et *irremissibilia*, dicitur[4] : " Levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit ". Habemus itaque, jam ineunte sæculo tertio, tria elementa quæ sacramentum Pænitentiæ essentialiter constituunt, nempe confessionem, satisfactionem et absolutionem.

44. (B) Sed, in *Tr. de Pudicitiâ*, quem Tertullianus jam Montanista scripsit (an. 217-222), auctor admittit quædam peccata esse *irremissibilia*. Occasio hujus tractatûs fuit edictum *Callixti*, in quo R. Pontifex declarabat se remissurum deinceps peccata fornicationis et adulterii : " Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pænitentiâ functis dimitto "[5].

---

[1] De Pænit., c. 7, P. L., t. I, p. 1241.

[2] De Pænit., c. 9, P. L., t. I, 1243.

[3] De Pænit., c. 9. P. L., t. I, 1243-1244.

[4] De Pudicit., c. 18, p. 261 ed. Vindobonensis; P. L., t. II, p. 1017. Hæc *leviora* delicta non sunt *venialia*, sed mortalia a tribus peccatis irremissibilibus distincta.

[5] Hoc decretum novimus ex ipso Tertulliano, De pudic., c. 1, p. 220 Vind.; P. L., t. II, p. 981.

Siquidem tunc vigebat consuetudo, in multis saltem ecclesiis, non absolvendi a tribus gravissimis peccatis, nempe idololatriâ aut apostasiâ, fornicatione aut adulterio, et homicidio; non quia Ecclesia carebat facultate ea remittendi, sed quo efficacius fideles ab his peccatis removerentur. Horum criminum reis imponebatur quidem pænitentia publica, et spes eis relinquebatur quod veniam ab ipso Deo impetrarent; sed absolutio a ministris Ecclesiæ pro his peccatis dari non solebat. — Callixtus autem, timens ne adulteri in desperationem caderent, præfatum edictum promulgavit, de duobus aliis peccatis tacens.

45. Quâ de causâ, Tertullianus montanista eum acerbe reprehendit. Admittit quidem episcopis inesse potestatem quædam peccata dimittendi, ea nempe quæ non sunt ad mortem; sed asserit peccata quædam esse ad mortem seu irremissibilia, inter quæ fornicationem et mœchiam seu adulterium recenset. Aliunde, inquit [1], Callixtus non remittit idololatriam nec homicidium; cur ergo adulterium dimittit? Fatetur tamen Tertullianus hæc tria peccata posse a Deo ignosci. Imo agnoscit Ecclesiæ hanc potestatem competere, sed addit ejus exercitium non expedire: "Sed habet, inquis, *potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono*, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem : potest Ecclesia donare delictum; sed non faciam, ne et alia delinquant " [2]. Ergo hæc potestas absolvendi ab omnibus peccatis, post baptismum commissis, tam inconcussa existimabatur ut ab ipsis Montanistis agnosceretur. Neque negabant verba : "Tu es Petrus... quodcumque ligaveris, etc.", includere potestatem peccata remittendi, sed dicebant eamdem transmissam fuisse non episcopis, sed *spiritualibus* [3], seu discipulis Montani qui Spiritu ducebantur; ita errabant potius circa sacram hierarchiam, et opportunitatem dimittendi peccata quam circa potestatem absolvendi in se spectatam.

Non obstante Tertulliani eloquentiâ, Callixti decretum in Ecclesiam universalem mox receptum fuit, et, mediante

[1] De pudic., c. 5, p. 227 ed. Vind.; P. L., t. II, p. 988.
[2] De pudic., c. 21, p. 269 Vind.; P. L., 1024.
[3] De pudic., c. 21, p. 270-271; P. L., II, 1026.

sæculo tertio, prævaluit usus absolutionem adulteris impertiendi.

46. 1° Aliunde ex *libris liturgicis* et *canonicis* hujus temporis patet potestatem dimittendi peccata episcopis in ipsâ ordinatione fuisse concessam. (A) Ita apud *Canones Hippolyti*, tertio ineunte sæculo, legitur (can. 3) : " Tribue etiam illi, Domine, episcopatum et spiritum clementem ad redimenda peccata; et tribue illi facultatem ad dissolvenda omnia vincula iniquitatis dæmonum ". — Pariter, in *Constitutionibus ecclesiæ Ægyptiacæ*, tertio exeunte sæculo, similia reperire est : " Offerat sacrificium sanctæ Ecclesiæ tuæ, et in sancto animo sacerdoti... peccata dimittat juxta præceptum tuum, ordinationes faciat juxta dispositiones tuas, et in virtute potestatis Apostolis tuis conlatæ, omnia pœnarum vincula solvat "[1].

(B) Quod etiam infertur ex opere *Didascalia Apostolorum*, quod ante finem tertii sæculi in ecclesiâ syriacâ recipiebatur. Ibi enim (cap. 5-10) traditur episcopo officium incumbere graviter quidem increpandi peccatores, eisque pænitentiam imponendi, sed postea eos reconciliandi per manûs impositionem, quia potestatem habet ligandi atque solvendi. Neque ullum excipitur peccatum; sed e contra afferuntur Scripturæ textus, ex quibus constat Deum condonasse peccata Manasse, qui idololatriam et homicidium commiserat, necnon mulieris adulteræ[2].

Ita, tertio sæculo, potestatem remittendi peccata Ecclesiæ inesse agnoscunt ipsi Montanistæ, atque aperte docent libri liturgici et canonici : et exinde merito infertur eamdem doctrinam sæculo secundo fuisse receptam : si enim Tertullianus novisset hanc doctrinam fuisse recenter in Ecclesiam invectam, id sane dixisset dum tam acerbe impugna-

[1] Ambo hæc documenta invenies ap. *Monumenta Ecclesiæ liturgica* (quæ ediderunt *F. Cabrol* et *H. Leclerq*), Parisiis, t. I, p. XXXI.

[2] Textum syriacum hujus operis edidit *Lagarde*, Lipsiæ, 1854; gallicam versionem publici juris fecit *Nau* ap. *Canoniste contemporain*, t. XXIV, 1901, pp. 78, 137, 205, 273, 336, 401, 543, 643; t. XXV, 1902, pp. 14, 73, 138, 193. — Eamdem doctrinam invenies in *Constitutionibus apostolicis;* cfr. *Funk*, Die Apostolischen Konstitutionen, eine litterar-historische Untersuchung, Rottenburg, 1891.

bat Callixtum; aliunde preces ordinationis et canones superius allati de potestate clavium non fuissent universim recepti, nisi fidei Ecclesiæ consentanei fuissent.

III. Patrum doctrina contra Novatianos.

47. Mox autem quæstio orta est de absolutione *lapsorum*, seu eorum qui in apostasiam lapsi erant tempore Dacianæ persecutionis (an. 250). Christiani multi idolis sacrificaverant, et *sacrificati* vocabantur; alii ab officialibus libellum acceperant in quo declarabatur ipsos sacrificasse, etsi revera ab idolorum cultu abstinuissent; quare *libellatici* dicebantur. Sedatâ tempestate, multi ex lapsis reconciliationem et absolutionem quærebant, a confessoribus et martyribus petentes *libellos pacis* quos sacerdotibus exhibebant ut statim in pacem Ecclesiæ reciperentur. Exinde orta est quæstio num *lapsis* absolutio concedenda esset, sicut et mœchis, et quænam auctoritas competeret martyribus in hâc reconciliatione.

48. 1° *S. Cyprianus*, tum in epistolis tum in libro de Lapsis, ita respondet. (a) Iis lapsis qui verâ pænitentiâ et Christi confessione suum peccatum expiaverunt, pax neganda non est : " Cum ergo abluerint omne delictum, et maculam pristinam assistente sibi Domino potiore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo non debent qui extorres facti et bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se et cum Christo stare cœperunt "[1]. Pariter si periculosâ infirmitate laborent, statim reconciliari possunt, " ut exomologesi factâ et manu eis a vobis in pænitentiam impositâ, cum pace a martyribus sibi promissâ ad Dominum remittantur "[2].

49. (b) Sed, extra hos casus, lapsi longam agere debent pænitentiam antequam absolvantur, nec approbandi sunt sacerdotes qui, exhibitis litteris pacis a martyribus datis, statim lapsos ad communionem acceperunt : " Nam, cum in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc, crudo tem-

[1] Ep. XXV, p. 538 ed. *Vind.*, P. L., t. IV, p. 274.

[2] Ep. XIX, 2, p. 525 ed. *Vind.*; P. L., t. IV, p. 260; cfr. ep. XVIII, p. 524 ed. *Vind.*, et P. L., 259

pore, persecutione adhuc perseverante, nondum restitutâ Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, et offertur nomine eorum, et nondum pænitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu eis ab episcopo et clero impositâ, eucharistia illis datur"[1]. (c) Quare martyres possunt quidem, in libellis pacis, episcopo commendare lapsos, non autem exigere ut hi statim reconcilientur.

50. Cum autem nonnulli de hoc conquererentur, S. Cyprianus ad presbyteros et diaconos Romæ, sede pontificâ vacante, scripsit, totam rem exponens; hi autem ejus agendi rationem approbârunt atque praxi Romanæ Ecclesiæ confirmârunt; caute et prudenter erga lapsos agebant, "ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pænitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem"[2].

Postea hæc agendi ratio approbata fuit a Concilio *Carthaginensi* (an. 251), cui multi episcopi interfuerunt. Discrimen institutum est inter *libellaticos* et *sacrificatos:* priores post aliquam pænitentiam reconciliabantur, posteriores tantum in exitu vitæ: "Et ideo placuit... examinatis causis singulorum *libellaticos* interim admitti, *sacrificatis* in exitu subveniri, quia exomologesis apud inferos non est"[3]. Ii vero qui per vitam pænitentiam agere noluerunt, et solum tempore periculosæ infirmitatis exomologesim deprecantur, non recipient communionem et pacem, quia "nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum"[4].

Quæ tamen decreta non placuerunt Novato et Felicissimo, qui Romam profugerunt, et Novatiano adhæserunt: hic presbyter, dolens quod non fuerat electus S. Pontifex, ab Ecclesiâ secessit, et docuit Ecclesiam non posse remittere peccatum apostasiæ. Hic error damnatus fuit in Concilio Romæ habito an. 251. Sed per multos annos supervixit; imo discipuli Novatiani postea docuerunt omnia peccata ad mortem non posse ab Ecclesiâ dimitti.

51. 2° Contra quos scripserunt, inter alios, *S. Ambrosius* et *S. Pacianus.*

(A) *S. Ambrosius*, in lib. de Pænitentiâ[5], contra Novatianos (an. circiter 384), probat Christum Ecclesiæ contulisse potestatem omnia peccata dimittendi; quod demonstrat ex verbis Joannis[6]: "Quorum remiseritis peccata...",

[1] Ep. XVI, 2, p. 518 ed. *Vind.*; P. L., t. IV, p. 251-252.

[2] Ep. XXX (alias XXXI), p. 556 ed. *Vind.*; P. L., t. IV, p. 315. — Hanc epistolam scripsit *Novatianus*, postea rigorismi et schismatis fautor; et jam aliqua severitatis nota in ejus epistolâ apparet.

[3] Ep. LV, 17, p. 636 ed. Vind.

[4] Ibid., 23, p. 641-642 ed. Vind.

[5] *Migne*, P. L., t. XVI, p. 465-524. — [6] P. L. XVI, 467.

et ex verbis Matthæi[1] : " Tibi dabo claves regni cœlorum ...; ostendit textum Joannis de *peccato ad mortem* non significare peccatum irremissibile, cum multi, post lapsum, pro nomine Christi martyrium passi et salvi facti sint[2].

52. Neque objici potest incestuosum traditum fuisse in *interitum carnis;* hic enim interitus non consummatam absumptionem, sed castigationem significat[3]. — Solvit etiam difficultatem petitam ex *ep. ad Hebræos:* " Impossibile est enim hos qui semel illuminati...", allegando alia loca S. Pauli, et exponendo id solum significari his verbis, unum esse baptisma in Novâ Lege, dum plura erant baptismata sub Antiquâ; aliunde, inquit, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum[4]. — Aliam objectionem, ex blasphemiâ in Spiritum S. desumptam, contra Novatianos retorquet, ostenditque illud peccatum esse *schisma*, quo quis a verâ Ecclesiâ secedit.

Postea hortatur peccatores ad pænitentiam, quæ consistit in fletu, contritione cordis et confessione : " Ostende igitur medico vulnus tuum, ut sanari possis. Etsi non monstraveris, novit; sed a te expetit audire vocem tuam. Absterge lacrymis cicatrices tuas "[5]. Tandem describit exercitia pænitentiæ : " Renuntiandum sæculo est : somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat; interpellandus est gentibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus; vivendum ita ut vitali huic moriamur usui, se ipsum sibi homo abneget, et totus mutetur "[6].

53. (B) *S. Pacianus*, Barcinonensis episcopus, in epistolis tribus ad Sympronianum novatianum scriptis (an. circiter 380), doctrinam catholicam diserte propugnat contra Novatianos. (a) Probat non solum apostolis, sed eorum successoribus concessam fuisse a Deo potestatem peccata dimittendi : " Nunquam Deus non pænitenti comminaretur, nisi ignosceret pænitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est : sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit : *Quæ ligaveritis in terris*, etc... Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet "[7]. (b) Quia vero Novatiani dicebant inutilem fore baptismum, si pænitentibus remissio peccatorum datur, S. Pacianus ostendit discrimen

[1] P. L., XVI, 476. — [2] P. L., XVI, 480-482. — [3] P. L., 496.
[4] P. L., 499. — [5] P. L., p. 513. — [6] P. L., p. 520.
[7] Ep. I ad Sympron., n. 6, P. L., t. XIII, 1057.

esse inter utrumque sacramentum : " Baptismus enim sacramentum est dominicæ passionis; pænitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci póssunt, quia gratiæ Dei donum est, id est gratuita donatio; labor vero iste paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt " [1].

54. (c) Cum hæretici contenderent remissionem peccati esse incitamentum ad peccandum, respondet Pacianus : "Quid ais? Ergo qui sæpius remedium criminis monstrat, crimen ostendit? Et medicus ille cum curat assidue vulnerari docet? Deus nec peccare vult hominem semel, et tamen liberat a peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet; sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat " [2]. (d) Tandem ostendit *omnia* peccata posse remitti : " *Quæcumque solveritis*, inquit; omnino nihil excipit. *Quæcumque*, inquit : vel magna, vel modica " [3]. — Quia vero opponebatur condemnatio incestuosi, respondet hunc non fuisse Satanæ traditum ad mortem æternam, sed ad pænitendum : " Deinde vides quod hic ipse peccator incestûs non morti traditur, sed satanæ, ad emendandum, ad colaphizandum, ad pænitendum. Denique ait, *Ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritûs; sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum " [4].

Multi alii Patres quarti sæculi hanc absolvendi potestatem tanquam veritatem inconcussam tradunt [5].

55. 3° Patrum testimonia non parum firmantur institutione *pænitentiariorum*, seu sacerdotum quibus officium incumbebat pænitentiam peccatoribus imponendi et absolutionem impertiendi, nomine Episcopi. Hanc institutionem in Ecclesiâ orientali incœptam fuisse tempore Decianæ persecutionis (an. 250) testatur *Socrates* [6] : " Ex illo tempore episcopi pænitentiarium presbyterum albo ecclesiastico

[1] Ep. III ad Sympron., n. 8, P. L., XII, 1068.

[2] Op. cit., n. 9, p. 1069. — [3] Op. cit., n. 12, p. 1071.

[4] Op. cit., n. 18, p. 1075.

[5] Ita, inter alios, *S. Joannes Chrysostomus*, in opere De Sacerdotio, l. III, c. 5, P. G., t. LXVII, 643; *S. Gregor. Naz.*, Orat. 39 in SS. Lumina, n. 18-19, P. G., t. XXXVI, 356-357; *S. Aphraates*, Patrol. syriaca, ed. *Graffin*, 1894, t. I, pp. 313-360; *S. Ephrem.*, Opera, Romæ, 1740, t. II, p. 440; *S. Hilarius*, Comment. in Matt., P. L., t. IX, 1921, etc.

[6] H. eccles., l. V, c. 19, P. G., t. LXVII, p. 614-615.

adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem instituto, delicta sua confiterentur". *Sozomenes* addit hunc presbyterum peccatores absolvisse [1] : "Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat (ἀπέλυε) confitentes, a se ipsis pœnas criminum exacturos". — Valde probabile est Romæ pariter constitutos fuisse pænitentiarios ineunte sæculo quarto [2]; dicitur enim in *Libro Pontificali*, de Marcello papâ (an. 308-309) : "Hic... viginti quinque titulos in Urbe Roma constituit, quasi diœceses, propter baptismum et pænitentiam". Jamvero ex hujusmodi institutione infertur potestatem remittendi peccata hâc ætate fuisse admissam non solum in Ecclesiâ occidentali, sed etiam in orientali.

Ergo, tum ex Patribus, tum ex praxi Ecclesiæ certo constat in utrâque Ecclesiâ, sæculo quarto, agnitam fuisse potestatem clavium; et ex damnatione Montanistarum et Novatianorum patet nulla peccata esse irremissibilia.

IV. Testimonia Patrum a sæculo quinto.

56. 1° A sæculo quinto et deinceps, Ecclesiæ inesse potestatem omnia peccata remittendi, omnes auctores sine dubio asserunt. (a) Generatim absolutio feriâ quintâ Majoris Hebdomadæ pænitentibus conceditur, et, si occurrit periculum mortis, quocumque alio tempore, ut patet ex ep. *S. Innocentii I Papæ* ad Decentium, episcopum Eugubinum [3] : "De pænitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pænitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quintâ feriâ ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pænitentis, et ad fletus

[1] H. eccles., l. VII, c. 16, P. G., t. LXVII, p. 1459.

[2] Quidam tamen catholici id negant, putantes pænitentiæ impositionem et peccatorum absolutionem, in Ecclesiâ occidentali, fuisse episcopo reservatam. Ita *Vacandard*, ap. *Revue du Clergé français*, t. XLII, 1905, p. 361; contrarium tenet *Batiffol*, ibid., p. 449. — Quoad thesim nostram, parum refert, cum hic agatur de *potestate* clavium, non autem de ministris eam exercentibus.

[3] Ap. *Migne*, P. L., t. II, p. 559.

atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis ægritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat".

57. (b) Idem docet S. Leo Papa, in ep. ad Theodorum, Forojuliensem episcopum, addens nemini in extremis posito reconciliationem esse denegandam [1]: "Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pænitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ... Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pænitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent... His autem qui in tempore necessitatis et in periculi urgentis instantiâ præsidium pænitentiæ et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda". (c) *Cœlestinus I*, episcopis Viennensis et Narbonensis provinciæ scribens, stricte reprehendit praxim denegandi pænitentiam morientibus [2]: "Agnovimus pænitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui qui obitûs sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet; quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est quam morienti mortem addere, ejusque animam suâ crudelitate, ne absoluta possit esse, occidere?"

58. 2° Eâdem ætate, distinctio instituitur inter pænitentiam publicam et privatam, et praxis pluries absolvendi, toties nempe quoties delinquitur, generalis evadit.

(a) Jam apud *S. Leonem* vestigia inveniuntur duplicis pænitentiæ generis: hic enim docet quædam delicta per jejunium et impositionem manuum expiari posse, dum alia graviora, qualia sunt idololatria, fornicatio et homicidium, nonnisi per pænitentiam publicam [3]. — In *Angliâ*, missionarii romani pænitentiam publicam non instituerunt, sed solum privatam [4]. In *Galliâ*, qui publice peccaverant, publice pænitere debebant; qui occulte, nonnisi secreto

[1] Ap. *Migne*, P. L., t. LIV, p. 1011.
[2] Ap. *Migne*, P. L., t. LVI, p. 577.
[3] Ep. 167, inquisit. 19, P. L., t. LIV, p. 1209.
[4] Pænitentiale Theodori, l. I, c. 13, n. 4.

pænitebant, ne forte infirmi scandalizarentur[1]. Unde duplex erat absolutio : publica aut privata, secundum naturam peccatorum quæ commissa fuerant[2].

59. (b) Pariter pænitentia, quamdiu *publica* fuit, semel tantum concedebatur; sed pænitentia *privata* toties dabatur quoties opus erat. Jam *Chrysostomus*, teste Socrate[3], dixerat : Licet millies pænitentiam egeris, accede; sed ob hanc causam a familiaribus suis reprehensus est. Mediante sæc. V, *Victor Tunonensis* in Africâ absolutionem promittebat iis qui peccatis peccata adjecerant[4]. Hanc quidem praxim reprobavit C. *Toletanum* (an. 589) ut execrabilem præsumptionem[5]; sed iste rigorismus mox evanuit, et consuetudo prævaluit ad pænitentiam recurrendi quoties peccatum fuerat commissum.

60. 3° Paulatim igitur pænitentia privata successit pænitentiæ publicæ, et frequentior evasit : hæc erat mutatio disciplinæ, non autem doctrinæ. Attamen, sæc. XII, *Abælardus* docuit potestatem peccata remittendi soli Deo competere, eamque fuisse divinitus concessam apostolis, non autem eorum successoribus. Hic autem error tanquam hæreticus statim habitus est, et mox condemnatus a concilio *Senonensi* (1140), necnon ab *Innocentio II*[6]. — Erravit etiam circa *naturam* hujus potestatis *Petrus Lombardus*, qui tenebat per contritionem remitti peccata, ita ut sacerdotes proprie non dimitterent peccata, sed judicando ostenderent esse remissa[7]. Cujus tamen opinio multum differebat a Protestantium hæresi; nam tenebat peccata vere sacerdotum ministerio dimitti, etsi per Deum : " Sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi; et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit[8] ". Errabat igitur potius

[1] *Raban. Maurus*, De cleric. instit., lib. II, c. 30, P. L., t. CVII, p. 343.
[2] *Migne*, P. L., t. XCVII, p. 715.
[3] H. eccles., l. VI, c. 21, *P. G.*, LXVII, p. 726-727.
[4] Inter opera S. Ambrosii, *P. L.*, t. XVII, p. 971 sq.
[5] *Conc. Tolet. III* can. 11, ap. *Bruns*, Can. apostolorum et conciliorum, Berolini, 1839, t. I, p. 215.
[6] *Mansi*, Conciliorum collectio, t. XXI, p. 569.
[7] Sentent. lib. IV, dist. 18, ap. *Migne*, P. L., t. CXCII, p. 885-889.
[8] Distinct. 17, n. 5.

circa *modum* quam circa rem ipsam. Ejus errorem correxit *S. Thomas*, docendo absolutione sacerdotis non solum ostendi, sed etiam vere conferri peccatorum remissionem[1]. Doctorem Angelicum mox secuti sunt omnes theologi, et controversiæ hâc de re desierunt, usque ad Reformationis tempora. Ita via parabatur definitionibus Tridentinis.

V. Conclusiones ex præfatis testimoniis deducendæ.

Ex his testimoniis, sincere expositis, eruuntur conclusiones, quarum quædam *certæ* sunt, et aliæ hodie etiam *disputantur*.

61. 1° **Quid sit certum.** (A) Certo constat *Ecclesiæ concessam fuisse potestatem dimittendi peccata post baptismum commissa.* Id enim testantur, tertio sæculo, non solum Doctores catholici, sed etiam *Tertullianus*, montanista factus (n. 45), etsi acriter Callixtum reprehendat propter hujus potestatis exercitium; id testantur monumenta *græca* et *syriaca* ejusdem temporis, ex quibus evidenter elucet potestatem peccata remittendi fuisse episcopis collatam in ipsâ ordinatione. Jamvero persuasio tam universalis in utrâque Ecclesiâ, de re tanti momenti, vigere non potuit, nisi sæculo secundo jam admissa fuerit; Montanistæ enim et Novatiani, qui potestatem Ecclesiæ limitare conabantur, ejus existentiam non admisissent, nisi jam antiquâ traditione probata fuisset; aliunde preces liturgicæ, in quibus tam manifeste asseritur potestas clavium, jam sæculo secundo in usu erant, nec, in re tam practicâ adulterari poterant, quin simul fideles et hæretici reclamarent.

Ceteroquin pænitentia publica sæculo secundo vigebat, testibus *Herma* et *S. Irenæo*, et quidem ad remissionem peccatorum consequendam : hi auctores non loquuntur quidem de interventu auctoritatis ecclesiasticæ in impositione pænitentiæ et reconciliatione pænitentium; sed, teste *Ignatio*, nihil alicujus momenti, in rebus spiritualibus, sine auctoritáte episcopi fiebat; ideoque merito infertur pænitentiam publicam secundo sæculo, sicut et tertio, auctoritati episcoporum fuisse subjectam. Ita potestas clavium, a Christo apostolis concessa, et a S. Paulo jam exercita, primis Ecclesiæ sæculis satis aperte evincitur ex disciplinâ pænitentiali tunc vigente.

[1] In IV Sentent., dist. XVII, q. 5, a. 5, sol. 1 et 2, et dist. XVIII, q. 1, a. 3; *Supplement.*, q. 18, a. 1.

62. (B) Nec minus evidenter constat hanc exercitam fuisse *modo judiciali*. Episcopus enim, qui judex erat spiritualis, opera pænitentialia a peccatoribus peragenda, et quamdiu in eis perseverandum esset, præfiniebat, ut constat ex epistolis *S. Cypriani* aliisque documentis; ad ipsum pariter spectabat peccatores Deo reconciliare, quando id opportunum judicabat, per impositionem manûs et speciales preces. Poterat tamen presbyteros delegare ad pænitentiam ministrandam; et revera, in quibusdam ecclesiis, tertio exeunte sæculo, instituti sunt sacerdotes pænitentiarii, qui et ipsi, nomine episcoporum, judicabant quænam peccata publicâ pænitentiâ expianda essent. Sed in utroque casu, processus judicialis erat.

63. (C) Certum est etiam potestatem clavium ad *omnia peccata* sese extendisse. Secundo sæculo, nulla apparet hujus potestatis restrictio, ut constat ex *Herma* et *S. Irenæo*. Tertio sæculo, quædam peccata tanquam *irremissibilia* habentur, et de facto, in quibusdam saltem ecclesiis, non remittuntur; sed *Tertullianus* ipse fatetur Ecclesiam auctoritate gaudere ab eis absolvendi, quamvis teneat hâc uti non expedire, ne forte, spe veniæ obtinendæ, baptizati ad peccandum alliciantur.

64. (D) Pænitentia publica peccatores reconciliabat non solum cum Ecclesiâ, sed etiam *cum Deo*, ideoque non solum pœnam, sed etiam *culpam* remittebat. Id constat, non obstantibus Protestantium denegationibus, ex documentis jam allatis : (a) ex totâ controversiâ cum Montanistis et Novatianis; ita *Tertullianus* conferens baptismum cum pænitentiâ, priorem vocat *primam spem*, posteriorem vero *secundam spem*, quia videlicet pænitentia peccata remittit sicut baptismus [1]; præterea, quando asserebat quædam peccata esse irremissibilia, certe agebatur de remissione coram Deo; ideoque, dum fatebatur Ecclesiæ inesse potestatem delicta donandi [2], idem erat sensus. Pariter *Cyprianus* peccatores hortatur ad exomologesim faciendam, " dum remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est [3] ".

[1] *Tertullianus*, De pænitent., c. 7 et 9; P. L., t. I, 1240, 1243.
[2] De pudicitiâ, c. 21. — [3] De lapsis, c 29, P. L., t. IV, p. 489.

Idem constat ex testimoniis *S. Ambrosii* et *S. Paciani*, superius allatis (n. 51-54). (b) Ex frequenti collatione inter virtutem baptismi et pænitentiæ; ita in *Didascaliâ Apostolorum*, peccatorum reconciliatio secundo baptismo comparatur[1]. Similiter *S. Hieronymus* docet peccatores in sanguine Christi ablui in baptismo, "aut in pænitentiâ quæ imitatur baptismatis gratiam"[2]. *Augustinus* pariter de homicidio dicit: "Si a catechumeno factum est, baptismate abluitur, et si a baptizato, pænitentiâ et reconciliatione sanatur[3]". (c) Ex formulis absolutionis in *Pænitentialibus* contentis: "Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tuâ pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia pietatis ad veniam"[4].

Ex his igitur testimoniis certo constat potestas clavium, et thesis nostra luculenter demonstratur.

65. 2° **Quid disputetur.** Hodie tamen, inter catholicos auctores, duæ præcipuæ quæstiones adhuc agitantur: (a) num, per aliquod tempus, in universâ Ecclesiâ, absolutio tribus maximis peccatis denegata fuerit; (b) num, quinque prioribus sæculis, præter pænitentiam publicam, viguerit etiam pænitentia privata.

(A) Ad primum quod spectat; (a) auctores maximi ponderis, ut *Morinus*, *d'Aubespine*, *Juenin*, *Petavius*, *Sirmond*, *Funk*, *Vacandard*, *Batiffol*, putant Ecclesiam, per tria priora sæcula, absolutionem denegasse reis apostasiæ, fornicationis et homicidii[5], etiam in articulo mortis, eos remittens judicio Dei simulque preces fundens ut Deus eis ignosceret. — Quod probant: ex *Tertulliano;* hic enim asserit Callixtum primum fuisse qui mœchis veniam daret, et ita non sibi consistere, quia idololatris et homicidis absolutionem denegare pergit[6]; ex *Cypriano*, qui testatur quosdam ex episcopis africanis adul-

[1] Didascal., c. 10, ap. *Canoniste*, juil. 1901, p. 403.

[2] *Hieron.*, Dial. contra Pelag., l. I, c. 33, P. L., t. XXIII, p. 527.

[3] De conjug. adulterinis, l. II, c. 16, P. L., t. XL, p. 482.

[4] Ap. *Morinum*, op. cit., Codic. manus. pænitential., p. 7.

[5] *Morinus*, op. cit., lib. X, c. 1-3; *d'Aubespine*, De vet. Ecclesiæ ritibus, c. 2; *Juenin*, De pænit., q. VII, c. 1, a. 2, § 1; *Petavius*, in notis ad Epiphanii hæres. 59, ad calcem ejus operum; *Sirmond*, Hist. pænit. publicæ, c. 1; *Funk*, Theol. Quartalschrift, Tübing., 1884, p. 268 sq.; *Vacandard*, in *Rev. du clergé franç.*, t. XX, 1899, p. 575 sq.; *Batiffol*, op. cit., p. 215.

[6] *Tertul.*, De pudicitiâ, c. 5-6; P. L., t. II, p. 987-991.

teros absolvere noluisse[1]; ex concilio *Illiberitano* (an. 306), can. 1, ubi dicitur : " Placuit inter eos qui post fidem baptismi salutaris adultâ ætate ad templum idoli idolaturus accesserit et fecerit, quod est crimen capitale, quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere[2] " ; ex concilio *Arelatensi* (an. 314), can. 22, ubi similia habentur; ex *Origene*, qui reprehendit sacerdotes absolventes, ex ignorantiâ canonicæ disciplinæ, tria præfata delicta[3]. Ergo, inquiunt, in Ecclesiâ tum Latinâ tum Græcâ, praxis viguit usque ad quartum sæculum veniam denegandi horum criminum reis.

66. (b) Aliunde multi theologi docent *nunquam* in Ecclesiâ prævaluisse praxim *universalem* graviorum criminum, in fine vitæ, absolutionem denegandi[4]. Quod probant duplici argumento : *indirecte*, auctoritate *Tridentini* definientis confessionem sacramentalem necessariam esse jure divino; ex quo infertur Ecclesiam non potuisse pænitentibus denegare, præsertim in articulo mortis, tam necessarium sacramentum; *directe*, exhibendo testimonia Patrum, præsertim Hermæ, S. Cypriani, S. Paciani, S. Cælestini, S. Leonis, etc., quæ supra retulimus.

Ad auctoritates allegatas respondent : *Tertullianus* calumniatur Callixti doctrinam, forte ad imminuendam ejus auctoritatem apud Afros; *Cyprianus* affirmat *quosdam* episcopos, non autem omnes, absolutionem mœchis denegâsse; concilia superius allegata loquuntur de communione, non autem de absolutione denegandâ.

67. (c) *Judicium de hâc controversiâ.* Hic non agitur de re dogmaticâ, sed *historicâ*. Ex dictis enim, quæstio non erat de ipsâ potestate peccata remittendi, quam ipsi Montanistæ agnoscebant, sed de *opportunitate* dimittendi maxima crimina, proindeque de re *disciplinari;* et sane communio, quæ præfatorum delictorum reis denegabatur, jure divino æque necessaria est ac pænitentiæ sacramentum. Unde quæstio ex *factis* dirimenda est. Hæc autem sunt satis obscura. Certum videtur, mediante sæculo secundo, absolutionem denegatam non fuisse ob præfata peccata, ut constat ex auctoritate Hermæ. Pariter omnes concedunt jam a sæculo quarto horum peccatorum reservationem aboletam fuisse, in plerisque saltem ecclesiis. Sed

[1] *S. Cyprian.*, ep. 52 ad Antonianum, n. 21.

[2] Ap. *Bruns*, op. cit., t. II, p. 2.

[3] *Orig.*, De oratione, c. 28, P. G., t. XI, p. 528-529.

[4] *Palmieri*, th. 9, p. 92; De San, n. 211 sq.; *Pignataro*, op. cit., p. 106 sq.; *Pellé*, Le Tribunal de la Pénitence, thèse, Paris, Oudin, 1903, p. 86-136.

res dubia manet quoad finem sæculi secundi et initium tertii. *Irenæus* et *Clemens Alexandrinus* supponunt quidem suo tempore adulterium et homicidium condonari posse[1]. Sed Romæ hæc peccata videntur fuisse per aliquod tempus reservata. Si enim Tertullianus Callixtum calumniâsset, Romanus Pontifex aliique catholici episcopi contra istam calumniam reclamâssent : nullum tamen vestigium hujus protestationis inveniri potuit. Aliunde *Origenes* severe carpit sacerdotes qui, disciplinæ canonicæ ignari, dimittunt tria præfata peccata[2]. Unde probabile est, per aliquod breve tempus, horum peccatorum condonationem judicio et misericordiæ Dei fuisse relictam, in multis saltem ecclesiis, ut fideles ab istis delictis deterrerentur; Callixtum vero hanc disciplinam mutâsse quoad adulteros, ne forte in desperationem venirent, et mox reservationem sublatam fuisse quoad duo alia peccata. Ceteroquin pænitentia pro istis delictis imponebatur, et delinquentes veniam consequebantur per contritionem perfectam.

68. (B) Quoad pænitentiam *privatam*, duplex pariter viget opinio.

(a) Theologi, de quibus supra[3], tenent prioribus sæculis duplex fuisse pænitentiæ genus : pænitentiam *publicam* pro publicis gravioribus delictis, *privatam* vero pro occultis. Quod probant : 1) *a priori;* nam, si obligatio viguisset publice confitendi peccata *occulta*, aut publice pro eis pænitendi, sigillum sacramentale fuisset violatum; insuper pænitentia publica *semel* tantum concedebatur, ideoque, sublatâ pænitentiâ privatâ, nulla esset spes veniæ pro recidivis. 2) Ex quibusdam *factis :* Cerdon, hæreticus, a *S. Irenæo*[4] describitur tanquam " in Ecclesiam veniens et exomologesim faciens... modo quidem latenter docens (hæresim), modo vero exomologesim faciens "; atqui pænitentia publica *semel* dabatur; ergo hic agitur de privatâ exomologesi. Idem fere narratur de Marcione, qui, semel et iterum ex Ecclesiâ ejectus, tandem pæniten-

[1] *S. Iren.*, l. cit.; *Clemens Alex.*, Liber quis dives salvetur, c. 47, *P. G.*, t. IX, p. 647-651, ubi narrat S. Joannem in Ecclesiam recepisse quemdam latronum ducem, antea a se baptizatum, ideoque supponit homicidium non esse irremissibile.

[2] De oratione, c. 28, *P. G.*, t. XI, 528-529.

[3] Quorum argumenta recenter exposuit *S. Harent*, in *Etudes des PP. Jésuites*, t. 80, 1899, p. 577, et t. 82, 1900, p. 577.

[4] *S. Iren.*, C. Hæres., l. III, c. 4, P. G., t. VII, p. 857.

tiam subiit, pacem postea recepturus[1]. — Præterea *C. Nicænum*, can. 13, statuit ut omnibus moribundis (ideoque relapsis) non denegetur sacra communio; ergo eis prius ministrabatur pænitentia, eaque privata.

69. (b) Ex adverso autem critici, de quibus supra, negant per quatuor sæcula fuisse pænitentiam *privatam* a publicâ distinctam[2]. Agnoscunt quidem *confessionem* peccatorum quandoque fuisse occultam et auricularem; sed *satisfactio* seu pænitentia semper publica erat; idem dicendum de *absolutione*, si excipias casum morientium: tunc enim peccatorum condonatio privatim fiebat. Etenim: 1) quoties Patres quatuor priorum sæculorum de pænitentiâ agunt, nempe Hermas, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Pacianus, Clemens Alex., Origenes, S. Gregorius Thaumaturgus, Dionysius Alexandrinus, etc., semper eam describunt ut *publicam*. Pænitentia *privata* non exhibetur nisi quarto exeunte sæculo in *Oriente*, quando *Nectarius* (381-398) pænitentiarios abolevit, occasione cujusdam scandali[3]; in *Occidente* autem, sæculo sequente, ut jam supra (n. 58) notatum est. Paucissima facta in contrarium allegata nil probant: Cerdon et Marcio, hæretici, non aliam exomologesim susceperunt nisi *publicam*, quæ sola tanto crimini competebat, sed, propter inconstantiam suam, pluries eam abruperunt; ex canone *Nicæno* nihil aliud infertur nisi condonationem peccatorum *moribundis* concedi privatim, per modum *privilegii*, sed exinde minime probatur modo generali pro aliis christianis viguisse pænitentiam privatam; imo si moribundi supervixerint, juxta Concil. Arausicanum I, can. 3, in ordine pænitentium stare debent, ideoque pænitentiam agere publicam. — 2) Nec dicatur per pænitentiam hujusmodi violatum fuisse sigillum sacramentale; nam *confessio* delictorum occultorum erat privata, et si ex publicâ satisfactione aliquando inferebatur aliquod grave delictum fuisse commissum, Patres priorum sæculorum censebant exinde non violari secretum confessionis[4]; id sane postea animadvertere cœperunt; ideoque pedetentim pænitentia publica in privatam immutata est; sed, prioribus sæculis, lex sigilli sacramentalis non intellecta fuit tam stricte quam posterioribus.

---

[1] *Tertullianus*, De præscript., c. 30, P. L., t. II, p. 42.

[2] Quorum argumenta recenter exponebat *Vacandard*, in *Rev. du Cl. français*, t. XXIV, 1900, p. 258-264.

[3] Quod narrant *Socrates*, H. E., l. V, c. 19, *P. G.*, t. LXVII, p. 613 sq, et *Sozomenes*, H. E., l. VII, c. 16, *P. G.*, t. LXVII, 1457 sq.

[4] Ita *S. Ambrosius* hortabatur peccatores occultos ad pænitentiam publice agendam "ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simus peccatores". (De Pænitentiâ, lib. II, c. 10, P. L., t. XVI, p. 519.)

70. (c) *Judicium de hâc controversiâ.* In re tam difficili et obscurâ, hæc animadvertere liceat : — 1) Non satis constat, ex documentis et factis hucusque notis, per tria priora sæcula, pænitentiam privatam in usu fuisse. Aliquando confessio erat secreta, ut fusius infra declarabitur, sed nil probat remissionem peccatorum concessam fuisse sine *publicâ* satisfactione. 2) Pænitentiæ publicæ submittebantur non solum tria maxima peccata, nempe apostasia, fornicatio et homicidium, sed etiam alia minora, quæ ut mortalia existimabantur; quod testatur *Cyprianus :* " Cum in minoribus peccatis agant peccatores pænitentiam, justo tempore et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communionis accipiant "[1]. 3) Pænitentia publica vere erat *sacramentalis*, quippe quæ tota tendebat in remissionem peccatorum, non solum quoad pœnam, sed etiam quoad culpam per ministerium et absolutionem sacerdotis, intercedentibus cum eo fidelibus, ut constat ex superius dictis de exomologesi, et ex dicendis de absolutione. 4) *Moribundis* concedebatur absolutio sacramentalis, etiam antequam canonicam pænitentiam absolverint, ut reconciliati cum Deo e vitâ excederent; insuper aliquando, ob confessorum et martyrum intercessionem, tempus pænitentiæ abbreviabatur.

71. Utrum necne, extra hos casus absolutio concederetur, exomologesi nondum absolutâ, eo tempore quo pænitentia imponebatur vel paulo post, non satis liquet. Valde probabiliter affirmativam sententiam propugnat *Palmieri*[2]. Duplex, inquit, erat absolutio : prior, cum daretur actio pænitentiæ in feriâ Cinerum, altera, cum solemniter reconciliarentur pænitentes in Cœnâ Domini. Prior vere absolvebat *a culpâ*, ut constat ex ipsâ formâ tunc adhibitâ : " Domine sancte... te supplices rogamus et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, et peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis

[1] *S. Cyprian.*, ep. 9, n. 2, *P. L.*, t. IV, p. 251.
[2] De Pænitentiâ, Appendix, p. 508 sq.

veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam "[1]. Posterior erat absolutio a pœnâ, proindeque concessio alicujus indulgentiæ. — Jamvero, judicio nostro, probabile est primam absolutionem fuisse vere sacramentalem, cum nil impediat quin absolutio culpæ concedatur ante peractam pænitentiam; attamen putamus secundâ absolutione, quam præcedebat quædam confessio generalis, concessam fuisse pariter remissionem peccatorum (bis enim eadem peccata remitti possunt, ut infra dicetur) : nam forma in Cœnâ Domini adhibita, non minus clare quam prima, veram peccatorum conditionem significabat : " Confitenti tibi huic famulo tuo pro pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia pietatis ad veniam "[2].

Quidquid de his controversiis dicatur,certum manet Ecclesiæ concessam fuisse potestatem omnia peccata dimittendi.

Art. II. De ministro potestatis clavium.

72. Ex dictis supra jam inferri potest non omnibus christianis, sed solum quibusdam Ecclesiæ ministris competere hanc potestatem clavium. Ad eam exercendam duplex requiritur potestas, juxta *Tridentinum*, nempe potestas *ordinis* et *jurisdictionis*. (a) Et primum potestas *ordinis* : —

"Circa ministrum autem hujus sacramenti, declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter *Episcopos* et *Sacerdotes*, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini : "Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo ", et : " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt " ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correctionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt "[3].

[1] Ap. *Morinum*, Cod. manusc., p. 7. — [2] Ap. *Morinum*, l. cit.
[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 6.

Ex hâc igitur declaratione, omnes et soli episcopi et sacerdotes gaudent, tanquam Christi ministri, potestate remittendi peccata.

(b) Potestas *jurisdictionis* requiritur insuper ad validum hujus potestatis usum, quia nonnisi modo judiciali exercetur : —

"Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem"[1].

§ I. De potestate ordinis ad remittenda peccata.

73. Status quæstionis. (A) Errârunt hâc de re : (a) *Montanistæ*, qui tenebant solos pneumaticos seu spirituales, id est eos qui Spiritu sancto inspirabantur, posse peccata condonare; (b) *Waldenses* et *Wicleffitæ*, qui potestatem absolvendi peccata bonis laicis concedebant, pravis autem sacerdotibus denegabant; (c) *Lutherani*, qui communiter tenent potestatem remittendi peccata, seu potius declarandi remissionem peccatorum, *omnibus fidelibus* per se competere; eamdem tamen, ad confusionem vitandam, non esse exercendam nisi ab eis qui ad hoc deputati sunt a communitate. Ceteri protestantes generatim omnino negant potestatem clavium. Excipiuntur tamen Episcopaliani ac præsertim *Ritualistæ*, qui concedunt potestatem absolvendi solis sacerdotibus competere[2].

(d) Inter hodiernos protestantes *liberales*, multi tenent primis Ecclesiæ sæculis potestatem clavium exercitam fuisse a *charismaticis*, id est ab iis fidelibus qui speciali dono seu charismate gaudebant : contendunt siquidem hierarchiam non fuisse a Christo institutam, sed varia charismata, inter quæ charisma dimittendi peccata, a Spiritu sancto fuisse inter fideles distributa[3].

74. (B) Præterea, Medio Ævo, quidam auctores catholici tenuerunt diaconos aut inferioris ordinis clericos esse aliquo sensu *extraordinarios* ministros pænitentiæ, quate-

---

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 7.

[2] Cfr. *Lea*, op. cit. t. I, p. 515-523.

[3] *Muller*, in *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, 1895. p. 1 sq , 187 sq.; cfr. *Vacandard*, in *Rev. du Cl. fr.*, t. XIX, 1899, p. 337.

nus, deficientibus sacerdotibus, confessiones excipere, imo juxta quosdam, ad peccatorum absolutionem aliquid conferre poterant[1]. — Insuper *Morinus* putat, ob aliquot difficilia Patrum loca, antiquitus diaconos tanquam ministros pænitentiæ extraordinarios habitos fuisse. — Tandem pauci dixerunt, deficientibus sacerdotibus et clericis, laicis confitendum esse[2].

75. *Thesis :* **Soli sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, sunt ministri potestatis clavium, seu valide possunt a peccatis absolvere.**

De fide est ex *Tridentino*, can. 10 : " Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere ; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : " Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo " ; et : " Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt" : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; A. S. "

76. 1° *Scripturâ* probatur, nempe ex duobus textibus a *Tridentino* allegatis, quos supra (n. 21-31) declaravimus. Ex his enim, adjunctâ Patrum interpretatione, sequitur potestatem, apostolis eorumque successoribus collatam, modo *judiciali* exercendam esse. Jamvero auctoritate judiciali non gaudent omnes fideles, sed solum ii qui Ecclesiæ præsunt, quos " Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei "[3], ut constat ex probatis in tractatu *de Ecclesiâ*. — Quinam vero hâc potestate induti fuerint, ex *doctrinâ* et *praxi* Ecclesiæ determinari debet[4].

77. 2° *Traditione.* (A) Secundo sæculo, nonnisi quædam vestigia colligere possumus, ob rationes jam allatas ubi de ipsâ potestate clavium. *Clemens* Romanus, ad Corin-

[1] Quorum opiniones expositas vide ap. *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 183-189; *Laurain*, De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris, 1897, p. 69.

[2] Ap. *Laurain*, op. cit., p. 18 sq. — [3] *Act.*, XX, 28.

[4] Hi sunt sacerdotes, id est episcopi et presbyteri, ut ex factis allatis constat. Quandonam vero episcopi a presbyteris de facto distingui cœperint, breviter exposuimus in *Tr. de Ecclesiâ*, n. 60, not. 1.

thios scribens, præcipit ne removeantur illi qui episcopi constituti sunt et suo munere præclare functi sunt[1]; *S. Ignatius* constanter commendat et præcipit obedientiam episcopo præstandam, nec promittit peccatoribus remissionem peccatorum nisi redeant ad episcopum; ex quibus infertur potestatem absolvendi, quæ potestatem judicialem involvit, nonnisi ab episcopis aut dependenter ab eis exercitam fuisse.

78. (B) Id autem diserte affirmatur sæculis tertio et quarto, statim ac errores hâc de re oriuntur. Ita, teste *Tertulliano*, Callixtus sibi vindicat potestatem remittendi peccata, et quidem vi textûs "Quodcumque ligaveris". — Montanistæ contendunt quidem hanc auctoritatem *spiritualibus* competere[2], sed eorum error ab universali Ecclesiâ rejicitur. Tertullianus ipse, dum adhuc catholicus, exomologesim describens, dicit peccatores ingemiscere, lacrymari et "*presbyteris* advolvi"[3]. *S. Cyprianus*, Tertulliani discipulus, peccatores ad pænitentiam hortatur, "dum satisfactio et remissio facta per *sacerdotes* apud Dominum grata est"[4]. Alii cum *S. Ambrosio* explicite dicunt *solis sacerdotibus* inesse potestatem ligandi atque solvendi, ideoque remittendi peccata: "Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ sacerdotes Dei non habet"[5]. Jam diximus, (n. 46), episcopis, ipsâ ordinatione, conferri potestatem absolvendi.

79. Idem asserunt Patres *græci*. *Origenes* diserte asserit potestatem remittendi peccata apostolis eorumque successoribus collatam fuisse, vi verborum "Quorum remiseritis"...; et ex contextu locisque parallelis constat hos successores esse *sacerdotes*, id est episcopos et presbyteros qui hoc nomine antiquitus designabantur; ita loquitur de peccatore qui "non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam"[6]. — *S. Athanasius*,

[1] Ad Corinth., c. 44, p. 155-157 ed. *Funk*.

[2] Quod sic declarat *Tertullianus*, De pudicitiâ, c. 21: "Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit; sed Ecclesia Spiritûs per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum".

[3] De Pænitent., n. 9. — [4] De Lapsis, c. 29.

[5] *S. Ambros.*, De Pænit., lib. I, c. 2, *P. L.*, t. XVI, p. 468.

[6] *Origenes*, in Levit., hom. II, n. 4, *P. G.*, t. XII, p. 418; cfr. 560, 561; t. XI, p. 528, 529; t. XIII, 1846.

in Fragmento ex libris contra Novatianos, scribit : "Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus, Spiritûs sancti gratiâ illuminatur; ita qui confitetur in pænitentiâ, per sacerdotem Christi gratiâ remissionem accipit"[1]. — Quarto sæculo, Constantinopoli instituti sunt *presbyteri pænitentiarii*, quorum munus erat pænitentiam imponendi et confitentes absolvendi (supra, n. 55). — Hanc sacerdotum potestatem ita extollit *Chrysostomus*[2] : "Qui terram incolunt, in eâque commorantur, ad ea quæ in cœlis sunt dispensanda commissi sunt, potestatemque acceperunt, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est : "*Quæcumque ligaveritis*, etc." — Neque immorandum est in testimoniis sequioris ævi, quæ fere innumera sunt.

80. Solvuntur difficultates. (A) Pauca tantum animadvertere liceat de *pneumaticis*. Non diffitemur quidem quosdam, in primævâ Ecclesiâ, specialibus charismatibus fuisse donatos, quæ describuntur a S. Paulo[3]; sed nullibi dicitur ipsis concessam esse potestatem remittendi peccata. — Tertullianus, jam montanista factus, hanc potestatem *spiritualibus* adscribit, sed, non obstante ejus ingenio, hæc assertio mox universim reprobata fuit etiam a Cypriano, ejus discipulo. Nil igitur exinde deduci potest contra nostram thesim.

81. (B) Nonnulli objiciunt *confessores* et *martyres* privilegium obtinuisse *libellos pacis* concedendi, ideoque remissionem peccatorum. — Verum est quidem libellos pacis ab eis datos fuisse, quo facilius lapsi veniam consequerentur; sed ex epistolis S. Cypriani evidenter constat hanc martyrum intercessionem fuisse quidem unum e motivis propter quæ pænitentia mitior aut brevior imponebatur, sed minime fuisse veram absolutionem a peccatis. Quare reprehendit presbyteros qui, Evangelii immemores, cum lapsis communicaverant, statim post acceptum libellum a martyribus, antequam eis ab episcopo et clero manus fuerit imposita; fatetur quidem lapsos posse precibus martyrum juvari; sed quibusnam et quandonam reconciliatio concedi debeat, episcopi judicare debent; hinc martyres non debent omnibus indiscriminatim dare libellos pacis, sed nominatim designare eos quibus pacem dari exoptant, ut singuli casus seorsim perpendantur[4]. Jamvero hæc doctrina approbata fuit non solum ab episcopis africanis, sed etiam ab Ecclesiâ Romanâ, ut jam supra notavimus, n. 50. Exinde non parum confirmatur thesis, cum constet ipsos martyres nonnisi privilegio intercessionis ad peccatorum condonationem aliquid contulisse.

82. (C) Alia tamen difficultas exsurgit ex interventu *diaconorum*

[1] *P. G.*, t. XXVI, p. 1315.
[2] De sacerdotio, lib. III, c. 5. P. G., t. XLVIII, p. 643.
[3] *I Cor.*, XII, 3-11; XIV, 2-40; *Ephes.*, IV, 11.
[4] Epistolæ, 9, 10, 11, 13, 17, 26, 30, etc., P. L., t. IV, pp. 252, 255, 257, 260, 270, 304-305.

in administratione pænitentiæ. (a) *S. Cyprianus*, de lapsis scribens qui in periculo mortis erant, dicit eos *exomologesim* facere posse apud presbyterum, aut, si presbyter desit, apud *diaconum*[1]: "Si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectatâ præsentiâ nostrâ, apud presbyterum quemdam quemcumque præsentem, vel, si presbyter repertus non fuerit et urgere exitus cœperit, apud *diaconum* quoque *exomologesim* facere delicti sui possint, ut manu eis in pænitentiam impositâ, veniant ad Dominum cum pace, quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt". (b) Præterea Conc. *Triburense* (895) de furibus et latronibus ita decernit (can. 31): "Si comprehensi, aut vulnerati, presbytero vel *diacono* confessi fuerint, communionem eis non negamus"[2]. Ergo antiquitus saltem diaconi confessiones audire et absolutionem impertiri poterant.

(a) Quoad *S. Cyprianum*, res diversimode explicatur. Quidam, cum *Morino*, putant sanctum Doctorem revera tenuisse diaconos esse *extraordinarios* pænitentiæ ministros in casibus urgentioribus. — Alii dicunt hic agi de *reconciliatione externâ* cum Ecclesiâ, quæ, quoad peccatores, præcedere debebat administrationem viatici. Quæstio enim erat de *lapsis* qui libellum pacis a martyribus acceperant, simulque gravi infirmitate laborabant, et in periculo mortis versabantur. Episcopus permittit presbyteris, et, si desint, diaconis pænitentiam infirmis imponere, per impositionem manuum, ut, pænitentiâ acceptâ, atque actu contritionis elicito, morituri possint communionem accipere, et ita ad Dominum accedere cum pace; sæpe enim diaconi, deficientibus sacerdotibus, viaticum ministrabant moribundis qui actu contritionis perfectæ justificati fuerant. Exomologesis autem, quæ impositionem pænitentiæ præcedebat, et quæ in hoc casu erat confessio peccati apostasiæ, exigebatur tanquam pars pænitentiæ publicæ, non autem necessario involvebat absolutionis concessionem. — Quod confirmatur canone 32 C. *Illiberitani* (306): "Apud presbyterum si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pænitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate, necesse est presbyterum *communionem* præstare debere et *diaconum*, si ei jusserit sacerdos". Ex quo sequitur reconciliationem pænitentium fieri quandoque per communionem, positis ponendis, scilicet prævio actu contritionis perfectæ, quando absolutio sacramentalis concedi nequibat. Ita etiam explicatur quomodo factum sit ut nonnulli diaconi, antequam viaticum ministrarent, audirent confessiones, ut videlicet peccatores excitarent ad contritionem; quod inferri potest ex *Odonis*,

[1] Epist. 12 ad clerum de Lapsis, *P. L.*, t. IV, p. 259.

[2] Hic canon alio modo refertur a Mansi et Harduino, sed textum citamus qualis invenitur apud *Reginonem*, Concilio coævum, Reg. Decret. II, 93, *Burchard*. Decret. XI, 59; cfr. *Laurain*, op. cit., p. 85.

episcopi Parisiensis, statutis (1197), ubi legitur [1] : " Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in *arctissimâ necessitate;* claves enim non habent, *nec possunt absolvere* ".

(b) Eodem fere modo explicatur canon circa fures et latrones; cum vulnerati essent ac deficerent sacerdotes, confiteri peccata sua debebant diacono, antequam communionem acciperent, ut ab eo ad contritionem excitarentur.

83. (D) Urgent : Medio ævo invaluit usus ut in periculo mortis, deficiente sacerdote, confessio laicis fieret; hanc praxim commendârunt doctissimi theologi, imo ejus necessitatem docuerunt, v. g. *Lanfrancus* [2], *Petrus Lombardus* [3], *Rob. Pullus* [4], *Albertus Magnus* [5], *S. Thomas* [6], aliique; ergo etiam laici absolvere possunt.

Resp. Præfati Doctores minime docent laicos potestatem habere absolvendi, quamvis teneant, in casu necessitatis, utile aut necessarium esse peccata laico confiteri. Hanc opinionem acceperunt ab auctore libri de verâ et falsâ pænitentiâ, qui *S. Augustino* immerito adscribebatur; en verba Pseudo-Augustini [7] : " Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere... *Tanta itaque vis est confessionis, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo...* Etsi ille cui confitebitur, *potestatem solvendi non habeat,* fit tamen dignus veniâ ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio ". Ex quo sequitur laicos potestate absolvendi carere. Idem tenet *S. Thomas* (l. c.) ubi dicit : " Sed quando necessitas imminet, debet facere pænitens quod ex parte suâ est, scilicet conteri, et confiteri cui potest; qui, quamvis *sacramentum perficere non possit,* ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet ". Laici igitur, dum confessiones audiebant in casu necessitatis, potestate absolvendi non gaudebant; sed Christus ipse, occasione hujus humilis confessionis, remissionem peccatorum bene dispositis impertiebatur. Attamen, propter hunc interventum, diaconi a quibusdam theologis hujus ætatis vocabantur ministri *extraordinarii* sacramenti Pænitentiæ [8]. Ex hoc pariter inferri potest quantum necessaria confessio existimata fuerit, cum, deficiente sacerdote, coram laico facienda diceretur.

---

[1] Apud *Mansi*, XXII, 653; cfr. *Laurain*, p. 88 sq. ubi multa alia documenta invenies.

[2] De Celandâ confessione, ap. *Migne* t. 150, p. 62[illegible] sq.

[3] Sentent. lib. IV, dist. 17.

[4] Sentent. lib. VI, cap. 51, 301-302 ap. *Migne*, t. 186, p. 897.

[5] In IV Sentent., dist., 17, art. 58-59.

[6] In IV Sentent., dist., 17, q. 3, a. 3, sol. 2.

[7] Ap. *Migne*, P. L., t. 40, p. 1122.

[8] Quas opiniones Scholasticorum late expo[illegible]t *Vacant*, Diction. de Théologie, t. I, p. 182-189.

84. (E) Nil dicimus de abbatissis, quæ aliquando potestatem monialium confessiones audiendi usurpârunt; hoc enim tanquam absonum et absurdum reprobatum est in utrâque Ecclesiâ, Græcâ et Latinâ, "quia, ut aiebat *Innocentius III*, licet Beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni cœlestis permisit"[1].

§ II. De potestate jurisdictionis.

85. *Status quæstionis.* (A) Potestas jurisdictionis, quæ præter potestatem ordinis, in ministro Pænitentiæ desideratur, *in genere* definitur potestas regendi subditos in iis quæ ad finem supernaturalem spectant. Differt a potestate *ordinis :* hæc enim est potestas ministrandi sacramenta, sacrâ ordinatione collata, et indelebiliter subjecto inhærens; dum jurisdictio est potestas regendi, externo actu superioris collata, quæ revocari potest. — Jurisdictio in genere triplex est, *legislativa*, ad leges ferendas, *judiciaria*, ad sententias auctoritate ferendas, et *coactiva*, ad pœnas contra delinquentes infligendas. Jamvero jurisdictio, quæ ad sacramentum Pænitentiæ requiritur, est *judiciaria*, cum hoc sacramentum sub formâ judiciali ministretur. Potestas autem judiciaria duplex esse potest, *fori externi*, quando directe et primario publicam Ecclesiæ utilitatem respicit; *fori interni*, quando directe et primario privatam cujuslibet fidelis utilitatem respicit. Cum igitur sacramentum Pænitentiæ primario ad privatorum sanctificationem institutum fuerit, jurisdictio ad ejus administrationem necessaria, est *potestas judiciaria fori interni*, et quidem fori *pœnitentialis*, ut sic distinguatur a jurisdictione fori interni *extra-pœnitentialis*, quæ extra confessionem sacramentalem exerceri potest, v. gr. dispensando in voto, tollendo censuram cum effectu in foro interno tantum. Unde jurisdictio confessarii definiri potest *potestas supernaturalis, externo superioris actu collata, quâ sacerdos judicium exercere potest erga subditos in foro interno ac pœnitentiali.* Confertur autem designando *subditos* in quos exerceri valet potestas absolvendi, vel *locum* ubi legitime exercetur.

[1] Ap. *Migne*, *P. L.*, t. 216, p. 356; pro Ecclesiâ orientali, vide *P. G.*, t. 119, p. 1066; cfr. *Lauvain*, op. cit., p. 1-67.

(B) Jamvero nonnulli veteres theologi, ut *Durandus*, tenuerunt jurisdictionem dari ipsâ ordinatione, quamvis agnoscerent ejus usum Ecclesiæ prohibitione ligari; quam opinionem ut antiquatam rejiciunt communiter theologi. Longius etiam a veritate distabat *Synodus Pistoriensis*, dum asserebat conveniens quidem, non autem necessarium esse ad validitatem absolutionis, ut confessor jurisdictione polleret [1].

86. *Thesis :* **Præter potestatem ordinis requiritur, ad validam absolutionem, potestas jurisdictionis, quæ non accipitur vi solius ordinationis, sed superiorum ecclesiasticorum concessione.**

Prius, videlicet jurisdictionem ad validam absolutionem requiri, a *Tridentino* explicite declaratur, supra, n. 72. Præiverat *Decretum pro Armenis* [2] : "Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris"; id est jurisdictionem ordinariam aut delegatam.

(A) Ratio hujus asserti desumitur, ut recte tradit *Tridentinum*, ex ipsâ naturâ absolutionis. Siquidem potestas remittendi vel retinendi peccata per modum *judicii* exercetur; atqui potestas judicialis valide exerceri nequit nisi in *subditum*, id est in eum qui judicis auctoritati seu jurisdictioni subjectus fuit a legitimo superiore; sicut, in rebus civilibus, non quilibet judex quamlibet causam cognoscere potest, sed quisque eas causas cognoscit quæ explicite vel implicite a legitimo superiore assignantur; si enim judices indiscriminatim quaslibet causas tractarent, nulla esset inferiorum ac superiorum subordinatio, sed totus justitiæ ordo turbaretur. Ex hoc pariter intelligi datur cur jurisdictio in ceteris sacramentis ad licitam, non autem ad validam administrationem requiratur, dum ad validam absolutionem necessaria est : alia enim sacramenta per modum judicii non conferuntur, nec proinde jurisdictionem ex se postulant.

87. (B) Res etiam *historice* constat. Ex dictis enim, potestas remittendi peccata primis Ecclesiæ sæculis, ab Episcopo cujusque diœcesis exercebatur, et quidem in proprios subditos, ut patet ex epistolis *S. Cypriani;* quare

[1] Ap. *Denzing.*, n. 1400. — [2] Ap. *Denzing.*, n. 594.

S. Doctor reprehendit sacerdotes qui lapsos reconciliaverant, inconsulto Episcopo[1]. — Postea vero, a quarto et quinto sæculis, aucto fidelium et peccatorum numero, Episcopi *designaverunt* presbyteros pænitentiarios speciali alicui ecclesiæ *addictos*, qui ibi exciperent confessiones pænitentium[2]. — Quando in pagis et villis parœciæ institutæ fuerunt, potestas absolvendi, sicut cetera ecclesiastica munera obeundi, parochis commissa est. Hinc, quando Conc. Lateranense IV decretum tulit de annuâ confessione, præcepit ut fideles confiterentur *proprio sacerdoti*, id est parocho in subditos jurisdictionem habenti aut sacerdoti ab eo vel a legitimo superiore delegato. — Regularibus quidem, parœciam non habentibus, data est facultas confessiones excipiendi, sed vi *delegationis* a S. Pontifice vel Ordinariis concessæ[3]. Semper igitur necessaria fuit aliqua jurisdictio ad exercendam absolutionis potestatem.

88. *Posterius* autem, videlicet *hanc jurisdictionem non conferri vi solius ordinationis, sed superiorum concessione*, ex jam probatis sequitur. Nam *Tridentinum* (l. c.), declarando absolutionem sacerdotis, jurisdictione carentis, esse nullius momenti seu valoris, supponit posse esse sacerdotem, qui jurisdictione careat; atqui si jurisdictio vi solius ordinationis concederetur, amitti non posset, quum potestas ordinis, sicut ipse sacerdotalis character, sit indelebilis; ergo jurisdictio non ab ipsâ ordinatione profluit.

Quod etiam sic declarari potest. Omnis jurisdictio est vel *ordinaria*, id est annexa officio vel muneri quod conceditur, vel *delegata*, seu ex speciali commissione superioris ecclesiastici obtentâ; atqui neutra vi solius ordinationis confertur; non prior, quia nemo vi ipsius ordinationis determinatam diœcesim aut parochiam accipit; non posterior, quia superiores ecclesiastici hanc specialem commis-

[1] *S. Cyprian.*, ep. 11, P. L., IV, p. 257. — Constat pariter ex can. 4 *C. Carthaginensis II*: "Si quisquam in periculo fuerit constitutus et se reconciliari divinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare". (Ap. *Bruns*, t. I, p. 119.)

[2] *Thomassin*, Anc. et nouv. discipline de l'Eglise, Bar-le-duc, 1864, t. I, P. I, l. II, ch. 10 et 11, p. 381 sq. et ch. 23-26.

[3] *Thomassin*, op. cit., c. 12, p. 401 sq.

sionem vi ordinationis concedere non intendunt, sed postea speciali ac distincto actu missionis conferunt.

89. *Objicitur* quidem (a) Apostolis collatam fuisse a Christo completam potestatem absolvendi, proindeque jurisdictionem, his verbis: "*Accipite Spiritum S.; quorum remiseritis etc.*"; atqui eadem verba neo-ordinatis sacerdotibus repetuntur; ergo et ipsi eamdem potestatem accipiunt vi ordinationis. — *Resp.* Apostoli a Christo acceperunt utramque potestatem ordinis et jurisdictionis non præcise vi verborum "*Accipite* etc.", sed vi intentionis Christi, quæ sufficienter manifestatur præcedentibus verbis "sicut misit me Pater, et *ego mitto vos*". Unde licet verba "*Accipite*" neo-sacerdotibus dicantur, non exinde sequitur eos accipere potestatem jurisdictionis, quia Ecclesia his verbis eam concedere non intendit; neganda est igitur paritas.

(b) Omnes sacerdotes facultatem habent absolvendi eos qui sunt in articulo mortis, ut declarat *Tridentinum* (cap. 7); ergo vel nulla requiritur jurisdictio, vel vi ordinationis conceditur. — *Resp.* Nego conseq.; nam ideo sacerdotes valide moribundos absolvere possunt quia Ecclesia omnibus sacerdotibus jurisdictionem concedit pro articulo aut periculo mortis, ne quisque Fidelium privetur, in quantum fieri potest, absolutionis beneficio.

90. **Corollaria.** 1° *Jurisdictio variis modis limitari potest a legitimis superioribus*, præsertim vero a R. Pontifice, qui supremam jurisdictionem habet in universâ Ecclesiâ. Etenim superiores ecclesiastici, qui jurisdictione ordinariâ pollent, eam concedere possunt vel non; ergo a fortiori possunt eam conferre modo plus minusve limitato, prout in Domino id expedire judicaverint. Hinc jurisdictio limitari potest *quoad homines*, quatenus facultas absolvendi certis hominibus aut hominum generibus restringatur; *quoad locum*, v. g. intra limites unius parœciæ; *quoad tempus*, ita ut elapso certo tempore expiret; *quoad peccata*, quatenus superior sibi reservare potest absolutionem a quibusdam gravioribus peccatis.

91. Quod *historice* constat. Peccata, quæ primis sæculis *irremissibilia* dicebantur, erant peccata reservata ipsi Deo, quatenus Ecclesia statuerat se nolle ea remittere, sed eorum absolutionem judicio Dei reservabat. Postea vero episcopi, quando presbyteris permiserunt a peccatis absolvere, sibi quædam gravissima reservârunt. Ita, in synodo *Parisiensi* (an. circiter 1200) statuitur: "Sacerdotes majora reservent majoribus, in confessionibus, sicut homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, et stupra virginum, injectiones manuum in parentes, vota fracta, etc."

Eodem fere tempore, C. *Londinense* decernebat " ut qui scienter in dispendium cujuslibet pejeraverint, non absolvantur... nisi ab episcopo diœcesano, vel ejus auctoritate, præterquam in articulo mortis "[1]. — Insuper, ipsi episcopi atrociora quædam crimina absolvere non solebant, sed ea S. Pontifici remittebant. Exemplum habetur in can. 13 Conc. *Avenionensis* (1209) : " Contra publice perjuros, seu convictos de perjurio, et eos qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses perseveraverint... specialem et novum canonem promulgamus, scilicet ut nulli episcoporum liceat hujusmodi anathematizatos absolvere, sed ad Sedem Apostolicam, sicut sacrilegi et incendiarii, absolvendi mittantur "[1]. — Tandem ipsi Romani Pontifices sibi reservârunt quædam graviora crimina, ut ita fideles ab his perpetrandis deterrerentur. Ait enim *Tridentinum*, cap. 7 : " Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices maximi pro supremâ auctoritate sibi in ecclesiâ universali traditâ causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare ".

92. 2° *Communiter tenetur jurisdictionem requiri etiam ad absolutionem peccatorum venialium.* Hoc quidem negârunt multi veteres theologi, etiam primi nominis, ut *S. Thomas* et *Scotus*[2], quia venialia etiam aliis sacramentis, in quibus non requiritur jurisdictio, remitti valent. Alii dixerunt quoslibet sacerdotes ab Ecclesiâ accipere jurisdictionem ad absolvendum a venialibus vi consuetudinis, absque speciali concessione; quod olim verum esse potuit, sed hodie in desuetudinem abiit; nam *Innocentius XI* decreto *Cum ad aures* 3 prohibuit ne Episcopi permitterent ut venialium confessio fieret simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario. Hinc hodie communiter[4] docetur jurisdictionem requiri etiam ad venialium absolutionem; nam in Sacramento Pænitentiæ etiam venialia remittuntur per modum judicii: atqui judex validam sententiam ferre nequit absque jurisdictione; ergo.

---

[1] Hos canones, aliosque permultos invenies ap. *Thomassin*, op. cit., P. I, l. II, ch. 13-14, t. I, p. 406-417.

[2] *S. Thom.*, in 4. dist. 18, q. 2, a. 3, sol. 1 ad 3; *Scotus*, in 4, d. 18, q. 4, a. 2, sol. 3. — [3] Ap. *Denzinger*, n. 1086.

[4] Dico *communiter*, quia pauci cum *Ballerini*, Opus Morale, De Pœnit. n. 555, contrarium tenent et decretum *Innocentii* intelligunt de liceitate, non autem de validitate absolutionis.

Caput ij.

DE PÆNITENTIS ACTIBUS.

Potestas clavium, ex dictis, *modo judiciali* exercenda est, ideoque quosdam actus supponit ex parte pænitentis. Tres vero actus præcipuos exomologesis superius descripta complectebatur : *confessionem peccatorum* non solum coram Deo, sed etiam coram ejus ministris; *contritionem*, seu peccati odium et detestationem; *satisfactionem*, id est longam et laboriosam delicti expiationem : de quibus seorsim dicendum.

Art. I. De confessione peccatorum.

93. Status quæstionis. (A) In *veteri Lege*, etsi nondum institutum fuisset pænitentiæ sacramentum, nullaque esset confessio sacramentalis, agnoscebatur tamen quædam peccatorum confessio, et quidem triplex : —

(a) Confessio Deo facta, ad facilius remissionem peccatorum obtinendam : "Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur"[1]; (b) confessio generalis quâ supremus Pontifex iniquitates populi Israel semel in anno publice recitabat : "Tunc offerat hircum viventem; et positâ utrâque manu super caput-ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel"[2]; (c) confessio magis specifica, quæ fiebat sacerdotibus, quando sacrificium pro peccato offerebatur, quia victima diversa erat pro peccatorum diversitate, vel etiam quando restitutio facienda erat[3]. Sub *N. Lege*, Judæi, qui a Joanne baptizabantur, sua peccata confitebantur[4], ut sic efficacius propositum pænitentiam agendi manifestarent : hæc autem confessio non erat sacramentalis[5].

Postquam vero institutum est pænitentiæ sacramentum, confessio peccatorum fuit unus ex actibus ad remissionem

---

[1] *Prov.* XXVIII, 13; cfr. *Eccli.* IV, 31. — [2] *Levit.* XVI, 20-21.
[3] *Levit.* IV, 3-35; V, 1-13; VI, 1-7; *Num.* V, 6-7. — [4] *Matt.*, III, 6.
[5] Cfr. *Vacant*, ap. Dictionnaire de la Bible, vocabulo *confession*.

peccatorum requisitis, et sæpe vocata est *exomologesis*. Jamvero vox græca ἐξομολόγησις, quæ apud Patres frequenter invenitur, duo significat : *totam actionem pœnitentiæ*, seu longam et laboriosam seriem actuum quibus remissio peccatorum obtinebatur; et primam partem hujus pænitentiæ, nempe *peccatorum declarationem*, sive sit publica, sive sit privata seu auricularis.

Hoc ultimo sensu intellecta, confessio sacramentalis est *accusatio propriorum peccatorum, post baptisma commissorum, legitimo sacerdoti facta, ad veniam per potestatem clavium consequendam.*

94. (B) Confessionis sacramentalis necessitatem negârunt Protestantes eorumque præcursores : — (a) *Wicleffus*, dicens : "Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis"; quæ propositio damnata fuit a C. *Constantiensi*[1]; (b) *Lutherus*, qui tamen sibi consistens non fuit, asserens modo confessionem esse "cruentissimam carnificinam, quæ miseras torquet conscientias", modo "afflictis conscientiis optimum remedium"[2]; (c) *Calvinus*[3], qui contendit auricularem confessionem, prout existit apud Romanistas, non a Christo, sed ab *Innocentio III* in Conc. *Lateranensi* fuisse institutam, et rem esse Ecclesiæ noxiam; (d) *moderni Protestantes*, etiam *Ritualistæ*, qui, licet ejus utilitatem agnoscant, tamen ejus necessitatem rejiciunt[4].

95. Argumenta, quibus *hodierni protestantes* divinam institutionem simul et necessitatem confessionis impugnant, ab historiâ desumuntur et ad hæc reducuntur : (a) Inveniuntur quidem, apud auctores sacros et Patres, testimonia quædam de confessione : sed ibi agitur de confessione coram Deo, non autem apud sacerdotes factâ; (b) aliunde confessio, quam antiqui Patres commemorant, non est auricularis, nec proinde sacramentalis, sed publica et ad reparandum scandalum communitati datum; (c) a sæculo septimo, in *Pœnitentialibus*, describitur quidem auricularis confessio, sed ex modo quo peragitur, ex multis precibus recitatis, jejuniis ad hanc

[1] *Denzing.*, n. 483.

[2] Apud *Moelher*, Symbolik (La Symbolique, Symbolism), § 33.

[3] Cf. *Instit.*, l. III, c. 4.

[4] "Absolutio in ecclesia anglicana — nos enim sacramentum Pænitentiæ in sensu Romanorum (catholicorum) non habemus — fidelium privilegium tantum censeri debet. Nulla adest obligatio peccata secreto aperiendi presbytero, cum lex generalis non sit; quique ita agunt, de altiori perfectione in religionis officiorum observantia gloriari non possunt; quique a confessione abstinent, jure accusari nequeunt se ab officio defecisse". (*Morgan Dix*, op. cit., p. 90.)

requisitis, aliisque adjunctis, clare colligitur eam fuisse valde extraordinariam; (d) ceterum, etiam sæculo XII, de ejus necessitate dubitatur, et quidam asserunt confessionem Deo factam sufficere, quin opus sit sacerdotibus confiteri. Ex quibus patet nonnisi sæculo XIII confessionem auricularem tanquam necessariam habitam fuisse [1].

96. (C) Contra hos errores, doctrinam catholicam de divinâ institutione et necessitate confessionis sacramentalis sic exponit *Tridentinum* [2] : —

"Ex institutione sacramenti Pænitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, *institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem*, et omnibus post Baptismum lapsis *jure divino necessariam* existere : quia Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pænitentibus *omnia peccata mortalia*, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint."

Tria hic asseruntur : *divina institutio* confessionis, ejus *necessitas*, necnon ejus *objectum*, videlicet *omnia peccata mortalia* post baptismum commissa, quorum conscientia habetur.

Quoad *modum* vero *confitendi*, secretum aut publicum, addit S. Synodus : —

" Ceterum, quoad modum confitendi *secreto* apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua *publice* confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humanâ aliquâ lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda.

Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a

[1] Quæ argumenta fuse exponit *Lea*, op. cit, t. I, p. 168-273.
[2] *Trident.*, sess XIV, cap. 5.

divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur."

Ex quibus colligitur confessionem, sive *secretam* sive *publicam*, esse vere sacramentalem; neque tamen expedire ut præcipiatur confessio *publica* delictorum præsertim occultorum. Aliunde asseritur, etsi non definiatur, confessionem secretam *ab initio* Ecclesiæ in usu fuisse.

Ad quod melius intelligendum, sciendum est hanc quæstionem diligenter a theologis et episcopis Concilii fuisse perpensam; quidam censebant secretam seu auricularem confessionem a Christo institutam esse; alii vero putabant Christum confessionem quidem instituisse, sed nullo modo determinasse utrum secreta an publica esse deberet[1]. Concilium rem definire noluit, sed solummodo declaravit modum confitendi secrete non esse alienum ab institutione Christi, id est, juxta *Suarez*[2], non esse contrarium nec repugnare divino præcepto, imo esse consentaneum.

97. *Thesis :* **Confessio sacramentalis est jure divino necessaria iis omnibus qui gravia peccata post baptismum commiserunt, eisque obligatio incumbit omnia et singula mortalia peccata confitendi.**

De fide est ex Tridentino :[3] "Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; A. S. — Si quis dixerit in sacramento Pænitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta... A. S."

Diximus : (a) "*confessio sacramentalis*", abstrahendo a quæstione utrum *publica* sit, an *privata* seu *auricularis;*

[1] Cfr. *Theiner*, Acta genuina C. Trid., t. I, pp. 531, 540, 549, 557, 562, 580, 592, etc.

[2] *Suarez*, De Pœnit., disp. XXI, sect. II, n. 12. — [3] Sess. XIV, can. 6-7

certum est confessionem publicam non requiri, imo sæpe inopportunam esse, ut ait *Tridentinum;* sed si de facto quandoque adhibeatur, in ordine ad absolutionem, hæc quoque erit confessio vere sacramentalis; (b) "*jure divino necessaria*", quia confessio non est præceptum mere ecclesiasticum, sed divinum, quatenus implicite continetur in potestate remittendi peccata modo judiciali; hæc autem necessitas oritur ex præcepto *positivo*, ideoque quasdam patitur exceptiones, de quibus infra dicemus; (c) "*peccata gravia*", seu mortalia, cum venialia possint absque confessione remitti; hic autem notare expedit multa peccata, quæ hodie ut mortalia a theologis habentur, a quibusdam Patribus vocari venialia seu *minuta :* ita *Cæsarius A relat.* inter *minuta* peccata commemorat juramenta, perjuria, detractiones, otiosos sermones, odium, iram, gulam, invidiam etc. [1]; jamvero illa sola peccata accusare tenebantur fideles, cujus gravitatis conscii erant. Nomine autem peccatorum gravium comprehenduntur peccata interna et occulta, ut expresse ait *Tridentinum.*

Fundamentum hujus doctrinæ in *Scripturâ* habetur; plena probatio ex *Traditione* desumitur; *ratio* autem hujus dogmatis convenientiam ostendit.

§ I. Confessionis institutio et necessitas ex Scriptura infertur [2].

98. 1° Ex verbis *S. Matthæi* de potestate clavium, necnon *S. Joannis* circa potestatem remittendi et retinendi peccata, legitime infertur *divina institutio* confessionis. Christus enim sacramentum Pænitentiæ instituit per modum *judicii*, ita ut sacerdos non possit, pro libitu, ligare aut solvere, remit-

[1] Minuta enim peccata recensens, ait : "Cogitemus ex quo sapere cœpimus quid pro juramentis, quid pro perjuriis, quid pro maledictis, quid pro detractionibus, quid pro otiosis sermonibus, quid pro odio, quid pro irâ, quid pro invidiâ, quid pro concupiscentiâ malâ, quid pro gulâ, quid pro somnolentiâ, quid pro sordidis cogitationibus, quid pro concupiscentiâ oculorum, quid pro voluptuosâ delectatione aurium..." (Sermo 257, ap. *Migne*, P. L., XXXIX, p. 2220.)

[2] *Cambier*, De divinâ institutione confessionis (thesis), Lovanii, 1884; *Palmieri*, Th. 33, p. 401-416; *L. de San*, n. 756-780; *Mangenot*, Dict. de Théol., t. III, verbo *Confession.*

tere aut retinere, sed solum juxta leges æquitatis et prudentiæ. Atqui tale judicium proferri nequit sine prævià confessione omnium mortalium; nam judicium æquum et sapiens ferri non potest nisi causâ cognitâ, et quidem in particulari; et aliunde causa regulariter cognosci nequit absque pænitentis confessione, qui *solus* peccata sua *secreta* revelare potest, aut etiam externorum peccatorum veram *malitiam*, quæ ex interno actu voluntatis pendet. — Præterea potestas Apostolis eorumque successoribus collata amplectitur facultatem tum *remittendi* tum *retinendi* peccata; porro talis potestas indiscriminatim exerceri nequit: antequam spiritualis judex sententiam ferat, debet scire utrum peccata commissa fuerint vel non; imo eorum *numerum* et *gravitatem* cognoscere tenetur, necnon peccatoris *interiores dispositiones*, ut prudenter judicare valeat utrum remitti vel retineri debeant, et qualis satisfactio imponenda sit. Porro ad hoc generaliter requiritur *integra* et *distincta* mortalium confessio: secus plerumque judicium nec æquum nec prudens erit. Ergo Christus, concedendo Ecclesiæ potestatem remittendi peccata per modum judicii, eo ipso instituit confessionem.

99. 2° Ex iisdem textibus colligitur confessionem necessariam esse omnibus qui in peccatum grave lapsi sunt. (A) Etenim, ex verbis " *Quorum remiseritis...* " Dominus in Ecclesiâ suâ tribunal constituit ad remissionem aut retentionem peccatorum; porro quando princeps tribunal statuit in regno suo ad causarum cognitionem, satis clare manifestat hanc esse viam jure communi *necessariam* ad lites terminandas: nam, si judices non possent reos cogere ad se sistendum coram tribunali, eorum potestas vana esset, cum posset impune contemni. Ita si Christus, sacrum tribunal instituendo, non præcepisset peccatoribus ad hoc recurrere, sed reliquisset aliud medium ordinarium quo justificari possent, sacerdotum potestas illusoria esset: quis enim humili confessioni et laboriosæ pænitentiæ sese subjiceret, si præsto esset aliud medium minus laboriosum ad veniam peccatorum consequendam? — Quæ sane conclusio firmatur ex loco parallelo, ubi de potestate clavium agitur. Potestas enim peccata remittendi nihil aliud est

nisi quædam specialis attributio seu exercitium potestatis clavium, ut jam dictum est, n. 24. Potestas igitur peccata remittendi eamdem vim habet ac potestas clavium. Porro potestas clavium supponit vim obligandi omnes fideles, in peccatum mortale post Baptismum lapsos, ut ad illam recurrant pro istiusmodi vinculi solutione : " Tibi dabo claves regni cœlorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo..." Sicut enim nemo in domum, quæ clausa est, ingredi potest, nisi janitor ostium aperiat, ita nemo, cui porta cœli per peccatum mortale clausa est, regnum Dei ingredi potest, nisi porta a janitore, cui Christus claves tradidit, aperiatur; secus potestas clavium illusoria esset : quid enim prodest claves habere, si absque eis, invito ostiario, aditus patet? Ergo potestas remittendi peccata, sicut ipsa potestas clavium, vim habet obligandi peccatores ut ad sacrum tribunal recurrant.

(**B**) Confirmatur ex Johannei textus ultimâ parte " *et quorum retinueritis retenta sunt* "; cujus sensus est : si retinueritis vos, retineo et ego. Peccatum igitur non remittitur a Deo, Apostolis retinentibus; et ideo peccator Apostolicâ potestate eget pro veniâ assequendâ; nam aliter, Apostolis retinentibus, Deus non retineret; vana evaderet Apostolorum potestas, et falsa Christi verba. Ergo potestas retinendi peccata supponit apostolos eorumque successores posse obligare peccatores ut ad sacrum tribunal recurrant, ad consequendam remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi.

100. In medium proferuntur quidam alii textus qui ad confessionem sacramentalem spectare videntur; de quibus pauca adnotare liceat.

(**a**) In libro *Actuum* (XIX, 18) legitur : " Multique credentium veniebant *confitentes* et annuntiantes actus suos. " Non pauci theologi, cum *Bellarmino*, putant hic agi de fidelibus et de confessione sacramentali; nam græca vox ἐξομολογούμενοι hic adhibita, ea est quâ Græci utuntur ad confessionem sacramentalem designandum. Multi vero alii, quales sunt *Beelen*, *Patrizi*, tenent hic sermonem esse de Judæis et Gentilibus nondum baptizatis sed, ob visum prodigium, conversis et credere incipientibus; proinde non de confessione sacramentali, sed de illâ generali peccatorum accusatione, quæ baptismum præcedebat. Hanc ultimam sententiam ut probabiliorem habemus.

(b) Allegantur etiam verba *Jacobi*[1]: "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra." Multi sane Patres[2] et theologi hæc intelligunt de confessione sacramentali; proferuntur enim post verba de remissione peccatorum per sacram unctionem : sensus est igitur infirmos debere confiteri peccata sua, et vox *alterutrum* designat unum e sacerdotibus in præcedenti versiculo designatis. — Sed non pauci alii, ut *Beelen*, censent hic agi de confessione factâ viro prudenti, ad petendum ab eo consilium et auxilium ejus orationis impetrandum. Quæ pariter interpretatio vere probabilis est.

§ II. Confessio sacramentalis ex Traditione probatur[3].

101. Prænotanda. (A) Antequam singula afferamus testimonia, animadvertere liceat aliquem fuisse progressum in expositione hujus dogmatis et in praxi confessionis. Divina institutio et necessitas confessionis non explicite, sed *implicite* tantum in allatis Scripturæ textibus continentur : nonnisi modo *generali* et *confuso* designatur materia confessionis; de *tempore* quo urget confessionis præceptum nil statuitur. Pariter nil Christus definit circa *modum* confitendi, secretum aut publicum. Tandem præceptum ligat tantum eos qui conscii sunt peccati mortalis; jamvero, ut supra dictum est, n. 97, his temporibus tanquam *minuta* habebantur multa peccata quæ hodie, propter christianæ conscientiæ educationem, ut mortalia agnoscuntur[4]. Multi proinde fideles, qui immunes erant a gravioribus peccatis, ad sacramentum Pænitentiæ non accedebant : tunc enim usus non vigebat confitendi venialia, devotionis causâ. Ex altero capite, non pauci peccatores a confessione deterrebantur ob laboriosam et diuturnam pænitentiam quæ tunc imponi solebat; et, cum nullum speciale

[1] *Jacob.*, V, 16.

[2] Inter quos *Origenes*, homil. 2 in Levit., P. G., t. XII, p. 419.

[3] *Morinus*, op. cit., lib. II; *Palmieri*, th. 33-35, p. 401-449; *Cambier*, op. cit., p. 96-323; *L. de San*, n. 779-870; *Pignataro*, op. cit., p. 25-56; *Pellé*, op. cit., p. 279-449; *Vacandard*, La Confession sacramentelle dans l'Eglise primitive, Paris, Bloud, 1903; id., ap. *Mangenot*, Dict. de Théol., verbo *confession*.

[4] Attamen notatu dignum est Sanctum Paulum ut a regno cœlorum excludentia habere quædam ex peccatis quæ *S. Cæsarius* æstimat esse "minuta".

tempus præfiniretur ad confessionem instituendam, multi eam plus æquo differebant. Confessio igitur minus frequens erat quam nostris temporibus, ideoque non sæpe a Patribus commemoratur.

102. (B) Quibus positis, tria præsertim stadia in confessionis historiâ distingui possunt, attentis quæ supersunt documentis : 1° *quinque* prioribus sæculis, ex *Patrum* testimonio, *prævalet* pænitentia publica, et nonnisi pauca inveniuntur vestigia privatæ confessionis; 2° a *sexto* sæculo, frequentior fit auricularis confessio, ut constat præsertim ex *libris pœnitentialibus;* 3° a sæculo octavo, in *Conciliis particularibus*, utilitas et necessitas confessionis sacramentalis explicite declaratur, posteaque definiri incipiunt tempora quibus confiteri oporteat; tandem sæculo XIII, pro Ecclesiâ universali statuitur præceptum annuæ confessionis.

I. Testimonia quinque priorum sæculorum.

103. His temporibus vigebat publica pænitentia, et duplex commemoratur confessio : una *secreta*, seu auricularis, quæ fiebat non solum ad obtinendam peccatorum remissionem, sed etiam ad inquirendum utrum necne pænitentiæ publicæ sese submittere necesse esset; altera, *publica*, quæ pars erat exomologesis qualis superius descripta est.

(**A**) *Primo* et *secundo* sæculis, quædam confessio *publica* commemoratur; ita, in opere *Didache*[1] : " In ecclesiâ confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem tuam in conscientiâ malâ... Die dominicâ autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum." Pariter in Epistolâ *Barnabæ* adscriptâ (an. circiter 98) legitur[2] : " Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem in conscientiâ malâ." In his duobus textibus exhibetur confessio ut medium consequendi peccatorum remissionem, et nil prohibet quin præfata verba de confessione sacramentali intelligantur. Apud *S. Irenæum*, confessio videtur esse *necessaria* ad gratiam recuperandam; hic enim narrat quasdam mulieres a Marco, mago et hæretico, fuisse corruptas, et addit : " Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt et secundum corpus exterminatas se ab

[1] *Didache*, cap. IV, 14; cap. XIV, 1; pp. 15 et 33 ed. *Funk*.
[2] Epist. Barnab., c. XIX, 12, p. 95 ed. *Funk*.

eo velut cupidine, et inflammatas valde illum dilexisse[1]." Hanc autem confessionem esse *necessariam* infertur ex sequentibus : " Quædam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt; quædam autem reverentes hoc ipsum, in silentio sensim semetipsos retrahunt, *desperantes* a vitâ Dei"[2]; nam quæ, ob pudorem, peccata sua confiteri noluerunt, gratiam Dei non receperunt et in desperationem lapsæ sunt.

104. (B) Sæculo *tertio*, plura jam habemus testimonia, in Ecclesiâ tum latinâ tum græcâ, non solum de confessione publicâ, sed etiam de privatâ.

(a) Publicam confessionem describit *Tertullianus*, supra, n. 43. De eâ scribit *S. Cyprianus :* " Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti *confessio* ejus potest, dum satisfactio et remissio facta *per sacerdotes* apud Dominum grata est[3]." Ibidem[4] laudat eos qui, licet idololatriam externe non commiserunt, "quoniam tamen de hoc *cogitaverunt*, hoc ipsum apud *sacerdotes* Dei dolenter et simpliciter confitentur." Hic sane agitur de confessione sacramentali, quam sequitur peccatorum remissio, facta sacerdotibus, et in quâ manifestantur etiam interna peccata seu cogitationes.

105. (b) *Origenes* de variis mediis loquens, quibus obtineri possit peccatorum remissio, sacramentalem confessionem sic commemorat[5] : " Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per pænitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis suis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, et cum non erubescit *Sacerdoti Domini indicare peccatum* suum et quærere medicinam"... Alibi de confessione *privatâ*, quæ publicam præcedit pænitentiam, scribit[6] : " Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere... Si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri ædificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est"; ex quo patet jam tempore Origenis distinctionem fuisse inter *publicam* et *privatam* confessionem,

[1] C. hæres., l. I, c. 13, n. 5, P. G., t. VII, p. 587.
[2] Ibid., n. 7, p. 591.
[3] De Lapsis, c. 29, *P. L.*, t. IV, 489.
[4] Ibid., c. 28, *P. L.*, IV, 488.
[5] Homil. in Levit., II, 4, P. G., t. XII, p. 418.
[6] Homil. II in Ps. 37, n. 6, P. G., t. XII, p. 1386.

et utramque in usu fuisse. Ibidem hujus confessionis *necessitatem* diserte asserit atque comparatione illustrat[1]: " Vide ergo quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur; ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. "

(c) Quibus verbis addi possunt quæ scribit *S. Petrus Alexandrinus* de occulto raptore[2] : " Deinde per *confessionem* peccatum suum *sacerdoti* manifestans, nitens in contrarium, eleemosynas scilicet faciens, curabit infirmitatem."

106. (**C**) Sæculo *quarto*, frequentius adhuc Patres de utroque confessionis genere disserunt.

(a) Ita, apud *Latinos*, *S. Ambrosius*, ad publicam pænitentiam et confessionem peccatores sic hortatur : " Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. Pudor est ut unusquisque crimina sua prodat; sed ille pudor agrum suum arat, spinas tollit perpetuas[3]... Sed si vis justificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum "[4]. Hic autem agi de confessione non soli Deo factâ, sed etiam ejus ministris, ex sequentibus patet[5] : " Nonnulli ideo poscunt pænitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt quam *sacerdotem ligare :* suam enim conscientiam culpâ non exuunt, et sacerdotis induunt, cui præceptum est : *Nolite sanctum dare canibus* "... Ibi enim supponitur sacerdotes esse *judices*, eosque peccato ligari, si citius absolvunt. — Ad *secretam* vero confessionem alludit tum in præfato textu, tum paulo infra[6] : " An quisquam ferat ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem? Et pudeat te Deo supplicare, quem non lates; cum te non pudeat *peccata tua homini, quem lateas confiteri?* " — Ambrosius ipse secreto confessiones audiebat; hæc enim de eo scribit *Paulinus*, diaconus, in hujus sancti Vita[7] : " Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus; siquidem quotiescumque illi aliquis, ob percipiendam pænitentiam, *lapsus suos confessus esset*, ita flebat ut et flere illum compelleret... Causas autem criminum quas illi confitebantur, *nulli* nisi Domino soli, apud quem intercedebat, *loquebatur*."

---

[1] Loc. cit. — [2] Ap. *Mai*, Spicilegium Romanum, t. VII, p. 465.
[3] De pænitent., l. II, c. 1, P. L., t. XVI, p. 497.
[4] Ibid., c. 6, p. 507. — [5] Ibid., c. 9, p. 517-518. — [6] Ibid., c. 10, p. 518.
[7] *Migne*, P. L., t. XIV, p. 40.

107. *S. Pacianus*, qui tam explicite asseruerat potestatem remittendi peccata sacerdotibus inesse, supra n. 53-54, non minus diserte confessionis, etiam occultorum peccatorum, necessitatem urget : "Quid facies, tu qui decipis sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos... Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari?... Quod si fratrum oculos erubescitis, consortes casuum vestrorum timere nolite"[1].

108. (b) Inter *græcos*, præter testimonia superius allata, n. 54-55, hæc speciali notatu sunt digna.

Aphraates, sapiens Persa dictus, de pænitentiæ et confessionis necessitate ita loquitur (an. circiter 340) : "Ita eum qui a Satana percussus fuit, non debet pudere delictum suum confiteri, illudque relinquere, et pænitentiam in remedium postulare. Qui vulnus suum prodere erubescit, gangrænâ corripietur, totumque corpus damno inficiet; quem autem non pudet vulnus manifestare, sanabitur et ad prælium iterum descendet... Ita prorsus ei qui in agone nostro superatus est, hæc superest via sanitatem recipiendi, ut scilicet dicat : *Peccavi*... Vos igitur, medici, qui insignis Medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est." Hic sane agitur de confessione *sacerdotibus* factâ, qui nomine spiritualium medicorum designantur; et quidem de confessione occultâ; nam sacerdos peccata accusata non debet aliis manifestare; sacerdotes enim ita alloquitur : "Cumque ipsam (infirmitatem spiritualem) vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt, innocentes in culpâ esse judicentur"[2]. — Brevius, sed non minus directe *S. Gregorius Nyssenus*[3] : "Qui autem latenti ablatione sibi alienum usurpat, si deinde per *enuntiationem peccatum suum sacerdoti aperuerit*, vitii studio in contrarium mutato ægritudinem curabit." — Supra, n. 79, testimonium *S. Athanasii* retulimus, ubi explicite commemoratur confessio sacerdoti facta.

109. (D) Sæculo *quinto*, clarius etiam exhibetur discrimen inter secretam et publicam confessionem.

(a) In Ecclesiâ *latinâ*, audiatur præprimis *Augustinus*. In sermone de utilitate agendæ pænitentiæ, tria pænitentiæ genera distin-

[1] Paræsis ad pænitentiam, P. L., t. XIII, p. 1086.

[2] Demonstratio VII, n. 3-4; Patrol. syriaca, curante *Graffin*, t. I, p. 318-319.

[3] Ep. canonica, can. 6, *P. G.*, t. XLV, p. 234.

guit : prima, quæ fit ante baptismum; secunda, quâ quotidiana peccata delentur, "pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat"; tertia autem severior "pro illis peccatis subeunda est quæ Legis decalogus continet." Qui graviter peccavit "*veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesiâ claves ministrantur :* et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum... Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiâ multorum, vel etiam totius plebis agere pænitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem"[1]. Ibi commemoratur secreta confessio quæ fit antistitibus seu sacerdotibus, ut hi judicent utrum pænitentia debeat esse publica an non. De necessitate vero confessionis non solum ibi, sed in alio sermone diserte agit[2] : "Ad hanc confessionem, Fratres carissimi, festinandum est, quæ non labiis tantum, sed corde et operibus impleatur. *Neminem vulnus suum pigeat confiteri, quia non potest sine confessione sanari.*"

Hanc distinctionem inter publicam et privatam confessionem magis explicite exponit *S. Leo Magnus.* Audiens siquidem Pontifex nonnullos sacerdotes publice legisse peccata pænitentium libellis scripta, hanc praxim condemnat tanquam illicitam usurpationem, *apostolicæ regulæ* contrariam; "cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare *confessione secretâ*". Quamvis enim pænitentibus liceat publice peccata quædam confiteri, id tamen minime præscribitur : "Sufficit enim illa confessio quæ primum Deo offertur; tunc etiam sacerdoti qui pro delictis pænitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pænitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis"[3]. Ex quo sequitur jam tempore S. Leonis duplicem fuisse confessionem sacramentalem, publicam, quæ quandoque fidelibus permittebatur, et privatam, seu auricularem, quæ peccatoribus præcipiebatur.

110. (b) In Ecclesiâ *græcâ*, jam labente sæculo tertio instituti erant sacerdotes *pænitentiarii*, ad audiendas con-

[1] Sermo CCCLI, n. 9, P. L., t. XXXIX, p. 1545.

[2] Sermo de pænit., ap. *Mai*, Nova bibliotheca Patrum, Romæ, 1852, t. I, p. 455.

[3] Ep. 168 ad episcopos Campaniæ, P. L., LIV, 1211.

fessiones, et quidem secreto, ut colligitur ex narratione *Sozomenis*[1]: " Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturæ sit et humanâ præstantioris; pænitentibus vero, etiamsi sæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit; cumque in petendâ veniâ peccatum necessario confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure visum est sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem, qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentiâ polleret, huic officio præfecerunt : ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat pænitentes, a se ipsis pœnas criminum exacturos." Ex quibus verbis constat jam circa finem sæculi tertii viguisse confessionem auricularem in Oriente.

III. Verum est quidem episcopum Nectarium abolevisse, (an. 386) in ecclesiâ Constantinopolitanâ, officium pænitentiarii, occasione confessionis cujusdam mulieris, quâ proditum fuerat grave alicujus diaconi peccatum. Exinde inferunt Protestantes confessionem auricularem esse humanum inventum : si enim lege divinâ præciperetur, nulla auctoritas humana posset eam abolere. Sed immerito; nil enim probat ipsum usum confessionis abrogatum fuisse. Id solum abrogatum est quod scandalum præbuerat, videlicet publica manifestatio occultorum delictorum. Quod quidem ex historiâ subsequentium temporum confirmatur.

Etenim *S. Chrysostomus*, Nectarii successor, potestatem sacerdotis extollit maxime ex eo quod ipsi collata est potestas remittendi peccata, vi verborum *Quæcumque ligaveritis* et *Quorum remiseritis*[2]; hanc vero potestatem exerceri per confessionis ministerium: " Multâ quidem arte opus est ut ægri *sacerdotum remediis* libenter se subjicere suadeantur; neque id solum, sed ut etiam illis medelæ gratiam habeant "[3]. Alibi significat tempus quo generatim fit peccatorum confessio esse magnam hebdomadam[4]. Ipse peccatores benigne excipiebat, ita ut in synodo *ad Quercum* ab episcopo Isaacio insimulatus fuerit " quod licentiam peccantibus præbeat, sic docens: si iterum peccasti, pæniteat iterum; et quoties peccaveris, veni ad

[1] *Sozomen.*, H. E., lib. VII, c. 16, P. G., t. LXVII, p. 1458; cfr *Socrates*, supra, n. 55.

[2] De sacerdotio, l. III, n. 5, *P. G*, t. XLVIII, p. 643.

[3] Ibid., l. II, n. 3, p. 634.

[4] Homil. 30 in Genesim, P. G., t. LIII, p. 273.

me, ego te sanabo"[1]. — Non diffitemur quidem sæpe S. Doctorem dicere *Deo ipsi confitendum esse;* sed, ex locis parallelis et ex aliorum similibus verbis, hic loquendi modus minime excludit confessionem *sacerdoti* factam. Ita v. g. *Anastasius Sinaita* († 599), ait[2]: "Confitere peccata tua *Christo* per Sacerdotem". Hinc etiam in libello pænitentiali, qui *Joanni Jejunatori*, patriarchæ Constantinop. († 595) tribuitur, Sacerdos sic pænitentem alloquitur"[3]: "Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed *per me Deus* peccatorum tuorum confessionem suscipit". Ita etiam in textu supra relato, audivimus *S. Ambrosium* dicentem: "non erubescamus *fateri Domino* peccata nostra", sed simul vocat illam confessionem *verecundam;* jamvero vix verecunda esset, si soli Deo, non sacerdoti fieret; sed quod magis est, narratur in ejus vitâ a *Paulino* scriptâ (c. 39) eum, quotiescumque illi aliquis lapsus suos confessus esset, ita flevisse ut peccatorem flere compelleret; quod quidem evidenter ostendit confessionem de quâ agitur factam fuisse Deo quidem, sed per ministerium Sacerdotis. Pariter, in Pænitentiali Egberti, arch. Eboracensis (an. 743) legitur[4]: "Confiteatur illi (Deo) malefacta sua, ut *sacerdos sciat* quam pænitentiam ipsi imponere debeat."

112. Insuper *S Nilus*, Chrysostomi discipulus, scribens Charicli presbytero, qui severe delinquentes pertractabat, confessionem sacerdoti factam clare commemorat[5]: "Sic tu, sacerdos, ne despicito, sed potius amplectere et fove cor contritum et humiliatum... verba accipiens compunctorum pro proprio peccato, et immensâ cum animi dejectione tibi sua scelera confitentium". Pariter *Theodoretus Cyrensis* (an. circiter 450) hæreticos carpit quod canones pænitentiales non servent, pænitentibus non integre confessis absolutionem largientes: "Deinde confessis dant veniam, non tempus ad pænitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed ex potestate condonantes". Ex quo sequitur confessionem *integram* esse debere. — Igitur, etiam suppressis pænitentiariis, confessio sacramentalis abrogata non fuit in Oriente. Quod etiam magis luculenter ostenditur ex libris pænitentialibus, de quibus nunc agendum superest.

II. Confessio ex libris Pænitentialibus probatur.

113. *Pænitentiales* libri *proprie* dicuntur qui pœnas explicant cuique crimini canonice infligendas; per exten-

[1] *Labbæus*, Concilia, t. II, p. 1328.
[2] Orat. de Synaxi, P. G., t. LXXIX, p. 834.
[3] *Morinus*, op. cit., Appendix, p. 77-78.
[4] *Mansi*, Concilia, t. XII, p. 432.
[5] Epist. lib. III, ep. 243, P. G., t. LXXIX, p. 495-502.

sionem vero, nonnulla ex antiquis *sacramentariis* seu Pontificalibus excerpta, quæ pænitentiæ impositionem et pænitentium reconciliationem spectant. Pænitentiales proprie dictos præcesserant *Canones Apostolici* et *Constitutiones Apostolorum*, necnon *Conciliorum canones*, et Patrum epistolæ quædam *canonicæ*, in quibus etiam pœnæ pro præcipuis peccatis assignabantur. Sed a sæculo *sexto* jam multiplicantur *pænitentiales*, quia frequentior evadit pænitentia privata.

114. 1° Inter *græcos*, celebriores sunt libri pænitentiales *Joannis Jejunatoris* et *Joannis monachi*.

(**A**) In priori, ordo pænitentiæ ita describitur [1]. Assumit sacerdos peccata confessurum, et sistit eum coram altari, cantatque cum eo trisagion et quosdam psalmos; postea super eum specialem recitat orationem, eumque monet ut confiteatur sacerdoti quasi Deo, qui per suos ministros peccata dimittit. Omnia mortalia, etiam *occulta*, declarare oportet : " Revela igitur et declara coram sanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ a te clam facta sunt." Eum deinde interrogat præsertim de castitate, de cæde voluntariâ et involuntariâ, de furto, de maledicentiâ et contumeliâ, de divinationibus et magiis, de falso testimonio, de invidiâ, de cogitationibus hæreticis, etc. De his peccatis non solum in genere, sed in specie interrogat, et quidem quoties commissa fuerint. Peractâ confessione, preces super pænitentem fundit; postea eum surgere jubens amanter amplectitur, et bono esse animo hortatur. Iterum preces recitantur. Postea pænitentem interrogat qualem pænitentiam observare valeat : " pœnæ enim imponuntur secundum vires et voluntatem eas suscipientis, et non secundum peccatorum proportionem ". Exempla quædam pænitentiarum dantur : feria secundâ et quartâ et parasceve, oleum comedere et legumina cum oleribus tantum; abstinere a caseo, ovo, et carne et piscibus; tertiâ vero et quintâ feriâ, omnia libere comedere præter carnem. — Tandem pronuntiatur absolutionis forma deprecativa : " Misericors, benigne et clemens Domine... libera benignitate tuâ hunc presentem servum tuum N. a jugo cui subjacet, et relaxa hoc ipsi impositum jugum, etc."

115. (**B**) *Joannis monachi* Canonarium [2] scriptum videtur post librum Joannis Jejunatoris; methodus pænitentiæ administrandæ est substantialiter eadem, sed accuratius describuntur interrogatio facienda, pœnæque singulis peccatis infligendæ.

Notatu pariter dignus est brevis pænitentialis ordo [3], in quo minutim exponuntur quæstiones proponendæ; quasdam hic subji-

[1] Apud *Morinum*, op. cit., Appendix, p. 76-90.
[2] Ap. *Morinum*, l. c., p. 101. — [3] *Morinus*, l. c., p. 118.

cimus: "Clam audita in alterius perniciem retulisti? Aliquem ad mollitiem provocasti? Magos interrogasti? Filius tuus sine baptismo mortuus est? Uxorem verberasti et vulnerasti? Mollitiem passus es? Fœneratus es sæpius? Rem habuisti cum muliere non baptizatâ? Alicujus domum vel agros incendio vastasti? Aquam in vinum immisisti et divendisti? Habuisti duas mensuras? Herbas miscuisti ut non pareres? Circumvenisti et fefellisti aliquos? Terminos agrorum dimovisti? etc."

116. 2° In Ecclesiâ *Latinâ*, multi pariter inveniuntur libri pænitentiales, inter quos recensentur: —

(A) *Liber pœnitentialis romanus*, qui est antiquissimus; hujus exemplar edidit *Halitgarius* nono sæculo, ex veteri manuscripto [1]. Sacerdos, confessiones excepturus, ad eas jejunio se præparat; benigne pænitentem suscipit, super eum preces fundit, eique manus imponit, dicens: "Domine sancte... te supplices rogamus et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, et peccata universa condones..." Postea incipit judicium pænitentis: "Si quis clericus homicidium fecerit, decem annos pæniteat, tres ex his in pane et aquâ. Si laicus, tres annos pæniteat, unum ex his pane et aquâ... Si quis clericus perjuraverit, septem annos pæniteat, tres ex his in pane et aquâ. Laicus, tres; subdiaconus, sex; diaconus, septem; presbyter, decem; episcopus, duodecim... Si quis maleficio aliquem perdiderit, septem annos pæniteat, tres in pane et aquâ... Inebriatur quis a vino sive cervisiâ, contra indictum Salvatoris ac Apostolorum ejus, quod si votum sanctitatis habuerit, quadraginta diebus in pane et aquâ culpam diluat; laicus vero septem diebus pæniteat." — Reconciliatio autem fiebat generatim feriâ quintâ in Cœnâ Domini: "Omnipotens et misericors Deus... succurre lapsis, miserere confessis, ut quod delictorum catena constringit, magnitudo pietatis absolvat".

(B) Nec minus celebris est liber *Egberti*, archiepiscopi Eboracensis [2], in Angliâ (an. circiter 735), ubi describitur ordo pænitentiæ præfato ordini similis, et traduntur generales formulæ ad usum pænitentium. Exemplum exhibemus: "Confiteor quia peccavi nimis in *sermonibus* vanis, et immundis, et turpibus, et otiosis ac nocivis; confiteor odia *cordis mei*, et dolositates, et invidias, detractiones, impatientias, convitia, contentiones, dijudicationes, blasphemationes, etc." Traduntur etiam formulæ ad usum confessariorum: "Jurasti super evangelium aut supra altare? Decem annis pæniteas. Jurasti in manu fratris, aut alterius hominis, aut in cruce consecratâ? Tribus annis pæniteas, etc." Postea sequuntur preces et absolutiones, ut supra.

[1] *Morinus*, l. c., p. 5. — [2] Ap. *Morinum*, l. c., p. 11.

(C) Pauca excerpere liceat ex Pænitentiali *S. Columbani*, (an. circiter 600) : "Si quis igitur per *cogitationem* peccaverit, id est concupierit hominem occidere, aut fornicari, aut furari, aut clam comedere et inebriari; vel certe aliquem percutere... majora dimidio anno; minora quadraginta diebus, in pane et aquâ pæniteat... Si quis furatus fuerit, anno pæniteat. Si quis percusserit per rixam fratrem suum, et sanguinem fuderit, tribus annis pæniteat, etc."[1].

117. Ex his omnibus certo constat *confessionem sacramentalem*, et quidem *auricularem*, in usu fuisse in utrâque Ecclesiâ, non solum apud monachos, sed etiam apud *clericos* et *laicos;* haud raro enim diversæ assignantur pænitentiæ pro iisdem peccatis, prout a monachis, clericis aut laicis perpetrata fuerint. Hæc autem confessio tanquam *necessaria* habebatur; nam inter peccata accusanda recensetur sacrilegium; "corpus et sanguinem Domini polluto corde et corpore *sine confessione* et *pænitentiâ* scienter indigne accepi"[2]. — Minus tamen frequens erat quam nostris diebus, quia tempus confitendi nondum præfinitum fuerat. Mox in conciliis particularibus determinari cœpit.

III. Confessio ex Conciliis probatur, a VII° ad XIII^um^ sæculum.

118. A septimo sæculo, Concilia particularia de utilitate et necessitate confessionis canones condere cœperunt, et paulo post tempora quibus præceptum adimpleri debet.

1° Ita concilium *Cabilonense I* (an. circiter 650) de confessionis utilitate hæc habet, can. 8 : "De pænitentiâ vero peccatorum quæ est medela animæ, utilem hominibus (*aliter* omnibus) esse censemus, et ut pænitentibus a sacerdotibus datâ confessione indicatur pænitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire"[3]. — In Concilio *Germanico*, an. 742, statuitur ut unusquisque præfectus (militum) unum presbyterum secum habeat, "qui hominibus peccata confitentibus judicare et indicare pænitentiam possit"[4]. — Concilium *Chalcutense* (*Kent*) in Angliâ habitum, an. 787, explicite loquitur de confessione *sacerdoti factâ*, ejusque necessitatem his verbis inculcat : "Si quis autem (quod absit) sine pænitentiâ aut confessione de hâc luce discessit, pro eo minime orandum est"[5]. — Conc. *Cabilonense II* (an. 813) plura de confessione decernit, præsertim de ejus *integritate* (can. 32) : "Sed et hoc emendatione

[1] Ap. *Migne*, P. L., t. LXXX, p. 225.
[2] Ap. *Morinum*, Appendix, p. 13. — [3] Ap. *Bruns*, t. II, p. 266.
[4] *Mansi*, t XII, p. 366. — [5] *Mansi*, t. XII, p. 949.

egere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt... Ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt et ea quibus in solâ cogitatione delinquitur"[1]. Quia vero quidam dicebant sufficere confessionem Deo factam, Concilium commendat eam quæ fit non solum Deo, sed etiam sacerdotibus, can. 33 : "Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent : quod *utrumque* non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam... Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata; ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata." — Concilium *Turonense*, eodem anno habitum, decernit opportunum esse eodem uti libello pænitentiali in ministerio confessionis[2]. — Concilium *Parisiense VI* (an. 820) præcipit sacerdotibus ut in suis parœciis maneant, ne "homines sine confessione et infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur"[3]; et ita supponit confessionem esse necessariam saltem in mortis periculo. — Speciatim præcipitur confessio in mortis periculo, etiam iis qui pænitentiam implere nequeunt. Ita *C. Moguntinum I* (947) : "Ab infirmis in mortis articulo positis, per presbyteros jura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda est quantitas pænitentiæ"[4]. Confessio igitur magis necessaria existimabatur quam satisfactio.

119. 2° Jam sæculo IX, *tempora præfiniuntur* pro confessione faciendâ. Secundum regulam *Chrodogangi*, Metensis episcopi, canonici bis in anno confiteri debent episcopo, unâ vice in initio quadragesimæ ante Pascha, alterâ vice a medio mense Augusto ad Kalendas Novembris[5]. Alia concilia tempora præfiniunt ipsis laicis; sic *C. Strigonense* (Gran), an. 1114, statuit laicos debere peccata confiteri et communionem accipere ter in anno, festis Paschæ, Pentecostes et Nativitatis Domini[6]. Ita paulatim via parabatur statutis *C. Lateranensis IV* (1215), in quibus decretum est fideles saltem semel in anno proprio sacerdoti sua peccata confiteri debere[7].

120. *Objiciunt* tamen Protestantes hæc verba *Decreti Gratiani* (1150)[8] : "Quidam *Deo* solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci. Quidam vero *sacerdotibus* confitenda esse percensent, ut fere tota sancta Ecclesia. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita dumtaxat ut Deo, qui

[1] *Mansi*, t. XIV, p. 99.
[2] Can. 22, ap. *Mansi*, t. XIV, p. 86.
[3] Can. 29, ap. *Mansi*, t. XIV, p. 558.
[4] Can. 26, ap. *Mansi*, t. XIV, p. 910.
[5] *Mansi*, t. XIV, p. 320.
[6] Héfelé, Hist. des Conciles, t. VII, p. 128.
[7] *Héfelé*, t. VIII, p. 133.
[8] De pænitent., dist. I, c. 90, p. 1189 ed. *Friedberg*.

remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur, et hoc perfectorum est... sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra, et oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque, quæ soli Deo fit, quod justorum est, purgat peccata. Ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata". — Ex præfatis verbis colligitur, tempore Gratiani, quosdam auctores ignotos dubitâsse de necessitate peccata sacerdotibus confitendi; sed fallitur auctor dum dicit *Græcos* ita sentire; contrarium enim constat ex Patribus et Pænitentialibus supra allegatis, et libris liturgicis Orientalium, ubi describitur confessio sacerdoti facta. Aliunde Gratianus ipse, post relatas auctoritates pro confessione coram Deo et coram sacerdote, asserit *utramque* prodesse, et utramque in praxi adhibendam esse. Quare exinde inferri potest rem non fuisse adhuc clare ab Ecclesiâ definitam ideoque aliquod dubium moveri potuisse sine hæresis notâ. Quia vero de divinâ institutione et necessitate confessionis sufficienter constabat ex consensu moraliter unanimi Patrum et Theologorum, res erat prope definibilis.

121. Conclusio. Ex omnibus documentis allatis aliisque multis quæ adduci possent, tria constant: (a) jam a primis sæculis *in Ecclesiâ viguisse confessionem* peccatorum, etiam occultorum, sive publicam sive occultam; (b) hanc habitâm fuisse ut *necessariam* ad veniam peccatorum consequendam, etsi tempus præceptum adimplendi non fuerit primis sæculis determinatum; (c) eamdem necessariam esse *jure divino*, vi institutionis Christi; nam hæc necessitas connectitur cum potestate clavium a Christo institutâ.

Notandum est tamen testimonia antiqua, præsertim secundi sæculi, pauca esse et obscura: prioribus enim sæculis, Patres multo plura de laboriosâ et diuturnâ pænitentiâ scribebant quam de confessione; hæc autem pænitentia seu exomologesis, quæ delictis proportionata erat, eo ipso supponebat confessionem a pænitente peractam: quidquid igitur Patres dicunt de necessitate pænitentiæ ab Ecclesiâ impositæ, eo ipso probat necessitatem confessionis. Insuper testimonia, superius allata de potestate clavium, apostolis et sacerdotibus collatâ, idem probant: hæc enim duo ita inter se connectuntur ut unum vix demonstrari valeat sine altero.

122. Alio modo argumentum proponi potest. Primum quidem Protestantes asserebant *Innocentium III* confessionis inventorem fuisse, ejusque necessitatem promulgâsse

in *C. Lateranensi* (1215). Historice autem probatum est integros tractatus de sacramentali confessione multo ante Innocentium editos esse, non pauca Concilia de ejus utilitate aut necessitate statuta condidisse, in libris pænitentialibus, Græcis et Latinis, totum ordinem confessionis descriptum fuisse, cum catalogo peccatorum etiam occultorum, et pœnarum eisdem inflictarum. Quâ in re devicti, nonnulli contendebant auricularem confessionem a *Leone Magno* († 461) in Ecclesiam invectam fuisse; sed non magis luculenter ostensum est, ex Patribus tum Latinis tum Græcis, et ex ipsâ institutione pænitentiariorum, secretam seu auricularem confessionem in usu fuisse sæculis anterioribus, quarto nempe et tertio. Cum autem sæculo secundo jam de confessione sermo sit, nil prohibet quin admittamus hanc aliquando fuisse occultam. Ceteroquin ipsa publica confessio, tunc certo vigens, erat vere sacramentalis, cum ordinaretur ad veniam peccatorum obtinendam, mediante pænitentiâ a sacerdotibus impositâ. Ita, a testimoniis evidentioribus ad obscuriora procedentes, historice demonstratur confessionem sacramentalem ab initio in Ecclesiâ fuisse adhibitam, eamque a Christo promanare, quippe quæ indivulse connectitur cum potestate clavium quam Dominus Apostolis tradidit.

III. Confessionis utilitas ratione ostenditur[1].

123. Positâ divinâ confessionis institutione, ejus convenientia ostendi potest :

1° *Ex parte Dei.* Peccatum siquidem includit actum *superbiæ* et *inobedientiæ* qui reparari debet; atqui meliori nequit reparari modo quam per peccatorum sinceram confessionem; qui enim dixerat saltem æquivalenter : *non serviam*, per confessionem Deo *se subdit* dicens : *peccavi*, et delicta sua recogitans in amaritudine animæ suæ, ministroque Dei candide ac *humiliter* aperiens, superbiam edomat et offensam Deo irrogatam in quantum fieri potest com-

[1] *P. Félix*, De la confession : pourquoi on se confesse et pourquoi on ne se confesse pas? Paris, 1892; *Bougaud*, Le Christianisme et les temps présents, 6e éd., 1902, t. V, ch. 6, p. 145-182.

pensat : siquidem "cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies".

2° *Ex parte hominis.* Confessio *pacem* et *securitatem* animis præbet; unum e præcipuis bonis quibus frui possumus est profecto pax animæ; atqui peccator vix pacem animique securitatem invenire potest, nisi in confessione sacramentali; quamvis enim dolorem de peccatis concipere nitatur, et pro eis satisfacere, nescit tamen utrum amore vel odio dignus sit, nam *nemo judex in propriâ causâ;* ex adverso, si omnia gravia peccata Dei ministro humili confessione pandit, hic de eis judicare potest, necnon de dispositionibus pænitentis et de æquitate satisfactionis jam præstitæ vel præstandæ, sicque evanescunt animi angores et conscientiæ remorsus[1]. Pariter confessio *a peccatis deterret;* nam si desolatione desolata est terra, quia nemo est qui recogitet corde, qui conscientiam suam frequenter discutit ut omnia peccata a se commissa confiteatur, hujusmodi periculum evadit; siquidem conscientiam scrutando, occasiones peccandi videt et fugit, media ad tentationes superandas discit; præterea obligatio omnia, etiam secretissima, aperiendi eum vigilantiorem efficit, ita ut nullum sit efficacius frænum ad coercendos peccatores quam sacramentalis confessio. Confessio etiam *virtutum praxim* maxime promovet : quum enim debiles et inconstantes simus, amico et duce indigemus in vitâ spirituali : "Fluctuamus inter varia consilia, inquit *Seneca* (Ep. 52); nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. Nemo per se satis valet ut emergat; oportet manum aliquis porrigat, aliquis educat... Non duce tantum opus est, sed adjutore et ut ita dicam coactore". Atqui in confessione sacramentali invenimus *amicum* fidelissimum, cui, sub secreti inviolabili sigillo, delicta, infirmitates et vulnera cordis aperire possumus; *ducem* spiritualem qui vias Domini nos edocebit, ostendendo quid

[1] Quod candide fatentur non pauci Protestantes, v. g. *E. Naville* (apud *de Baudry*, La Religion du Cœur, p. 84 sq.) : "Quis enim peccator cupiditatis oculos ad tribunal pænitentiæ non convertit? Quis non concupivit, in amaritudine animæ suæ et incertitudine divinæ remissionis, ex ore ejus qui Christi auctoritatis particeps est, hæc verba audire : Vade in pace, remissa sunt peccata sua ?"

:, quid agere debeamus non generali modo, ut fit ædicatione, sed speciali, nostris infirmitatibus accom- ıto, juxta illud : " Surge, et ingredere civitatem, et ibi ur *tibi* quid *te* oporteat facere"[1]; *adjutorem*, qui zelo lagrans, nos veluti coget ad vitia expellenda virtutes- olendas.

ıc *Leibnitzius*[2] ait : "Totum autem hoc institutum divinâ ıtiâ dignum esse negari non potest, et si quid aliud, hoc certe istianâ religione præclarum et laudabile est quod et Sinenses ponenses sunt admirati : nam et a peccatis multos deterret endi necessitas, eos maxime qui nondum obdurati sunt, et magnam consolationem præstat, ut adeo putem pium, gra- et prudentem confessarium magnum Dei organum esse ad ırum salutem; prodest enim consilium ejus ad regendos affec- d animadvertenda vitia, ad vitandas peccatorum occasiones, stituendum ablatum... ad dubia eximenda, ad erigendam ım afflictam, ad omnia denique mala aut tollenda aut miti- .; et cum fideli amico vix quidquam in rebus humanis præs- s reperiatur, quanti est, cum ipsâ sacramenti divini inviola- ligione, ad fidem servandam opemque ferendam astringi"[3]?

4. 3° *Ex parte societatis.* Societas enim, sine legum diâ, secura vix consistere potest; atqui ad legum custo- confessio multum inservit; prudens enim confessarius n humanarum simul ac divinarum observantiam urget, tatem domesticam, quæ societatis civilis est fundamen- recte ordinat, lites et dissidia componit, inimicos

7., IX, 7. — [2] Systema theol., Parisiis, 1819, p. 270.
ec aliter loquuntur hodierni Anglicani non pauci, inter quos *Liddon*, ut ex ejus épistolis constat :
Irist Church, Oxford, March 1883. — Carissime X., Ab anno 1847 sorem adivi quotiescumque opus habui, et numquam hoc me . Nihil melius quod animam reficiat esse posse videtur; et abso- quæ confessionem sequitur, est potestatis absolvendi forma magis a ac authentica, quam illæ universaliores formulæ, quæ in officio iano et in Eucharistiæ administratione adhibentur. Expertus uoque, quod ad me attinet, doctrinam Episcopi Butler relate ad ım viam sectandam circa rationem se habendi, hujusmodi praxim ssime confirmare... Minister terrenus, qui absolutionem imperti- it indubie finitus et imperfectus, dum Summus Sacerdos Noster tis infinite intelligens et bonus. Attamen minister hic, vi mis- a Christo receptæ, subsidio nobis venit, ut omni cordis ac animi nostrorum peccatorum, si velimus, nos pæniteat, quod propriis s difficulter adimpleremus".

reconciliat, bonorum ablatorum restitutionem procurat, scandala prævenit vel reparat; imo confessio hanc æqualitatem, de quâ nostra ætas gloriatur, maxime promovet, quum lex confitendi omnes afficiat, reges seu præsides æque ac subditos, nobiles ac divites æque ac pauperes, nec in sacro tribunali ullum fiat discrimen inter diversæ conditionis pænitentes [1].

125. *Objiciunt* quidem adversarii confessionem sacramentalem ansam præbere multis abusibus et sæpe pænitentibus æque ac ministris perniciosam esse. — *Resp.* Aliquando, abusus in hanc praxim *per accidens* irrepere concedimus, sed raro; nam Ecclesia, tum gravibus pœnis plectendo sollicitantes ad turpia, tum excommunicando absolventes complicem in peccato turpi, cogendoque illos qui ad malum sollicitati fuerint ut confessarium denuntient, ne tales abusus multiplicarentur sapienter providit. Pauca vero incommoda, quæ aliquando ex hominum fragilitate vel perversitate oriuntur, ratio sufficiens esse nequeunt cur deleatur institutio, quæ aliunde tum privatis hominibus tum societati ipsi tot et tanta confert beneficia; si enim res, quibus homines abutuntur, statim tollendæ essent, quid tandem in societate civili vel ecclesiasticâ remaneret?

Art. II. De Contritione.

126. **Doctrina Tridentina.** Ad remissionem peccatorum consequendam per potestatem clavium, non sufficit confessio, sed requiritur contritio, ut recte docet *Tridentinum* [2]: —

"Contritio, quæ primum locum inter dictos pænitentis actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Fuit autem quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiduciâ divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur...

Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando *caritate perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacramenti voto* quod in illâ includi-

[1] Hanc socialem confessionis utilitatem agnoverunt Increduli et Protestantes; ita *Voltaire*, Diction. philos., art. catéch. du Curé; protestans auctor operis *Letters of Atticus*, lett. 5 th.

[2] *Trident.*, sess. XIV, cap. 4.

r, non esse ascribendam. Illam vero contritionem *imperfectam*, æ *attritio* dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non um non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum am donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc idem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus m sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pæniitiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; nen eum ad Dei gratiam in sacramento Pænitentiæ impetrandam ponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ edicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, et miseridiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumntur catholicos Scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pænitiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod iquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed et falso docent conionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam."

Tria in hâc Tridentinâ declaratione exponuntur : 1° *natura* et *necessitas* contritionis; 2° *efficacia contritionis perfæ* ad remittenda peccata absque reali susceptione sacranti; 3° *sufficientia attritionis* cum sacramento Pænitentiæ; quibus seorsim dicemus.

§ I. Natura et necessitas contritionis [1].

27. **Contritionis notio.** (A) Contritio, a voce *conte-*, *etymologice* actionem designat quâ solidum corpus ad imas partes reducitur; *metaphorice* autem illam dispositem quâ cor peccato induratum frangitur et emollescit. inc *Catech. Romanus* (de Pænit., n. 33) : "Recte autem contris nomen peccati detestationi... ad significandam vim doloris ositum est, ductâ similitudine a rebus corporeis quæ minutatim aut duriore aliquâ materiâ confringuntur : ut eo vocabulo deretur corda nostra, quæ superbiâ obduruerunt, pænitentiæ vi ndi atque conteri". Vocatur etiam *cordis compunctio*, quia nadmodum ferro tumida ulcera secantur, ita corda, quasi ello contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum queant elicere; quare et *scissio cordis* a Joele prophetâ appelst : "Convertimini ad me in toto corde vestro... et *scindite* vestra" [2].

Thom., Supplem., q. I, a. 1; *Suarez*, disp. IV; *Salmantic.*, disp. *Bellarminus*, l. II, c. 4; *Drouin*, q. IV, c. 1; *Billuart*, diss. IV, *de Augustinis*, p. I, a. 4; *Palmieri*, th. 20; *Billot*, th. 12; *L. de* n. 473 sq. — [2] *Joel*, II, 12.

(B) Quoad *rem*, contritio a *Tridentino* definitur[1]: "*animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*". Dicitur (a) *animi dolor*, seu afflictio, tristitia, intus animum angens et crucians; cum enim peccatum sit summum malum morale, peccator sincere ad Deum revertens, de delictis a se commissis non potest non tristari. Quæ quidem tristitia, licet primario interna, communiter exterius manifestatur; nec tamen lacrymæ aliave mœroris signa hujusmodi requiruntur, cum voluntas sincere dolere valeat, quin talia signa exhibeantur.

(b) *Detestatio de peccato commisso*, id est odium peccati, procedens ex cognitione ejus malitiæ malorumque effectuum, conjunctum cum retractatione pravæ voluntatis, ita ut peccator sincere dicat : si possem de novo agere, vellem non peccâsse. Dolor et detestatio ita connectuntur ut qui suum detestatur peccatum de eo doleat, et qui de eo dolet illud necessario detestetur; videlicet, juxta communem sententiam, dolor est consequentia detestationis, sicut delectatio consequitur amorem; primum quidem detestamur peccatum, quia ut *malum* illud apprehendimus; deinde, concipientes illud malum esse *præsens*, sive in se sive in suis consectariis, de eo dolemus. Hinc in Beatis odium peccati existit sine dolore; nam non apprehendunt peccatum ut malum *præsens*, cum jam immunes sint a peccato ejusque consectariis.

(c) *Cum proposito non peccandi;* nam vera pænitentia respicit non solum præteritas culpas ut abolendas, sed etiam futuras ut præcavendas; nemo enim vere peccata detestatur, quin eo ipso velit ea in futurum vitare : si nolit ea vitare, non veniam, sed indignationem meretur.

128. *Thesis :* **Vera contritio, qualis superius definita fuit, necessaria est ad veniam peccatorum consequendam, sive intra sive extra sacramentum.**

1° *Script.* Id constat ex omnibus textibus supra allatis, ubi de necessitate pænitentiæ, n. 9-10. Pænitentia enim, quæ ibi requiritur tanquam conditio necessaria ad justificationem, nihil aliud est nisi conversio ad Deum, aversio a viâ

[1] Sess. XIV, cap. 4.

iquitatis, immutatio cordis et vitæ, cor contritum et humi-
ıtum : "Convertimini, et agite pænitentiam ab omnibus
iquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam. Projicite
vobis omnes prævaricationes vestras [1]... Sacrificium Deo
iritus *contribulatus;* cor *contritum* et *humiliatum*, Deus,
n despicies" [2]. Hæc enim aliaque ejusmodi verba signi-
ant animi dolorem ac detestationem peccati, cum propo-
o emendationis. Atqui hæ dispositiones ita necessariæ
istimantur, ut sine eis peccatorum remissio non conce-
tur : "Si autem averterit se justus a justitiâ suâ, et fecerit
quitatem... in prævaricatione quâ prævaricatus est, et in
ccato suo quod peccavit, in ipsis morietur" [3].

Quæ quidem dispositio, etiam post instituta sacramenta,
cessaria manet; nam, quando Judæi aut Gentiles ad
ristianam fidem convertuntur, prima dispositio ab eis
ıuisita post fidem, est pænitentia seu contritio : "Pæni-
ıtiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum... Pæni-
nini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra...
nitentiam itaque age ab hâc nequitiâ tuâ; et roga
um, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui...
go et gentibus pænitentiam dedit Deus ad vitam" [4]. —
are gaudet Apostolus quod Corinthii contristati sunt ad
nitentiam : "Nunc gaudeo, non quia contristati estis,
quia contristati estis ad pænitentiam... Quæ enim
ındum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem sta-
m operatur" [5].

29. 2° *Traditione.* Non minus diserte Patres requi-
t sinceram contritionem cordis tanquam præviam dispo-
nem ad peccatorum remissionem, antequam absolutio
cedatur. Jam supra exposuimus testimonia *Hermæ*,
9-40, et *Tertulliani*, n. 43. Pauca alia afferamus.

ujus contritionis necessitatem urget *S. Justinus* [6] :
erit quidem Deum pænitentibus veniam ex misericordiâ
edere; sed simul docet eos decipi qui dicunt, etiamsi
atores sint, Deum tamen non imputaturum illis pecca-
modo eum cognoscant. Quod probat exemplo David,

zech., XVIII, 30-31. — [2] *Ps.*, L, 19. — [3] *Ezech.*, XVIII, 24.
d., II, 38; III, 19; VIII, 22; XI, 18. — [5] *II Cor.*, VII, 9-10.
ialogus cum Tryphone, n. 141; P. G., t. VI, p. 798-799.

qui nonnisi contritione justificatus est. "Quod si tali viro, inquit, remissio non ante concessa est quam pænitentiam ageret, sed tum demum cum sic flevit, sequeque ita gessit magnus ille rex et unctus et propheta; quomodo impuri ac prorsus complorati, *nisi lamententur et plangant*, spem habere possint non imputaturum eis Dominum peccatum?"

130. Ita etiam *Tertullianus*, exemplo prodigi ostendit Deum peccatori parcere, "sed si *pæniteat ex animo*, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offe sum"[1]. Pariter *S. Cyprianus* veniam pænitentibus promittit, "a tâ pænitentiâ et professâ frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac *vere pænitentis* omni *signa prodiderint*"[2]. Nec aliter *S. Ambrosius*: "Et si tu amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Usus enim *doloris* ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita, dum *dolemus* admissa, admittenda excludimus, et fit quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ"[3]. Hujus pænitentiæ necessitatem sic alibi docet: "Pænitudo enim lapsis necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina. Sed quanta putas, et qualis necessaria pænitentia? Quæ aut æquet crimina, aut certe excedat... Cum hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse est prævaricatricem animam tartareis pœnis, et gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post unum baptismum quam pænitentiæ solatium; quantamvis afflictionem, quantumvis laborem subire esto contenta dummodo ab æternalibus pœnis liberer is"[4].

Chrysostomus integrum de *Compunctione* edidit tractatum, ubi, inter alia, hæc habet: "Quid enim, dic mihi, corporis viribus opus est, quando cor conterere debemus, cum vigiles precari oportet, cum peccata recogitare, arrogantiam et tumorem deponere, mentem deprimere? Hæc quippe sunt quæ Deum nobis placant, nec multo egent labore." Postea necessitatem hujus pænitentiæ declarat; hæc enim possibilis, imo et facilis evadit, si cogitemus, inquit, peccatores impænitentes ad gehennam damnari; si gehennam semper præ oculis habeamus, necnon angelos ubique locorum tunc discurrentes, atque ex universo orbe congregantes eos qui in gehennam abducendi sunt; si cogitemus etiam quantum malum, gehennâ sepositâ, excludi a regno cœlorum"[5].

---

[1] *Tertullianus*, De Pænit., c. 8, P. L., t. I, p. 1243.
[2] Ep. XXXI, P. L., t. IV, p. 315.
[3] De Pænitent., l. II, c. 10; P. L., t. XVI, p. 519.
[4] De lapsu virginis, n. 33-34, P. L., t. XVI, p. 376-377.
[5] *S. Chrysost.*, De Compunctione, lib. I, n. 10; P. G., t. XLVII, p. 410.

igitur docent Patres, nempe contritionem sitam esse in *pec-tractatione* vitæque emendatione; et hanc esse ad salutem *riam.*

§ II. Efficacia contritionis perfectæ ad remittenda peccata.

1. Prævia de contritione perfectâ et imperfectâ. *Historica expositio.* Per undecim priora sæcula, distinctio tuta non fuit, saltem explicite, inter contritionem per-am et imperfectam. Patres de compunctione cordis, pænitentiâ, de contritione, de detestatione peccati ex corde, etc., sermonem habebant, eamque ad remis-nem peccatorum necessariam esse prædicabant absque eriori inquisitione.

æculo duodecimo, jam distinctio fieri cœpit; *Petrus Lombardus S. Bonaventura* asseruerunt contritionem perfectam requiri ad nissionem peccatorum, etiam in sacramento Pænitentiæ, quia, quiebant, in Scripturâ justificatio soli caritati tribuitur[1]. Sed *ulielmus Parisiensis* propius veritatem accedit: asserit quidem *tritionem*, seu contritionem informem, id est non informatam ritate, per se non sufficere ad justificationem, sed esse præviam ispositionem quæ facile convertitur in contritionem caritate infor-natam, et ita peccatorum remissionem inducere; aliunde, quando ecipitur absolutio, dirumpuntur vincula peccatorum, dummodo dsit peccati odium atque firmum illud vitandi propositum[2].

S. Thomas distinctius exponit discrimen inter contritionem cari-ate perfectam et attritionem, atque hanc sufficere ad remissionem peccatorum asserit, accedente tamen sacerdotis absolutione: "Quando aliquis accedit ad confessionem *attritus, non plene contritus*, si obicem non ponat, in ipsâ confessione et absolutione, sibi gratia et remissio peccatorum datur"[3]. Cujus ratio est quia, vi absolutionis quæ gratiam habitualem infundit, peccator fit ex attrito contritus, ut infra exponetur. Longius processit *Scotus*, docens parvam etiam attritionem, eam scilicet quæ ex metu inferni conci-pitur, sufficere ad remissionem peccati, accedente absolutione, dummodo pænitens actu peccato non adhæreat: "Parum attritus, etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem

[1] *Lombardus*, IV Sent., dist. 18, n. 4; P. L., t. CXCII, 886; *S. Bonavent.*, in IV Sent., dist. 18, a. 2, q. 1.

[2] *Gulielm.*, De sacram. pænitentiæ, c. 5-8, inter *Opera*, Parisiis, 1676, t. I, p. 462-470.

[3] *S. Thom.*, in IV Sent., dist. 22, q. 2, a. 1; cfr. Supplementum, q. 10, a. 1; q. 18, a. 1.

peccati, volens tamen recipere sacramentum pœnitentiæ, sicut dispensatur in Ecclesiâ, et sine obice in voluntate peccati mortalis... recipit effectum sacramenti, scilicet gratiam pœnitentialem, non quidem ex merito... sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo"[1]. Paulatim vero distinctio contritionis et attritionis lucidius enucleata fuit : quæ hodie de utrâque communius traduntur, exponemus.

132. 2° *Doctrina hodie communiter recepta.* Duplex distinguitur contritio, *perfecta* et *imperfecta* : *prior*, quæ ex motivo *caritatis* perficitur, et ad justificationem sufficit etiam absque reali susceptione sacramenti ; *posterior*, quæ concipitur ex motivo a caritate diverso, v. g. ex *turpitudine* peccati vel pœnarum *metu*, nec ad justificationem sufficit nisi simul sacramentum Pænitentiæ suscipiatur. — Pauca igitur de caritate, seu de amore Dei in memoriam revocanda sunt : nam caritati perfectæ respondet contritio perfecta, et caritati imperfectæ vel timori responde contritio imperfecta.

(**A**) Duplex Dei amor distingui potest : (**a**) amor *imperfectus*, seu *mercenarius*, quem theologi amorem *spei* seu *concupiscentiæ* vocant, quo videlicet Deus amatur super omnia concupiscibilia non propter se, sed *propter bona* quæ largitur, non quia bonus est in se, sed quia bonus est nobis, imo summum bonum, cujus fruitione beati aliquando erimus ; (**b**) amor *perfectus*, seu *gratuitus*, quo Deus diligitur *propter se* et super omnia ; qui pariter duplex est, amor *benevolentiæ*, quo Deum diligimus ut infinite perfectum, ejus perfectionibus congaudemus, eique bonum optamus, desiderando videlicet eum ab omnibus cognosci et amari ; et amor *amicitiæ*, qui, præter benevolentiam, importat mutuum amorem, seu redamationem, inquantum scilicet qui diligit, diligitur a Deo. Notandum est tamen motivum amoris amicitiæ esse infinitam Dei bonitatem *in se*, non autem ejus bonitatem erga nos ; seu aliis verbis, amore amicitiæ diligimus Deum propter se, scientes tamen Deum diligere diligentes se ; hinc mutua redamatio non est motivum amicitiæ, sed solum una ex ejus conditionibus.

(**B**) Jamvero, quoniam ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum et fugere aliud, ita ad caritatem

[1] *Scotus*, IV Sent., dist. 14, q. 4, n. 7.

rtinet diligere Deum et detestari peccatum, quatenus
:o oppositum : tot sunt igitur contritionis species quot
nt amoris species. Quibus positis, certum est contritio-
m quæ ex *amore perfecto* concipitur, sive *benevolentiæ*[1],
mmodo sit supernaturalis ac super omnia, sive *amicitiæ*,
e perfectam, statimque peccata remittere; ita, v. g., qui
peccato dolet, quatenus est offensa Dei Summi Boni et
ɔer omnia dilecti, contritionem perfectam habet[2]. Con-
vertitur autem utrum contritio ex amore *spei* et *gratitu-
is* concepta, aut ex virtutibus pænitentiæ, obedientiæ
religionis, ad contritionem sufficiat, ut infra exponetur.
Ceteroquin ad justificationem non requiritur actus con-
ionis *intensus*, seu vehemens, quidquid in contrarium
erint quidam antiqui theologi; dummodo enim contritio
appretiative summa, id est peccatum detestetur ut sum-
m malum, ad remissionem peccatorum sufficit, licet non
valde *intensa* : " quantumcumque parvus sit dolor, ait
Thomas[3], dummodo ad contritionis rationem sufficiat,
ıem culpam delet ".

33. *Thesis* : **Contritio perfecta peccata gravia remittit,
que sacramenti Pænitentiæ reali susceptione, non
en sine ejus voto.** *Certum est.*

A) Hoc enim diserte proponit *Tridentinum*[4] : " Docet
terea, etsi contritionem hanc aliquando caritate *perfec-*
esse contingat, *hominemque Deo reconciliare;* ... ipsam
lominus reconciliationem ipsi contritioni, *sine sacra-
ti voto* quod in illâ includitur, non esse ascribendam ".

---

auci theologi dixerunt amorem *benevolentiæ* non sufficere ad
itionem perfectam, sed decipiuntur putantes hujusmodi amorem
ɔn esse supernaturalem, vel, si supernaturalis sit, non esse super
a.

isputant autem theologi utrum necesse sit illam contritionem pro-
e ex motivo infinitæ bonitatis, quatenus est aggregatio omnium
ctionum, an sufficiat ut eliciatur ex motivo cujuscumque attributi
offensi, puta misericordiæ, sapientiæ. Judicio nostro, quæstio
agis speculativa quam practica; nam ex se omnia divina attributa
jus infinitâ bonitate connectuntur, et aliunde qui peccata detesta-
ɔote unum ex divinis attributis lædens, alia attributa non exclu-
oindeque contritionem vere perfectam habet.

ppl., q. 5, a. 3. — [4] Sess. XIV, cap. 4.

(B) *Scriptura* multipliciter docet eos qui ad Deum toto corde convertuntur, eumque vere diligunt, statim justificari, seu peccatorum remissionem consequi : (a) " Ego diligentes me diligo "[1]; " Impietas impii non nocebit ei, in quâcumque die conversus fuerit ab impietate suâ "[2]. Unde sic : in V. Testamento adulti peccatores delictorum remissionem obtinere poterant sine sacramento pænitentiæ quod nondum existebat : secus salvari non potuissent. Atqui si id obtinere poterant, certe per actum nobilissimum, qualis est pænitentia caritate perfecta ; textus enim allati demonstrant Deum diligere, proindeque gratiâ sanctificante ornare, eos qui ipsum diligunt, et impietatem remittere eorum qui ad se convertuntur ; ergo. (b) Nec res aliter se habet in N. Lege, post institutum Pænitentiæ sacramentum ; Christus enim, sine ullâ restrictione, discipulis dixit : " Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus "[3]; ex quo clare colligitur eum qui diligit Christum statim frui divinâ inhabitatione, quæ sine gratiâ habituali non habetur. Idem probant verba *Joannis* : " Deus caritas est ; et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo "[4]. Confirmatur verbis Christi ad mulierem peccatricem[5] : " Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ". Frustra objiciunt adversarii non ante fuisse remissa peccata quam Christus diceret : *remittuntur ei peccata*, proindeque caritatem non justificare per se, sed solum accedentibus verbis Domini. Nam verba hujusmodi solummodo declarabant peccata mulieris fuisse jam remissa, ut clare colligitur ex verbo græco ἀφέωνται quod est præteriti temporis et significat *remissa sunt ;* remanet igitur ut ejus delicta condonata fuerint ex eo quod multum dilexerit[6].

[1] *Prov.* VIII, 17. — [2] *Ezech.* XXXIII, 12.
[3] *Joa.* XIV, 23; cf. *Joa.* XIV, 21. — [4] *I Joa.*, IV, 16.
[5] *Luc.*, VII, 47.
[6] Thesis ex Patribus confirmari posset, ex textibus nempe ubi affirmant efficaciam pænitentiæ ad remissionem peccatorum consequendam. Cfr. *Tertullianus*, De pænit., c. 4, P. L., t. I, p. 1233; *S. Cyprianus*, De Lapsis, c. 36, P. L., t. IV, p. 493; *S. Pacianus*, ep. 3 ad Sympronian., n. 8, P. L., t. XIII, 1068; *S. Chrysostomus*, In II Timoth., homil. 7, n. 3, P. G., t. LXII, p. 640, etc.

(C) *Ratio* ipsa hujus rei convenientiam ostendit. Quamvis enim contritio perfecta ex se non possit offensam Deo per peccatum mortale irrogatam adæquate compensare, nec remissionem peccati mortalis mereri, decet ut Deus contritis corde indulgentiam concedat; nam talis dispositio st perfectissima quæ a peccatoribus haberi possit, et cum morem Dei purum importet, ad divinam amicitiam optime os disponit; hinc, in *A. Lege*, ex misericordiâ Dei, ad justicationem sufficiebat; atqui institutio sacramenti Pænintiæ vim et efficaciam caritatis non minuit, nec arctiorem am salutis fecit, sed potius faciliorem reddidit; ergo tionabiliter asseritur contritionem perfectam statim justiare.

34. Diximus tamen *non sine sacramenti voto*, quia, cum, dictis, sacramentalis confessio sit in N. Lege necessaria, cator non potest vere esse contritus, quin velit delicta sua ium potestati subjicere. Non requiritur tamen ut hujusli votum sit *explicitum;* sufficit *implicitum*, quale inver in generali voluntate omnia adimplendi quæ ad salunecessaria sunt. Ex hoc pariter sequitur hominem sic ficatum teneri peccata sua mortalia, per contritionem remissa, sacerdoti accusare tempore opportuno; secus votum sacramentum suscipiendi non esset sincerum. lutio autem sacerdotis in hoc casu non inutilis dicenda gratiam videlicet operabitur *ex opere operato*, quæ non et quidem peccata, nec faciet pænitentem ex injusto , sed ex justo magis justum. Præterea, accusando nodi peccata, pænitens se humiliat coram Deo et iâ, de peccatorum remissione securior fit, pro peccatis tisfactionem præbet, consilia accipit, et pænitentiam ndo sacramentalem, a pœnâ forsan adhuc debitâ ter saltem liberatur. Nec desunt exempla Scripturæ, similis recursus commendatur : Christus enim quos sanaverat, ad sacerdotes misit[1], et Paulum jam conperfectâ justificatum ad Ananiam ire mandavit[2].

uæstio disputata. Dubitatur vero num alia motiva, præter perfectam, sufficiant ad contritionem perfectam, et ad em peccatorum extra sacramentum. Satis communiter

VII, 14. — [2] *Act.*, IX, 7.

negant theologi. Attamen *Scotistæ* dicunt motivum contritionis perfectæ esse omne motivum quod spectat ad Deum, v. g. quod desumitur ex virtutibus pænitentiæ, religionis aut obedientiæ: his enim virtutibus, peccatum detestamur tanquam offensam Dei, ejus juribus et voluntati oppositum. Hoc autem sufficit ad contritionem perfectam. — *Suarez* et *Card. de Lugo* hanc sententiam ut *probabilem* habent, etsi eam non amplectantur[1]. Huic opinioni favent etiam nonnulli hodierni auctores, *Hurter*, *Palmieri*, *Egger*, juxta quos amor *spei* et *gratitudinis* ad perfectam contritionem sufficere potest[2]. Revera hic amor ut nobilissimus a sacrâ Scripturâ commendatur; imo vix reperitur tum in sacris Litteris tum apud Patres expressio caritatis erga Deum, quæ hoc motivo non informetur; sic Psalmista dicebat: "Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus[3]; ubi exhibetur Dei dilectio ut est *bonus nobis;* item *S. Paulus*[4]: "Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo"; quæ verba ad amorem *spei* referuntur. Aliunde ille amor est valde perfectus, et in gloriam Dei maxime cedit: si enim eum diligamus ut beatitudinem nostram, eo ipso testamur ipsum solum tam perfectum esse ut nos beatificare valeat.

Unde censemus hanc opinionem esse misericordiæ divinæ valde consentaneam; eâque admissâ, multo melius intelligitur quomodo Judæi, qui durâ cervice erant, justificari potuerint absque sacramento, pariter quomodo Acatholici, qui in bonâ fide versantur, veniam peccatorum suorum obtinere valeant: multo enim facilius elicitur amoris actus ex gratitudine et spe, quam ex divinâ bonitate in se spectatâ. Hæc tamen opinio non est communis[5], et in praxi conandum est ex amore spei et gratitudinis ad amorem caritatis ascendere. Quod aliunde non tam difficile est; nam contritio caritate perfecta consistere potest cum dolore de peccatis ob alia motiva minus perfecta concepto, videlicet spem, gratitudinem, metum pœnarum; imo communiter anima quasi pedetentim ex inferioribus ad superiora assurgit motiva. Quod inferri potest ex *Tridentino* (sess. XIV, c. 4), ubi de timore pœnarum dicitur: "Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrârunt".

§ III. De sufficientia attritionis cum sacramento[1].

1° Exponemus *notionem*, *honestatem* et *sufficientiam* attritionis ad remittenda peccata cum validâ sacerdotis abso-

[1] *Suarez*, disp. IV, sect. 2, n. 13; *Lugo*, disp. V, sect. I, n. 3.
[2] *Hurter*, n. 570; *Palmieri*, th. 22; *Génicot*, n. 269.
[3] *Ps.* XLI, 2. — [4] *Philipp.* I, 23.
[5] Cfr. *Lugo*, disp. V, sect. I, n. 3, et *Billot*, th. 13.

lutione; 2° expendemus num ad veram attritionem requiratur aliquis amor Dei et qualis.

I. Notio, honestas et sufficientia attritionis.

136. 1° **Attritionis notio.** Contritio imperfecta *attritio* dicitur; nam, ut ait *S. Thomas*[1], in corporalibus attrita dicuntur quæ aliquomodo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte comminuta, contrita autem quæ per divisionem ad minima reducuntur; ideoque attritio, in spiritualibus, significat quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem, perfectam. — Definiri potest *dolor et detestatio peccati procedens ex motivo supernaturali, a caritate distincto.*

Juxta *Tridentinum*[2], attritio supernaturalis ex duplici præsertim motivo concipi potest, "vel ex *turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu*"; gehennæ autem metus involvit etiam metum amittendi æternam beatitudinem, ut alibi[3] docet idem Concilium. Prius motivum nobilius est, quum consideret peccatum utpote oppositum rectitudini ordinis moralis; illa autem consideratio supernaturalis esse debet, innixa videlicet motivis *fidei*, v. g. ex eo quod peccatum mortale sit injustitia contra Deum, inobedientia, ingratitudo, aliquid viro christiano indignum, fœdans animam etc. — Posterius tamen motivum, scilicet metus gehennæ vel pœnarum supernaturalium, minus nobile, est tamen bonum et utile. Ad quod intelligendum, duplex Dei timor distingui potest : timor filialis, seu *castus*, quo quis ex amore et reverentiâ Deum vere timet; *servilis*, quo timetur Deus propter pœnas terminatur. Qui pariter subdividitur : alius est *simpliciter servilis*, vi cujus quis non solum ab opere malo abstinet sed etiam affectum ad peccatum deponit; alius est *serviliter servilis*, quando quis opus malum vitat, retinens tamen peccandi affectum. Jamvero timor *filialis* certo bonus et honestus, dum e contra timor *serviliter servilis* est malus, quia affectum peccandi retineat.

Dominus *Lutherus* contendebat timorem *simpliciter*

---

[1] *Sum.*, Supplementum, q. 1, a. 1.
[2] *Conc.*, sess. XIV, cap. 4. — [3] Ibid., can. 5.

servilem non esse vere utilem et honestum, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem. Quem errorem secuti sunt *Jansenistæ* et Synodus *Pistoriensis*[1].

Insuper nonnulli auctores catholici tenuerunt solam attritionem non sufficere ad remissionem peccatorum consequendam, etiam cum susceptione sacramenti, sed requiri perfectam contritionem, ut supra notavimus, n. 131. Duplex igitur erit thesis.

137. 2° *Thesis 1ª*: **Attritio concepta ex fœditate peccati, amissione æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursu, est verus et utilis dolor ad gratiam præparans.** *De fide est ex Trident.* contra Lutheranos: "Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, pondera indo peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem... A. S."[2]

(A) *Script.* Ille timor bonus et utilis est qui in sacris litteris commendatur et præcipitur; atqui ita est de timore simpliciter servili: "Sanctum et terribile nomen ejus: initium sapientiæ timor Domini"[3]; "Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari"[4]; "Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam"[5]. Quibus verbis frequenter utuntur Patres ad ostendendum timorem gehennæ esse vere salutarem.

138. (B) *Traditione.* Sæpe Patres timorem judicii et gehennæ proponunt tanquam motivum detestandi et fugiendi peccatum. Ita *Chrysostomus*, qui etiam notat timorem esse bonum ex ipsis Christi sermonibus: "Nisi bonum esset timor, non multos impendisset Christus sermones et

[1] Propositionem Lutheri, a *Leone X* damnatam, habes ap. *Denzinger*, n. 630; ibid., n. 1388, proposit. Synodi *Pistoriensis*.
[2] Sess. XIV, can. 5. — [3] *Ps.* CX, 10. — [4] *Eccli.*, I, 27.
[5] *Matt.* X, 28; cf. *Luc.* XII, 4.

longos, de pœnâ et supplicio illic futuris loquens. Timor nihil aliud est quam murus et munimentum et turris inexpugnabilis "[1]. Nec minus eloquenter *Augustinus :* " Ergo pœnam times, castitatem nondum amas, caritatem nondum habes : serviliter times; formido est mali, nondum dilectio boni. Sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te; et sic volentem peccare animum interiorem non sinit "[2]. Et alibi addit : Timor quasi locum præparat caritati... Si autem nullus est timor, non est quâ intret caritas "[3].

139. (C) *Rat. theol.* Attritio ex metu gehennæ tria importat : voluntatem *fugiendi pœnam*, quæ per modum *finis* se habet; *peccati detestationem*, quæ est *medium* ad finem; *ordinationem* hujus medii ad finem obtinendum; *cui* hæc tria bona sunt et utilia : (a) honestum est inferni pœnas fugere, quum sint aliquid malum et odio dignum; peccati detestationem bonam esse pariter nemo est qui negat; (c) ordinare autem fugam peccati ad vitationem pœnæ, tanquam ad finem, non est malum, quum Deus ipse pœnarum comminatione utatur ad nos a peccato deterrendos. Aliunde peccator, qui peccatum fugit propter pœnam timidam, non excludit altius motivum; si enim excludebatur, esset metus serviliter servilis. Quin imo hæc in se perfecta dispositio sponte suâ ad perfectionem tendit, quæ virtualiter continet. Nam qui ex gehennæ metu peccatum odit peccatum, hoc detestatur tanquam gehennæ malum, et proinde est dispositus ad faciendum quidquid *decet ut*, vitando peccatum, et infernum vitet. Porro ad agendum requiritur ut sibi proponat firmiter servare præcepta quorum primum et præcipuum est præceptum dilectionis Dei super omnia; ergo timore gehennæ fiat ut ad Deum ipsum amandum.

Dilicatur in hoc casu pœnitentem magis pœnam quam culpam odio; nam qui fugit peccatum quia causat infernum, detestatur illum magis quam gehennam, non in hoc sensu quod disponi

1. XV ad pop. Antioch., n. 2, P. G., t. XLIX, p. 156.
2. *August.*, sermo CLXI, c. 8, P. L., t. XXXVIII, p. 882.
3. *August.* I Joan., tract. 9, c. 4, P. L., t. XXXV, p. 2047.

debeat ad potius incurrendum damnationem quam ad peccandum, cum fieri nequeat ut absque peccato damnetur; sed in hoc diverso sensu quod in praxi magis attentus esse debeat ad vitandum peccatum, cum vitando peccatum vitet gehennam, et nullo modo gehenna timenda sit, si peccatum vitetur. — Res exemplo declaratur : filius prodigus, qui patrem dereliquerat, et substantiam suam dissipaverat vivendo luxuriose, fame, seu timore dolorum et mortis ad pænitentiam ductus est, patremque denuo adivit : jamvero si timore *serviliter servili* egisset, affectum ad luxuriosam vitam servans, ejus quidem agendi ratio laude non fuisset digna; sed, quia timore perculsus vere etiam peccatum, tanquam miseriæ suæ causam, odio habuit, veniam obtinuit et in priora jura redintegratus est; ita peccator, qui ex metu gehennæ vere peccatum, ut gehennæ causam detestatur, et, ut eam fugiat, sincere vult Deo servire, laudabiliter agit, et, accedente absolutione, peccatorum veniam consequitur.

140. *Thesis 2ª :* **Ad remissionem peccatorum consequendam vi sacramenti Pænitentiæ non requiritur contritio perfecta, sed sufficit attritio.** Certum est contra quosdam antiquiores theologos (supra, n. 13).

(A) Constat ex *Tridentino*, supra n. 126 : ibi enim declaratur duplicem esse contritionem : *perfectam*, quæ peccatorem Deo reconciliat priusquam sacramentum actu suscipiatur; *imperfectam* seu attritionem, quæ "eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit." Non diffitemur quosdam auctores rigidos verbum *disponit* omit intellexisse de dispositione *remotâ*, non autem de dispositione proximâ ad justificationem. Id vero prohibet parallelismus inter contritionem (quæ certe est dispositio proxima) et attritionem. Aliunde, si Concilium verbo *disponit*, non autem *sufficit*, usum est, id factum est ne damnaretur opinio jam antiquata Petri Lombardi; sed mens Concilii satis evidenter constat ex disputationibus inter Patres Tridentinos habitis[1].

Confirmatur aliis decretis ejusdem Concilii; docet enim *Tridentinum* per sacramentum pænitentiæ peccata *vere remitti*[2]; aliunde damnata est hæc Baii propositio : "Peccator pænitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo[3]". Atqui si contritio perfecta ad absolutionem prærequireretur, peccatores nunquam vivifica-

[1] Cfr. *Theiner*, Acta genuina, t. I, p. 531-600.
[2] Sess. XIV, can. 3. — [3] Ap. *Denzing.*, n. 938.

rentur sacerdotis ministerio, cum jam contritione justificati fuissent. Tandem nemo dicere potest salutis viam arctiorem et difficiliorem esse sub Novâ quam sub A. Lege; atqui, si simul cum confessione contritio perfecta ad remissionem peccatorum necessaria diceretur, pejor esset Christianorum quam Judæorum conditio, cum hi solâ contritione, sine confessione, justificarentur.

141. (B) Idem infertur ex universali Ecclesiæ praxi edulo moribundos absolvendi. Jam dictum est, n. 57, vere reprehensam fuisse praxim absolutionem denegandi eccatoribus, in periculo mortis constitutis, etiam quando avissime deliquerant; et, juxta receptam hodie disciplinam, lli moribundo denegatur absolutio, dummodo hic probaiter sit attritus. Jamvero hæc praxis antiqua simul et iversalis, explicari nequit nisi admittatur cum absolutione erdotis sufficere attritionem. Si enim requiratur contritio fecta, cur tam necessaria prædicatur absolutio sacerdotis? mes enim concedunt solâ contritione perfectâ, cum voto amenti, absque reali ejus susceptione, justificari peccas. Si igitur moribundi contritionem habent, non indit absolutione; si solummodo sunt attriti, inutilis est lutio. Admissâ vero thesi nostrâ, res facile explicatur: enim attritio, quæ non justificat sine sacramento, peccata ttit accedente sacerdotis absolutione: hæc igitur omnienecessaria est qui solummodo sunt attriti.

. Controversia de necessitate alicujus amoris simul cum attritione.

. Omnes quidem concedunt attritionem, necessariam ccatorum remissionem in sacramento pænitentiæ condam, conjungi debere cum *fide*, secus non esset superlis; et cum *spe* veniæ, secus nullum esset propositum is vitæ. Sed quæstio est utrum attritio ex solo metu æ concepta, sufficiat, *absque amore Dei*, ad justifica- consequendam in sacramento Pænitentiæ. Ratio di est quia *Tridentinum*, describens conditiones ad itionem modo generali requisitas, aliquem amorem 1: "Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum,

VI, cap. 6.

excitati divinâ gratiâ, ... libere moventur in Deum ... in spem eriguntur, ... Deumque tamquam omnis *justitiæ fontem diligere incipiunt"* ... Omissis aliis opinionibus[1], duo hodie adhuc exstant hâc de re systemata. (A) Alii, post *Pallavicini* et *Bossuet*[2], tenent simul cum attritione requiri initialem amorem Dei propter se dilecti, non quidem amorem prædominantem, quo Deus propter se *super omnia* diligitur, sed incipientem, qualis habetur ab eo qui nititur contritionem ex caritatis motivo elicere, et revera Deum diligere incipit, non ita tamen ut propterea omne peccatum grave velit fugere; accedente autem metu vel spe, voluntas sincere gravia delicta detestatur, eaque vult fugere, ita ut hujusmodi detestatio partim ex amore, partim ex metu oriatur.

143. (B) Alii vero tenent non requiri alium amorem nisi amorem *spei* seu *concupiscentiæ;* sed, juxta quosdam, hic amor debet *explicite* elici[3]; secundum alios, sufficit ut *implicite* eliciatur[4] : jamvero semper implicite continetur in sincerâ attritione quæ voluntatem peccandi excludit.

Non potest enim quis vere detestari peccatum, cum spe veniæ et desiderio gratiæ, quin eo ipso inciptat aliquomodo amare Deum ut sibi bonum. Sic autem arguunt : si species quædam amoris nobilioris requiri probaretur, constaret vel *ratione*, vel *auctoritate*. Atqui (a) *non ratione*; nam amor se habet relative ad justificationem ut medium ad finem; ideo-

[1] Prætermittimus opinionem quam propugnant *Juenin* (De Pænit., q. III, c. 4, a. 2) et *Habert* (Theol. dogm. et mor., De pænit., c. 8, a. 4), juxta quos contritio ex caritate *intensâ* justificat sine sacramento, et contritio ex caritate *remissâ* cum sacramento justificat; necnon opinionem *Billuart* (diss. IV, a. 7), qui contendit amorem *amicitiæ* justificare sine sacramento, et amorem *benevolentiæ* requiri ad justificationem cum sacramento. Hæ enim opiniones jam sunt antiquatæ, et merito : ex iis enim sequeretur contritionem perfectam etiam cum absolutione sacerdotis necessariam esse; caritas enim remissa et amor benevolentiæ ad contritionem perfectam spectant, ex supra dictis, n. 132.

[2] Cf. *Pallavicini*, de Pænitent. c. 12; *Bossuet*, De doctrinâ C. Trid. circa dilectionem in sacr. Pænitentiæ requisitam.

[3] Ita *Tournely*, De sacram pænit., q. V, a. 3; *Wirceburgenses*, De sacram. pænit., disp. II, c. 3, art. 3-4.

[4] *Suarez*, disp. XX, sect. 2; *Lugo*, disp. V, n. 133; *S. Alphons.*, l. VI, n. 442; *Palmieri*, th. 32, Coroll.; *Tepe*, n. 557; *Kenrick*, tr. XVII, n. 23.

que modo sit medium aptum ad finem obtinendum, sufficit. Porro quilibet amor in attritione appretiative summâ inclusus, est medium aptum ad finem obtinendum, scilicet sacramentum cum fructu recipiendum; ope enim hujusmodi moris, attritio voluntatem peccandi excludit, includitque ɔem veniæ, et fit dispositio proxima ad justificationem in ıcramento recipiendam. Ergo non probatur ratione amom nobiliorem requiri præter amorem in attritione appreıtive summâ inclusum. (b) Nec *auctoritate;* textus enim *ridentinus* supra citatus "Deum tanquam omnis *justitiæ ıtem* diligere incipiunt", de amore *spei* intelligi potest, m Deus amatus ut justificationis nostræ auctor, est Deus ıut est *bonus nobis.* Aliunde omnes actus hic descripti a *ridentino* non sunt absolute necessarii ad justificationem ı sacramento : quidam necessarii sunt sive intra sive ra sacramentum, alii solum extra sacramentum ut jam ıverat *Suarez,* ibi enim Concilium disserit de disposiibus ad justificationem *in genere;* at ubi agit in specie sacramento Pænitentiæ, declarat attritionem ex metu nnæ, quæ sine sacramento non sufficit, peccatorem ad am in sacramento obtinendam disponere. — Hanc igitur onem ut multo probabiliorem amplectimur.

.. Exortis autem acerbis dissensionibus inter *contritio-* et *attritionistas, Alexander VII,* enixe cupiens vincuɔacis inter fideles servare, die 5 maii 1667, sub pœnâ ımunicationis[1] præcepit ut: "Si deinceps de materiâ ɔnis præfatæ scribant ... non audeant alicujus theoloensuræ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota taxare ram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis ɔnis Dei in præfatâ attritione ex metu gehennæ conquæ hodie inter scholasticos *communior* videtur, sive tem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hâc. fuerit aliquid hâc in re definitum". Jamvero nihil definitum est, et unusquisque in suam sententiam ɔtest. Attamen sententia quæ nil requirit præter ttritionem, communis evasit, et *moraliter* certa.

---

amen excommunicatio non fuit renovata in Bullâ *Apostolicæ* ɔque amplius non viget.

In praxi vero nulla adest difficultas; statim ac constat pænitentem vere esse attritum, et peccata super omnia detestari, hic absolvi potest : Nam, teste Scripturâ, "timor Dei initium dilectionis ejus"[1]; et qui veniam a Deo sperat, jam eum diligit tanquam justitiæ fontem. Expedit tamen ut ipsi proponantur motiva contritionis perfectæ, tum quia perfectiora sunt, tum majoris securitatis gratiâ.

145. Corollarium. *Pænitens, recipiendo sacramentum, fit ex attrito contritus*, non quidem eo sensu quod attritio fieri possit contritio, cum hi sint duo actus specie distincti, sed (a) quia attritio simul cum sacramento æquivalet contritioni quoad effectum productum, nempe peccati remissionem; (b) et insuper quia attritus absolutionem recipiendo, simul gratiam habitualem et virtutem caritatis accipit, quâ fit contritus in *habitu*, potens actum contritionis perfectæ elicere.

Art. III. De Satisfactione[2].

146. Satisfactio (*satis, facere*), si etymo in spectetur, est actus quo quis tantum facit quantum satis sit ad iratum placandum. Satisfactio autem, quatenus est pars sacramenti, definitur : *voluntaria toleratio pœnæ a confessario impositæ, ad compensandam injuriam Deo illatam, redimendamque pœnam temporalem, etiam post remissum peccatum ordinarie debitam.*

147. Doctrina Tridentina de satisfactionis necessitate et utilitate. Præter confessionem et contritionem, requiritur etiam *satisfactio*, id est voluntaria pœnæ toleratio ad compensandam injuriam Deo illatam.

"Demum quoad satisfactionem, quæ ex omnibus Pænitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una maxime nostrâ ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et

[1] *Eccli.*, XXV, 16.

[2] *S. Thom.*, Suppl., q. 12 sq.; *Suarez*, disp. XXXVII-VIII; *Bellarminus*, l. IV, c. 1 sq.; *Morinus*, l. III sq.; *Salmantic.*, disp. X-XI; *Drouin*, q. XI; *Billuart*, disp. IX; *de Augustinis*, th. 21; *Palmieri*, th. 36-40; *Hurter*, n. 612 sq.; *Egger*, n. 584 sq.

illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in ecclesiâ Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a omino pœnam, quam ut hæc pænitentiæ opera homines cum o animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfiendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris sfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, issimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et glorificabimur"[1].

uo sunt igitur præcipua motiva cur satisfactio necessaria ut reparetur offensa Deo irrogata, et ut cautiores antioresque in futurum pænitentes efficiantur.

8. **Errores Protestantium et Jansenistarum.** Protestantes, etsi pænitentialis disciplinæ severitatem mis Ecclesiæ sæculis negare non valeant, eam tamen clesiasticam institutionem habent, ejusque divinam tionem ac necessitatem negant : nam, inquiunt, pec- a Deo condonari nequit quin simul pœnæ peccato plena sit remissio; præterea, si satisfactiones nostræ ır necessariæ, eo ipso injuria irrogatur infinitæ satis- Christi, quippe quæ insufficiens apparet. Radix roris est theoria de justificatione per solam fidem : sola fides plene ad justificationem sufficit, inutilia opera satisfactoria.

x adverso autem Jansenistæ, rigorismo faventes, alem disciplinam priorum ætatum instaurare vole- contendebant pænitentes non esse absolvendos,

, sess. XIV, cap. 8.

nisi prius peractâ laboriosâ diuturnâque pænitentiâ ipsis injunctâ.

Contra hunc duplicem errorem duplex erit thesis.

149. *Thesis 1ª :* **Pœna peccato debita non semper tota simul remittitur a Deo, sed, sublatâ per absolutionem sacerdotis culpâ pœnâque æternâ, plerumque luenda manet pœna temporalis.** *De fide est.* *Trident.*[1] "Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpâ remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, quâ apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, A. S."

150. 1° *Script.* Thesis tum *factis*, tum *dictis* luculenter demonstratur. (a) Adamum pænituisse et in statum gratiæ restitutum fuisse *Sapientia* nos edocet[2]; at qui tamen pœnas temporales luendas habuit : "Quia audisti vocem uxoris tuæ ... in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ ... in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram"[3]. Moyses et Aaron veniam peccati incredulitatis a Deo obtinuerunt, nec tamen, in pœnam peccati, terram promissam ingressi sunt : "Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : quia non credidistis mihi ... non introducetis hos populos in terram quam dabo eis"[4]. David adulterii et homicidii veniam impetravit, quando dixit : Peccavi Domino; sed nihilominus pœnam temporalem gravissimam subire debuit : "Dominus quoque transtulit peccatum tuum; non morieris; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur"[5]. Quæ quidem pœnæ non solum in emendationem, ut Protestantes volunt, sed etiam in *castigationem* peccati inflictæ sunt, ut ex contextu patet, et ex eo quod non solum adulti sed etiam infantes in pœnam peccati moriuntur. (b) Nec minus clare Deus *verbis* voluntatem suam manifestavit : "Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, *in jejunio, et in fletu et in planctu*"[6]; "Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum"[7]; "Facite ergo fructus dignos pænitentiæ"[8]. Huc etiam pertinent textus alibi citati (*de*

[1] *Trident.*, sess. XIV, can. 12. — [2] *Sap.*, X, 1-2. — [3] *Gen.*, III, 17-19.
[4] *Num.*, XX, 12. — [5] *II Reg.*, XII, 13-14. — [6] *Joel*, II, 12.
[8] *Dan.*, IV, 24. — [7] *Luc.*, III. 8.

Incarn., n. 206) quibus demonstratur nos salvari non nisi crucem nostram tollamus, cum Christo patiamur, carne nostrâ adimpleamus ea quæ desunt passionum ; ex his enim et similibus testimoniis colligitur Do- non ita pro nobis satisfecisse, ut ab obligatione sa- ndi liberemur, sed ut cum eo magis efficaciter pec- xpiare valeamus.

2° *Tradit.* Patres ore u nanimi talis pænitentiæ itatem docuisse Protestantes ipsi fateri coacti sunt; *emnitius*[1] ait : "Nec vero nescius sum veteres ali- lo nimis largiter et verbis nimium magnificis discipli- canonicam commendare, ut quod *Tertullianus* dicit actionibus illis peccata expiari, *Cyprianus* illis dicit ta redimi, ablui, sanari et judicem placari; *Ambrosius*, s gehennæ illis compensari; *Augustinus*, Deum illis ccatis præteritis propitiari".

iod sane constat ex disciplinâ pænitentiali quæ primis lis vigebat. (**A**) Prioribus sæculis, pænitentia magis irna et laboriosa erat; per plures annos sæpe durabat, iquando per totam vitam. (a) In ecclesiis *Asiæ Mino-* æculo tertio, tres distinguebantur pænitentium ordines : *entes*, qui stabant in portâ ecclesiæ, seu in porticu; ibi ebant lectionem scripturarum et sacras conciones, sed ibebantur missæ adesse; — *substrati*, seu *genuflectentes*, missæ assistebant intra ecclesiæ ambitum, a portis usque ambonem, sed *prostrati* : eis episcopi et presbyteri ium imponebant; — *consistentes*, qui sacro aderant ites cum fidelibus, sed a sacrâ communione arcebantur[2]. arto sæculo, his ordinibus additi sunt *flentes*, qui cilicio inere induti, stabant ad limen ecclesiæ, lacrymis et gemi- is orantes christianos ingredientes ut pro se precarentur. b) In *Occidente*, erant pariter varii ordines pænitentium, orum tamen numerus non est cognitus. Jam audivimus *rtullianum* describentem exomologesim in Africâ vigen- n (n. 43). Quæ Romæ vigebat a Sozomeno ita exponi- [3] : "Illic enim in propatulo est pænitentium locus, in

Exam. C. Trident., p. 4.
Cfr. *S. Gregor. Thaumat.*, ep. canonica; P. G., t. X, p. 1019-1048.
[3] *Sozom.*, H. E., l. VII, cap. 16; P. G., t. LXVII, p. 1459-62.

quo illi stant mœsti et veluti lugentes. Peractisque jam missarum solemnibus, exclusi a communione sacrorum, quæ initiatis præberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terrâ abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens, pariter ipse humo provolvitur, et universa ecclesiæ multitudo simul confitens, lacrymis perfunditur... Privatim autem unusquisque suâ sponte se macerans, aut jejuniis aut illuvie, aut ciborum abstinentiâ vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo est constitutum, exspectat." Ceteroquin pænitentia imposita valde laboriosa erat; *C. Agathense* (an. 506), can. 15, jubet pænitentes comas deponere, vestimenta mutare[1]; *C. Barcinense* (an. 540) præcipit (can. 6-7) ut tonso capite et religioso habitu utentes, jejuniis et orationibus vitæ tempus peragant, ut epulis non intersint nec negotiis operam dent, vitamque frugalem in suis domibus agant[2]. *S. Leo Magnus* eos prohibet mercaturam agere, advocati munus gerere, militare[3]; *S. Siricius* eos hortatur ut abstineant ab usu matrimonii et a secundis nuptiis[4]. Itaque status pænitentium sat similis erat statui monachorum.

152. (B) A sexto sæculo, pænitentia mitior et brevior evasit, simul ac frequentior. Tunc editi sunt libri *pænitentiales* (supra, n. 113-117) in quibus determinabatur pœna cuique peccatorum generi inflicta. Pauca jam retulimus exempla; quædam alia hic subjicimus e *Pænitentiali Theodori:*[5] pro voluntario homicidio, septem annis peccator pæniteat; pro truncatione pedum aut manuum, unum annum; pro vulnere, 40 dies; pro voluntario perjurio, aliosque inducendo in perjurium, septem annos; pro maximo furto, tres annos; pro magno, unum annum, si fiat restitutio, et duos annos, si non restituatur; pro modico furto, viginti dies; pro adulterio, septem annos; pro simplici fornicatione, duobus annis; pro detractione, 40 dies, etc. Paulatim tamen imminutæ sunt pœnæ impositæ, et confessio facta est frequentior ac minutior peccatorum declaratio.

---

[1] Ap. *Bruns*, op. cit., t. II, p. 149. — [2] *Ibid.*, p. 27.
[3] *S. Leo*, ep. 167 ad Rusticum, cap. 10-13; P. L., t. LIV, 1206.
[4] *Siricius* ad Himer., ep. Tarraconens., cap. 5; P. L., t. XIII, 1137.
[5] Ap. *Morinum*, op. cit., Appendix, p. 41.

3° *Ratio convenientiam satisfactionis* ostendit. (a) *Ex ei :* Deus enim qui per peccatum offenditur, non est persona privata, sed legislator et totius humanæ is rector; atqui decet quidem Deum, ut personam m, offensam sibi irrogatam dimittere; sed simul *legis-* decet ut delicta non remittat absque pœnâ temporali, in futurum leges a pænitente melius serventur, tum a malo deterreantur et sic bonum societatis promo-, tum denique ut jura non solum misericordiæ sed justitiæ, quoad fieri potest, salventur.

Ex *parte pænitentis*, nam, ut ait *Tridentinum*[1], "probio magnopere a peccato revocant, et quasi fræno m coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et ntiores in futurum pænitentes efficiunt; medentur ue peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo aratos, contrariis virtutum actionibus tollunt". Si ex rso peccata, absque ullâ satisfactione dimitterentur, ut existimarentur, et facilitate ipsâ veniæ multi ad pec-um iterum provocarentur. — Nec dicatur per baptismum m pœnam simul cum culpâ tolli : non enim par est litio eorum qui per baptismum regenerantur et eorum per pænitentiam Deo reconciliantur; priores ante tismum per ignorantiam deliquerunt, aut saltem non tanta malitiâ; posteriores, qui semel a peccati et dæmo-servitute liberati, gratiam et dona Spiritus acceperunt, nter templum Dei violaverunt et Spiritum S. contrista-unt, nec proinde eâdem facilitate veniam accipere meren-, ut arguit *Tridentinum*[2].

54. **Corollaria.** (A) *Omnia solaque opera bona et pœna-possunt esse satisfactoria.* Etenim ut aliquod opus sit re satisfactorium, necesse est ut præteritam offensam paret et a culpis futuris præservet; atqui ita est de bonis eribus pœnalibus, et quidem solis; nam (a) compensant fensam Deo irrogatam; siquidem, quamvis Deo proprie hil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est,

[1] *Trident.*, sess. XIV, cap. 8.

[2] Hanc fuisse antiquorum Patrum mentem late ostendit *Morinus*, p. cit., lib. III.

aliquid ei subtrahit, ejus majestatem offendendo; unde oportet, ad reparandam hujusmodi injuriam, aliquid subtrahi a peccante in honorem Dei; et ideo oportet ut opus satisfactorium sit bonum, ut in honorem Dei sit, et pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur; si autem esset bonum et non pœnale, esset quidem opus meritorium, sed non satisfactorium; (b) similiter etiam opus pœnale a culpâ futurâ præservat, quia non facile homo ad peccata redit ex quibus pœnam expertus est. (*S. Thom.* Supplem., q. 15, a. 1.)

Addi tamen potest vix esse, in præsenti statu naturæ lapsæ, aliquod opus supernaturaliter bonum quod non sit simul arduum et pœnale; cum enim sponte ad creaturas tendamus et ad illicita, quoties propter Deum supernaturaliter agimus, opus difficile proindeque pœnale efficimus.

155. (B) *Præcipua autem opera satisfactoria sunt eleemosyna, jejunium et oratio.* Etenim (a) satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei; atqui non habemus nisi tria bona, nempe bona animæ, bona corporis et bona fortunæ; ex bonis quidem fortunæ subtrahimus aliquid per eleemosynam; ex bonis corporis per jejunium; ex bonis animæ per orationem, quâ facultates nostras Deo submittimus. (b) Præterea tres sunt peccatorum radices, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ [1]; atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium; contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna; contra superbiam vitæ, oratio [2].

His tamen pœnis, sponte susceptis, addi debent, juxta *Trident.* (can. 13), pœnæ a Deo inflictæ et patienter toleratæ: sæpe enim Dominus permittit nos variis vexari adversitatibus, ærumnis, animi vel corporis doloribus, quibus patienter toleratis, præsertim si Christo conjungimur patienti ac morienti, amplam satisfaciendi opportunitatem habemus; quod pænitentiæ genus eo efficacius est quo majori alacritate et amore illud amplectimur.

156. *Thesis 2ª :* **Pænitentes, qui votum satisfaciendi habent, absolvi possunt antequam sacramentalem satisfactionem impleverint.** Certum est contra Jansenistas.

[1] *I Joa.*, II, 16. — [2] *S. Thom.*, q. 15, a. 3.

: *praxi Ecclesiæ :* Constat enim jam primævis sæcu-
multis saltem casibus, absolutionem datam fuisse ante
ctionem impletam; (a) in periculo mortis; scribit
Innocentius I, ad Decent.[1] : " Si quis ægritudinem
erit atque usque ad desperationem devenerit, ei est
tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque
unione discedat "; (b) *urgente persecutione;* ita *S. Cy-
ıs* scribit[2] : " Merito trahebatur dolentium pænitentia
ore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur... At
ıunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec
ntibus sed viventibus communio a nobis danda est, ut
excitamus et hortamur ad prœlium, non inermes et
s relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis
ti muniamus "; (c) quando periculum erat ne, dilatâ
utione, pænitentes ad hæreticos transirent; hinc
yprianus ait[3] : " Quorum si pænitentiam respuamus
ntium aliquam fiduciam tolerabilis conscientiæ, statim
uxore, cum liberis, quos incolumes reservaverant, in
esim vel schisma, diabolo invitante, rapiuntur." Insu-
in C. *Ancyrano* (an. 314) statutum est (can. 5) " ut
scopi, modo conversionis examinato, potestatem habeant
utendi clementiâ, vel plus temporis adjiciendi ". Ex his
ıibus colligitur, etiam in casu pænitentiæ publicæ, abso-
onem aliquando concessam fuisse ante expletam satisfac-
ıem, a fortiori igitur quando agebatur de peccatis occultis.
Valde probabile est primis etiam sæculis absolutionem
catorum concessam fuisse eo ipso tempore quo dabatur
nitentia, antequam proinde hæc peracta fuerat, ut supra
atum est, n. 71. Certum est autem longe ante Janse-
nam hæresim viguisse in Ecclesiâ praxim absolvendi
nitentes, satisfactione nondum completâ. Ita, an. 1479,
Sixto IV damnata fuerat ut scandalosa et hæretica hæc
opositio Petri Oxomensis : " Non sunt absolvendi pæni-
ıtes, nisi peractâ prius pænitentiâ eis injunctâ "[4]. Merito
tur ab *Alexandro VIII*, 7 dec. 1690, reprobata fuit hæc
nsenistarum propositio : " Ordinem præmittendi satis-

[1] Ep. XXV, c. 7; P. L., t. XX, p. 559.
[2] Ep. 54 ad Cornelium, n. 2. — [3] Ep. 52 ad Antonianum, n. 15.
[4] Ap. *Denzing.*, n. 614.

factionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, naturâ rei id ipsum quodammodo dictante" [1].

(B) *Rat. conven.* Deus enim perfecte contritis statim peccata remittit, etiam nondum satisfactione plene solutâ ut constat exemplo David, qui prius veniam peccati consecutus est, et postea pœnam subiit temporalem; necnon verbis Scripturæ, ubi asseritur Deum peccata dimittere eo ipso die quo iniquus ab iniquitate suâ fuerit conversus [2]. Atqui Ecclesia, in administratione sacramenti Pænitentiæ, divinâ potestate utitur Deumque imitari potest et debet; ergo pænitentes absolvere potest antequam satisfactionem impleverint.



[1] *Denzing.*, n. 1173. — [2] *Ezech.*, XXXIII, 12.

Caput iij.

DE IPSO SACRAMENTO.

Ex dictis de potestate clavium et tribus pænitentis actibus ıferre licet pænitentiam esse vere sacramentum : ejus *:istentiam, elementa constitutiva*, et *effectus* breviter decla- bimus.

Art. I. De existentiâ sacramenti Pænitentiæ [1].

[57. **Doctrina Tridentina.** Contra Protestantes, qui nmuniter negabant Pænitentiam esse sacramentum a ›tismo distinctum, Tridentinum duo declaravit : (a) Pæ- ·ntiam esse *sacramentum a Christo institutum;* (b) et lem *a baptismo vere distinctum :* —

)ominus autem sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue insti- cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens : 'ipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remit- r eis : et quorum retinueritis, retenta sunt". Quo tam insigni et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi peccata, ad :iliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum ıis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum sus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem ɜrtinaciter negantes, magnâ ratione Ecclesia Catholica, tan- ıæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum orum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus pro- recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, ɔa illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi ium annuntiandi, contra hujusmodi sacramenti institutio- ɔ detorquent.

ɪn hoc sacramentum multis rationibus a Baptismo differre ur; nam præterquam quod materia et forma, quibus sacra- ɜntia perficitur, longissime dissidet; constat certe, Baptis- rum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in nemi-

---

n., 3, q. 84, a. 1; *Suarez*, disp. XVII, sect. I; *Bellarminus*, *)rouin*, q. 11, § 3; *Billuart*, diss. I, art. 1; *Billot*, th. 2; n. 289-300.

nem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. "Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare?" Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesiâ Catholicâ nullâ ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pænitentes confugerint, possent liberari.

Alius est præterea Baptismi, et alius Pænitentiæ fructus : per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum Pænitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus : ut merito Pænitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum Pænitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem *necessarium*, ut nondum regeneratis ipse Baptismus."[1]

Utrumque assertum in unâ eâdemque thesi propugnabimus.

158. *Thesis* : **Ritus quo potestas peccata dimittendi exercetur, est verum N. Legis sacramentum, a Baptismo distinctum.** *De fide est ex Trident.*[2] : "Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ Pænitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; A. S." — "Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pænitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint... A. S." — Thesis breviter probatur, quia, per modum corollarii, infertur ex dictis circa potestatem clavium.

159. 1° **Scripturâ.** Ad sacramentum N. Legis tria requiruntur et sufficiunt, ut probatum est in *Tr. de Sacramentis* : signum sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum. Atqui hæc tria in ritu quo peccata remittuntur invenire est : (**A**) *signum sensibile*, nam, ex dictis, peccata remittuntur actu *judiciali*, qui duo saltem importat, nempe sensibilem peccatorum manifestationem et externam judicis sententiam pænitentem absolventis. Præterea hujusmodi signum a baptismatis ritu distinguitur;

[1] Sess. XIV, cap. 1-2. — [2] Sess. XIV, can. 1-2.

n Baptismus *ablutione* confertur, dum Pænitentia sub nâ *judicii;* in Pænitentiâ possunt *judicialiter* retineri cata, non sic in Baptismo.

B) *Gratiæ productivum;* peccata enim gravia, ex dictis, hunc ritum vere remittuntur; atqui deleri non possunt : infusione gratiæ sanctificantis; nam, ex probatis in *de Gratiâ* (n. 132), justificatio essentialiter consistit in atione gratiæ habitualis; ergo hujusmodi ritus est gra- productivus. — Hæc autem gratia differt a gratiâ baptis- is, cum sit proprie *remissiva* peccati ac possit *pluries* con- i, dum gratia in Baptismo collata est *regenerativa*, ac *el* tantum confertur.

C) *A Christo permanenter institutum;* demonstravimus n hanc potestatem Apostolis collatam fuisse ab ipso isto redivivo, quando dixit : "*Accipite Spiritum S.*" ndem vero esse in Ecclesiâ perpetuam constat : (a) ex erali principio, ab ipsis Protestantibus concesso, omnes ıpe prærogativas, quæ ad Ecclesiam non solum fundan- ı, sed etiam conservandam, necessariæ sunt, Apostolis atas fuisse non pro se tantum, sed etiam pro successo- s; atqui non minus necessaria est potestas remittendi :ata hodie quam Christi tempore, cum homines facile eccatum labantur; ergo talis potestas fuit permanenter :essa; quod jam animadvertebat *S. Pacianus*, et exinde ra Novatianos ita arguebat [1] : si potestas remittendi ata non fuit apostolorum successoribus transmissa, cur is potestatem baptizandi in perpetuum fuisse conces- ? (b) Ex *historiâ*, quæ luculenter ostendit hanc facul- m ab Ecclesiâ fuisse perpetuo vindicatam et exercitam, robant testimonia jam allata.

0. 2° **Traditione.** Ex *Patribus*, qui sæpe Pæniten- cum Baptismo conferunt, et asserunt utroque peccata tti gratiamque conferri, licet *diverso* modo. Jam supra limus verba *S. Athanasii*, n. 79. Item *S. Hieronymus* [2] rit peccata remitti "sanguine Salvatoris aut in dono tismatis aut in Pænitentiâ, quæ imitatur Baptismatis

p. 1ª ad Sempron., n. 6; P. L., t. XIII, p. 1057.
ialog. I adv. pelag., n. 33; P. L., t. XXIII, p. 527.

gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris". Nec aliter *S. Augustinus*[1] : "Si a catechumeno factum est (homicidium), Baptismo abluitur; si a baptizato, Pænitentiâ et reconciliatione sanatur". Ex his et aliis testimoniis quæ citari possent, sequitur Pænitentiam, non minus quam Baptismum, verum esse sacramentum, cum in utroque peccata deleantur gratiaque infundatur. — Ceteroquin, ex totâ descriptione pænitentialis disciplinæ constat maximum esse discrimen inter baptismum et pænitentiam : hæc enim multo magis laboriosa erat quam præparatio ad baptismum.

161. 3° **Rat. convenientiæ**[2]. Decebat siquidem divinam misericordiam remedium instituere non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia peccata post Baptismum commissa; homo enim, etiam regeneratus, multis tentationibus obnoxius remanet et facile labitur; atqui optimum sane remedium est sacramentum, vi cujus de condonatis peccatis certiores esse possimus, per sententiam judicialem a ministro Dei latam, et sic pacatiores reddi : si enim de propriâ suâ pænitentiâ cuique judicandum esset, via dubiis et anxietatibus lata pateret; vi cujus etiam Christi sanguis ad nos defluens mundat nos ab iniquitatibus nostris, et alacriores reddit ad pleniorem satisfactionem pro peccatis offerendam, necnon ad media adhibenda quibus in futurum nova delicta præcaveri valeant; ergo conveniens fuit institutio hujus sacramenti.

Art. II. De elementis constitutivis hujus sacramenti.

Quando Scholastici suam generalem theoriam de materiâ et formâ sacris ritibus accommodârunt, docuerunt sacramenta duplici elemento essentiali constare, nempe materiâ et formâ; quem loquendi modum Ecclesia usurpavit, præsertim in Conciliis *Florentino* et *Tridentino*. Quænam sit igitur *materia* et *forma* hujus sacramenti inquirere oportet. Jamvero utrumque Concilium declaravit tres actus pænitentis esse *quasi materiam* sacramenti Pænitentiæ, *formam* vero esse verba absolutionis.

[1] De conjug. adult. lib. II, c. 16; P. L., t. XL, p. 482.
[2] Cf. *Catech. Roman.*, de Pænit. n. 14.

§ I. De materia sacramenti Pænitentiæ [1].

162. 1° Status quæstionis. Duplex in sacramentis distinguitur materia : remota et proxima. Materia Pænitentiæ *remota*, seu potius *removenda*, ut quidam aiunt theologi, vel, ut aliis magis placet, materia *circa quam* versatur sacramentum, sunt *omnia peccata post baptismum commissa*, sive mortalia, sive venialia, sive jam per absolutionem remissa, sive non. Mortalia nondum accusata et absoluta sunt materia *necessaria*, seu necessario subjicienda clavibus Ecclesiæ; venialia vero et mortalia jam remissa, sunt materia *sufficiens et libera*, id est quæ potest, sed non necessario debet clavium potestati subjici, ut fusius declarabitur in arte *morali*.

Sed quæstio oritur de *materiâ proximâ* hujus sacramenti; disputant theologi in quo scilicet essentialiter consistat, rum in tribus pænitentis actibus, an in absolutione aut aliâ actione. Tres præsertim hâc de re prodierunt sententiæ.

53. (A) Nonnulli antiquiores theologi, ut *Gulielmus Antissiodor.* *Alexander Alens.* putârunt materiam proximam sitam esse in *ositione manûs* a sacerdote factâ, dum pænitentem absolvit. hæc opinio communiter a theologis rejicitur. Triplex quidem memoratur hujusmodi impositio apud auctores ecclesiasticos[2]: *a*, quæ adhibebatur quando pænitentia publica imponebatur; *da*, quæ super pænitentes repetebatur, quoties ab ecclesiâ post humenos dimittebantur; *tertia* tandem in reconciliatione pænitum. Sed iste ritus non ut essentialis habebatur, ut clare colligitur ex canone C. *Arausicani I*, ubi dicitur : "Qui recedunt de re, pænitentiâ exceptâ, placuit sine reconciliatoriâ manus itione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi, dum definitionem Patrum"; jamvero si manûs impositio aria fuisset ad remissionem peccati, certe morientes eâ prion fuissent.

(B) *Scotistæ*, quibus assentiunt *Maldonatus*, *Ballerini*, *Berardi* aliique [3], docent totam essentiam sacramenti

---

hom., 3, q. 84, a. 2; *Suarez*, disp. XVIII, sect. 3; *Salmant.*, dub. 2; *Billuart*, diss. I, a. 2; *Palmieri*, th. 14; *Billot*, th. 3; *n*, n. 300-343.

irmundus, Historia pænitent. publicæ, c. VII; *Palmieri*, p. 159.

s, in 4 dist. 14, q. 4 et dist. 16, q. 1; *Maldonat*, de Pænitent., . 7; *Ballerini-Palmieri*, de Pænit., n. 5 sq.; *Berardi*, Praxis ., t. IV, n. 2.

in *absolutione* consistere, quæ quatenus externa est cæremonia, materiam constituit, et quatenus vim habet significandi, est forma. Juxta *Scotum veteresque* ejus discipulos, tres actus pænitentis sunt non solum *dispositiones* ad validam et fructuosam sacramenti receptionem, sed etiam *conditiones* sine quibus præcedentibus non potest minister sufficienter cognoscere causam et sententiam ferre; quapropter concludunt exteriorem harum dispositionum manifestationem esse vere de necessitate sacramenti. Secundum *recentiores* Scotistas, hujusmodi actus sunt tantum *dispositiones* ad dignam sacramenti receptionem requisitæ : quare necesse non est ut actu exteriori manifestentur.

Sic autem arguunt : (a) imprimis res a *Tridentino* non fuit definita, ut a quibusdam Thomistis asseritur; nam, ut narrat *C. Pallavicini*[1], Synodus tres pænitentis actus non materiam, sed *quasi-materiam* appellavit, nec eos ad essentiam, sed solum ad *integritatem* sacramenti necessarios esse declaravit. (b) Sacramentum est id quod proprie confert gratiam; atqui sola absolutio Sacerdotis proprie gratiam sacramentalem confert; ergo sola proprie est essentia sacramenti. (c) Certum est, ex praxi Ecclesiæ, posse sacramentalem absolutionem iis dari qui nullum *exterius* edunt signum contritionis; atqui, si tres pænitentis actus essent materia sacramenti, hoc invalidum esset, cum materia *sensibilis* esse debeat; ergo hujusmodi actus non sunt materia sacramenti, sed solum dispositiones, et tota essentia sacramenti in absolutione consistit.

(C) Communior tamen sententia, quam propugnant non solum *S. Thomas*, ejusque discipuli, sed et *Suarez*, *Salmanticenses*, *De Lugo*, *Bellarminus*, aliique multi, tenet tres actus pænitentis esse vere materiam proximam sacramenti.

165. 2° *Thesis :* **Tres pænitentis actus, contritio, confessio et satisfactio sunt materia proxima sacramenti Pænitentiæ.** Ita communius.

(A) *Florentinum*, in Decreto ad Armenos, post declaratam necessitatem materiæ et formæ in quolibet sacramento, hæc addit : " Quartum sacramentum est Pænitentiæ, cujus *quasi*

[1] Historia C. Trident., lib. XII, c. 12.

materia sunt *actus pœnitentis*, qui in tres distinguuntur par-
tes". Similiter *Tridentinum* [1] : "Sunt autem *quasi materia*
hujus sacramenti ipsius *pœnitentis actus*, nempe contritio,
confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad
integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam pec-
catorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac
ratione Pœnitentiæ partes dicuntur". Unde sic : duo præ-
fata Concilia materiam et formam ceterorum sacramento-
rum distincte commemoraverunt, et quando de Pœnitentiâ
egerunt, nullam aliam materiam designârunt nisi tres actus
pœnitentis; ergo illi actus sunt vere materia proxima hujus
acramenti, nisi forte dicatur hujusmodi materiam fuisse ex
dustriâ prætermissam : quod vix admitti potest in re
nti momenti. Nec objiciatur Concilia dixisse *quasi-*
teriam, non autem materiam; " neque vero hi actus
asi materia a S. Synodo appellantur, quia veræ materiæ
onem non habeant, sed quia ejus generis materiæ non
; quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et
sma in Confirmatione" [2]. Videlicet Pœnitentia est
amentum *sui generis*, cujus materia non est corporeum
entum, ut in quibusdam aliis, sed ipsa virtus pœniten-
id dignitatem sacramenti evecta, proptereaque dicitur
-*materia*.

*In*super Christus hoc sacramentum instituit per
n judicii, in quo duo elementa constitutiva invenire
empe materiam ipsius judicii quam pœnitens præbet,
entiam quæ a judice fertur; atqui materia judicii
pœnitentis actibus præbetur, videlicet humili pecca-
onfessione, quam sincera *contritio* comitatur et *satis-*
equitur; ergo hujusmodi actus sunt vere materia
sacramenti. Objicitur quidem absolutione tan-
autem his actibus, gratiam conferri, proindeque
acramenti essentiam non pertinere; sed immerito,
tales actus ex se gratiam non conferant, tamen

, sess. XIV, cap. 3; cfr. can. 4.
. *Trident.*, de Pœnit., n. 17. — Hinc *S. Thomas* ipse hoc
o usus est : "Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus
a sunt actus pœnitentis". (De artic. fidei et eccl. sacra-
XVII, p. 180 ed. *Vivès*.)

quia ex positivâ Christi institutione ad dignitatem materiæ sacramentalis evecti sunt, vere concurrunt cum formâ quâ, ut ita dixerim, fecundantur, ad gratiam producendam. Nec dicere juvat contritionem non esse quid sensibile; licet enim non sit sensibilis immediate et in se ipsâ, mediate tamen fit sensibilis quatenus per actus exteriores confessionis, satisfactionis aliaque doloris signa manifestatur[1]. Aliunde sufficit ut materia sit virtualiter sensibilis; proinde etiam homo sensibus destitutus, qui antequam in hunc statum incideret, verbis aut signis contritionem manifestavit, eo ipso exhibet contritionem virtualem.

His tamen non obstantibus, libenter fatemur Scotistarum opinionem probabilitate non carere, neque in praxi despiciendam : proinde in casu extremæ necessitatis, etiamsi externa contritionis signa desint, pænitens sub conditione est absolvendus.

§ II. De forma sacram. Pænitentiæ[2].

166. Docet *Tridentinum*[3] "sacramenti Pænitentiæ formam, in quâ præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ S. more preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant".

Hæc est quidem forma hodie in Ecclesiâ occidentali adhibita; cum vero antiquitus aliæ formæ usurpatæ fuerint, abs re non erit 1° has breviter describere, posteaque expendere 2° quid in formâ hodiernâ ad *validitatem* et *liceitatem requiratur*, 3° num forma *conditionata* sit valida et licita.

I. Conspectus historicus diversarum absolutionis formarum.

167. 1° **Facta exponuntur.** (A) In utrâque Ecclesiâ, per decem priora sæcula, formæ absolutionis adhibitæ fuerunt *deprecativæ*, nempe : "Deus, ei condona, eum absol-

---

S. Thom., 3 p., q. 90, a. 2, ad. 1.

[2] *S. Thomas*, 3 p., q. 84, a. 3; *Suarez*, disp. XIX; *De Lugo*, disp. 13; *Salmantic.*, disp. III; *Morinus*, l. VIII; *Drouin*, q. II, c. 3; *Billuart*, diss. I, a, a. 3; *de Augustinis*, th. 23; *Palmieri*, th. 12; *Billot*, th. 3.

[3] *Trident.*, sess. XIV, cap. 3.

ve, etc. "; non autem indicativæ : " Ego te absolvo, tibi condono, etc. "

Quod constat : (a) ex testimonio Patrum, qui, cum S. Leone, dicunt in sacramento pænitentiæ indulgentiam Dei *supplicationibus sacerdotum* obtineri[1]; (b) sed præsertim ex *Sacramentariis* et *Pænitentialibus*, ubi nonnisi deprecativæ formulæ inveniuntur; ita, in Sacramentario *Gelasiano*, ad reconciliandum *publice* pænitentem hæc pronuntiatur oratio : "Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tuâ pietate relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam[2]". Posteaque variæ super eum recitantur orationes. Ibidem, ad reconciliandum *privatim* pænitentem ad mortem, variæ effunduntur preces, quæ ita concluduntur : "Respice propitius super hunc famulum tuum remissionem sibi omnium peccatorum totâ cordis confessione poscentem[3]." — Idem constat ex variis *Pænitentialibus* superius allegatis, n. 114. Similes formulæ reperiuntur apud *Halitgarum*[4] (+ 831), atque auctores sequioris ævi, usque ad decimum sæculum. Attamen, sæculis octavo et nono, inveniuntur etiam formulæ *imperativæ* deprecativis conjunctæ, v. g. : "Sis namque absolutus a Deo Patre et Filio et sancto Spiritu, ab omnibus tuis peccatis"[5].

168. (B) A sæculo *undecimo*, in Ecclesiâ *latinâ* incipit *transitus* a formulis deprecativis ad indicativas, ambæque simul in iisdem documentis inveniuntur. Ita, in quodam ordine Pænitentiæ formulis deprecativis hæc additur[6] : "Nos etiam, secundum auctoritatem nobis indignis a Deo commissam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, etc." Pariter, in ordine Ecclesiæ Remensis, sæc. XII, absolutionis forma legitur simul deprecativa et indicativa[7] : "Omnipotens Deus, qui beato Petro apostolo suo, ceterisque discipulis suis suam licentiam dedit ligandi atque solvendi, *ipse vos absolvat* ab omni vinculo delictorum; et, quantum nostræ fragilitati permittitur, sitis absoluti ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeatisque vitam æternam..." — Etiam initio sæculi XIII adhuc vigebat forma deprecativa; hæc enim scribit *Gulielmus Parisiensis*[8] : "Neque more judicum forensicorum pronuntiat confessor *absolvimus te*, sed magis orationem facit super eum, ut Deus absolutionem et remissionem atque gratiam sanctificationis tribuat". Quod

[1] *S. Leo*, ep. 108 ad Theodor., P. L., t. LIV, p. 1011.
[2] Ap. *Migne*, P. L., t. LXXIV, p. 1097. — [3] Ibid., p. 1098.
[4] P. L., t. CV, pp. 697, 704.
[5] Ita in Pænitentiali *Egberti*, archiep. Eboracensis (an. circiter 732), ap. *Morinum*, op. cit., Appendix, p. 19.
[6] Magna Bibliotheca Patrum, Coloniæ, 1618, t. VIII, p. 423-424.
[7] Ap. *Morinum*, op. cit., p. 48; cfr. p. 71.
[8] De sacram. Pænit., c. 19, Venetiis, 1591, p. 472, col. 2.

pariter constat ex Opusculo 18 S. Thomæ, c. 5; cum enim adversarius dixisset : " vix triginta anni sunt, quod *omnes* hâc solâ formâ deprecativâ utebantur ", Angelicus Doctor id absolute non negat, sed solum hoc modo corrigit : " Quomodo de *omnibus* potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? " — Paulo post autem forma *indicativa* communiter in Ecclesiâ Latinâ recepta fuit; attamen, antequam pronuntietur, recitantur preces " *Misereatur, Indulgentiam,* Dominus noster Jesus Christus *te absolvat* ", quæ sunt veluti commemoratio antiquæ disciplinæ.

169. (C) In ecclesiâ *orientali,* post sæculum XIII, forma mansit deprecativa, imo et hodie apud quosdam manet. Ita, cum Morinus interrogaret quemdam græcum sacerdotem, qui in Collegio Romano græcis adolescentibus erudiendis præerat, hic respondit absolutionis formam Græcis usitatam hanc esse : " Domine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N., quia tua est potentia, etc.[1] Hodie quidam Orientales, ut *Syri* et *Maronitæ,* Romanæ Ecclesiæ uniti, formam indicativam ab Ecclesiâ latinâ mutuaverunt; alii vero formam deprecativam retinent. — Rutheni vero, quanquam schismatici, formâ utuntur quæ est simul deprecativa et indicativa.

170. 2° Conclusiones ex factis deducendæ. (A) Cum *Hurter* (n. 626) indubitanter tenemus formam deprecativam validam fuisse, ubicumque modo generali prævaluit; non enim censemus absolutiones datas in magnâ Ecclesiæ parte, per multa sæcula, invalidas fuisse. Aliunde forma deprecativa, cum intentione absolvendi, et attentis circumstantiis, ostendit sacerdotem esse Dei ministrum et nonnisi auctoritate ejus absolvere, non autem impedit quin sacerdos sit judex vereque ministerialiter absolvat. Nec ægre hæc mutatio in formâ conciliari potest cum sententiâ in *Tr. de Sacramentis* (n. 84) expositâ, videlicet non omnes sacramentorum formas fuisse a Christo in specie infimâ determinatas; nam, si Ecclesia jus habet determinandi in specie hujusmodi formas, nil prohibet quin forma deprecativa, cum intentione sententiam judicialem ferendi, sit valida. Qui autem aliter sentiunt, videant quomodo suam theoriam cum factis conciliare possint.

(B) Quidquid sit, cum jam a pluribus sæculis Ecclesia

[1] *Morinus,* l. VIII, c. 12, n. 7, p. 547. — Ita etiam *Denzinger* (Ritus Orient., t. I, p. 101) : " Forma absolutionis apud Orientales (catholicos et non catholicos) si solos Armenos excipias, deprecativa est. " — Cfr. *Vacant,* Dict. de Théol., t. I, p. 205-214, ubi variæ describuntur Orientalium formæ.

occidentalis indicativæ formæ usum præscripserit, merito de valore formæ deprecativæ in Ecclesiâ *latinâ* dubitaretur. Ceterum fatemur formam indicativam magis convenire potestati *judiciali*, quæ ministris Ecclesiæ competit. Sedulo igitur in praxi adhibeatur formula quæ in Romano Rituali invenitur.

II. De requisitis ad validitatem et liceitatem[1].

Quæstio expendi potest quoad *verba* ipsa, et quoad *modum* quo proferri debent.

1° *De verbis ad validitatem et ad liceitatem requisitis*[2].

171. (A) Ad validitatem. (a) Ut certo constet de valore sacramenti, hæc verba requiruntur et sufficiunt : "*Absolvo te a peccatis tuis*". Ea enim verba ad validitatem requiruntur et sufficiunt, quæ effectum sacramenti, modum quo efficitur et subjectum recipiens satis declarant; atqui præfata verba *effectum*, id est, remotionem peccati distincte declarant, cum peccata sint vincula quibus peccatores ligantur, et verba *absolvo te a peccatis* hujusmodi vincula dissolvant;

[1] In his et sequentibus, non solum speculativas sed etiam *practicas* quæstiones de formâ exponimus, ne bis de eodem subjecto disserere cogamur.

[2] Forma absolutionis, secundum Rituale Romanum, hæc est : Post injunctam pænitentiam, sacerdos dicit : Misereatur tui, etc. Deinde, dexterâ versus pænitentem elevatâ, dicit : — *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges; deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris ✝ *et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Preces *Misereatur* et *Indulgentiam* omitti possunt in confessionibus frequentioribus. Idem dici potest de oratione *Passio Domini*. Expedit tamen ut non omittatur, cum, juxta S. Thomam aliosque non paucos, hæc oratio omnia bona pænitentis opera evehat ad dignitatem et efficaciam sacramentalis pænitentiæ (S. Thom., Quodlibet 3, quæst. 13, a. 28). — Vox *suspensionis* omittitur, si de laicis agitur, quippe qui suspendi nequeunt.

præterea clare manifestant peccata per modum *judicii* remitti, cum nihil aliud sint nisi sententia absolutoria; *subjectum* pariter indicant "*te, tuis*"; ergo præfata verba requiruntur et sufficiunt[1].

(b) Communiter asseritur sola verba "*absolvo te*" ad validitatem sufficere, cum hæc, post confessionem peccatorum, satis clare de peccatis intelligantur; et revera Græci multi hâc simplici formulâ utuntur: "habeo te absolutum". Attamen, juxta *Lacroix* (n. 633) paucosque alios, requiruntur verba "a peccatis", quo clarius sensus formæ determinetur; et, cum de *valido* agatur, in praxi hæc non sunt omittenda, et, si omissa fuerint, forma sub conditione repetenda est. — Multo probabilius non requiritur vox *tuis*, quando jam dictum est *absolvo te;* sed quia, juxta quosdam, requiritur, in praxi pariter nunquam omitti debet.

172. (c) Exinde sequitur *ego* non requiri ad validitatem, si sacerdos latine loquatur, quia jam in verbo *absolvo* continetur. — Pariter verba "*in nomine Patris* etc." ad essentiam sacramenti non pertinent, quia nec a Christo præscribuntur, nec in antiquis formulis inveniuntur.

(d) Verba essentialia suppleri possunt quoad *validitatem*, non autem quoad *liceitatem*, per alia æquivalentia; v. g., *te* per *vos*, vel *Excellentiam Vestram* etc.; *absolvo* per *condono* vel *remitto* tibi peccata tua.

173. **(B) Ad liceitatem.** Forma a Rituali Romano præscripta sedulo in Ecclesiâ Latinâ servari debet. Ad judicandum vero de gravitate peccati voluntariæ omissionis vel mutationis in formâ, hæc duo notanda sunt, e *Tr. de Sacramentis* desumpta, n. 33-34:

(a) Voluntaria omissio vel substantialis corruptio verbi essentialis, aut verbi quod probabiliter ut tale habetur, est semper peccatum mortale, quia sacramentum irritat, vel saltem periculo nullitatis exponit, et insuper pænitentem privat gratiâ sacramentali; ita omittere *te, absolvo, a peccatis* etc. mortale esset.

(b) Omissio autem voluntaria vel corruptio verbi non essentialis, absque sufficienti ratione, est peccatum grave

[1] *S. Thom.*, 3, q. 84, a. 2.

vel leve, prout mutatio ipsa gravis vel levis reputatur judicio prudentium; nam, quamvis non invalidet sacramentum, importat actum irreverentiæ erga sacramentum; v. g. omissio verborum "*in nomine Patris et Filii etc.*" censetur peccatum leve, dum omissio prioris partis formæ circa absolutionem a censuris gravis esse potest, nempe si confessarius certo sciat pænitentem censuris innodari

(c) In casu vero necessitatis omitti possunt verba non essentialia. Ita, juxta *Rituale Rom.*, in periculo mortis breviter dici poterit : "Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis. In nomine Patris, etc."

174. Corollarium. Hic quærunt theologi quid significent verba *absolvo te.* Non significant : ego te *declaro* a peccatis absolutum[1]; cum enim, ex dictis, Ecclesiæ ministri verâ potestate polleant fideles absolvendi, verba eorum non mere declaratoria sunt, sed *efficiunt* quod significant. Juxta vero communem sententiam, sensus horum verborum est : ego te absolvo a peccatorum vinculo, seu tibi remitto delicta tua, conferens gratiam peccati remissivam[2]; proinde, juxta sententiam quam probabiliorem judicamus, *directe* significatur peccati remissio, *indirecte* gratia sanctificans, cum in præsenti ordine non remittatur gravis offensa nisi per infusionem gratiæ. Hic est *proprius* sensus vocabuli *absolvo* secundum humanum usum, qui etiam in sacramentis retinendus est.

2° *De modo quo forma proferri debet.*

Forma debet esse 1° *ore prolata;* 2° in *præsentem* directa.

175. (A) **Ore prolata,** id est, non scripto, vel nutibus, sed vivâ voce. — Hoc quidem probari nequit ex ipsâ naturâ rei, cum in foro civili judicium scripto valide proferri possit;

[1] *Petrus Lombardus* paucique alii theologi hunc esse genuinum sensum docuerant; sed hæc opinio communiter fuit reprobata. Cfr. *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 196.

[2] Juxta *Suarez*, disp. XIX, sect. II, n. 13-20, *ego te absolvo* significat : "ego tibi gratiam sanctificantem confero remissivam peccati", hoc autem non placet Cardinali *de Lugo*, disp. XIII, n. 69-74, qui recte animadvertit verba absolutionis *ex se* non significare directe gratiæ collationem, quamvis eam producant ex institutione Christi. — Cfr. *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 194.

sed ratio desumitur e positivâ voluntate Christi, quæ non ex Scripturâ quidem, sed ex usu et praxi Ecclesiæ constat, nec-non ex *Decreto ad Armenos* declarante formam hujus sacramenti esse *verba* absolutionis, quæ sacerdos profert: hoc enim intelligitur de verbis ore prolatis. Res non est tamen de fide, nec absolute certa; unde, juxta *Sporer*, in casu extremæ necessitatis, sacerdos mutus posset, deficiente omni alio sacerdote, absolutionem nutu vel scripto dare.

Non est necesse ut verba audiantur, sed sufficit ut sint audibilia. Prudentia postulat ut non altâ, sed *submissâ* voce proferantur, ne, si quis dimittitur non absolutus, circumstantes id advertant.

176. (B) In præsentem directa. (A) Etenim verba formæ "*te absolvo*" supponunt pænitentem esse *moraliter præsentem.* Præsentia autem *moralis* ea est, intra quam homines communi, quamvis *altiori*, voce loquentes, inter se loqui et audiri possunt. *S. Alphonsus* (n. 429), cum aliis multis, putat talem præsentiam extendi posse ad 20 circiter passus, præsertim ubi pænitens nondum est egressus ab aspectu confessarii[1]. Si vero pænitens et confessarius sunt in diversis cubiculis quæ nullo modo inter se communicent, absolutio dubia erit, quia dubitatur utrum sint moraliter præsentes.

177. (B) Hinc, *in praxi*, (a) si pænitens a confessionali exeat antequam absolutio detur, ut aliquando accidit, tuto potest absolvi, si certo cognoscatur eum intra paucos passus esse; secus, benigne revocetur ad sacrum tribunal; si vero jam longe absit, nec inveniri possit, res Deo committenda est; postea autem, si ad eumdem confessarium redeat, moneatur ut de omnibus suis peccatis, etiam præteritis, doleat, et absolvatur.

(b) Pariter absolvi potest moribundus jam e portâ cubiculi. — In prælio multitudo militum absolvi potest, quamvis quidam multum distent, quia efformant unum morale, quod est sufficienter præsens.

(c) Insuper, in casu necessitatis, sub conditione absolvi possunt ii omnes qui aliquo sensu percipiuntur, etiam in confuso, v. g. e tecto ruentes, labentes in flumen vel mare, etsi a longe tantum aspiciantur, quia *probabile* est illos moraliter esse præsentes qui aliquo modo sensibili sunt coram confessario.

[1] *Speculative* loquendo dici posset, cum quibusdam, præsentiam moralem etiam longius extendi posse, v. g. ad 40 vel 50 passus, quia etiam intra hanc distantiam vox humana audiri solet; sed in praxi, extra necessitatis casum, tutior pars est sequenda.

178. 3° **Corollaria.** (A) *Invalida et illicita est absolutio absenti data, qui sive per litteras, sive per internuntium peccata sua confitetur.* Constat ex hâc propositione a *Clemente VIII* damnata, 20 Junii 1602[1]: "Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere". Insuper *Paulus V*, 14 Jul. 1605, in congregatione *S. Officii* declaravit hoc decretum valere etiam in sensu diviso, id est de confessione vel de absolutione seorsim. Proinde invalida est absolutio (a) si quis præsens confiteatur et absens absolvatur; (b) si absens confiteatur et præsens absolvatur — Dixi absolutionem non solum illicitam, sed invalidam esse; nam *Clemens VIII* prohibuit ne *unquam quovis modo* ad praxim deduceretur damnata propositio; jamvero id prohibere non potuisset pro articulo mortis, nisi talis absolutio invalida esset.

Attamen *Clemens VIII* vivæ vocis oraculo declaravit se non intendere casum moribundi sensibus destituti, quem adstantes absolutionem antea petiisse testentur; hic enim absolvendus est, non quidem vi confessionis in absentiâ factæ, sed quia, utpote sensibus destitutus, dispensatur ab explicitâ confessione. — Pariter invalida non est, neque illicita, justâ existente causâ, absolutio data pænitenti, qui per litteras confessus est, et postea *præsens* modo generali dicit se confiteri peccata jam per epistolam exposita : ita enim sufficienter repetitur confessio.

179. (B) *Valde dubia est absolutio per telephonium data.* Inter hodiernos theologos, nonnulli tenent non constare hanc absolutionem esse certo invalidam[2]; nam qui telephonii ope loquuntur, quamvis physice sint distantes, *mora-*

[1] Ap. *Denzinger*, n. 962. — Hic agitur tantum de absolutione a *peccatis*, non autem de absolutione a *censuris*, quæ concedi potest per litteras, internuntium, telegraphum, telephonium aliaque media hujusmodi, ut exponetur in *Tr. de Censuris;* nam quando agitur de pœnis *mere ecclesiasticis*, Ecclesia potest ab eis absolvere omni modo sibi bene viso.

[2] *Ballerini P.*, n. 1155, Notanda quædam circa ritum; *Génicot*, n. 267; *Sabetti*, n. 728, q. 7°; *Berardi*, Praxis Confess., n. 1132, qui tamen sententiam mutavit, ap. *Nouv. Rev. Théol.* XIX, 393 sq. et 655; *Ciolli*, Directoire, I, p. 180-182.

liter præsentes esse dici possunt, quia vere inter se loquuntur, et vox ipsa colloquentis vere ab altero auditur, ita ut tanquam vox talis talisve personæ possit agnosci. — Alii putant eam invalidam esse[1]; nam sacramenta ita instituta sunt ut humano et naturali modo administrari debeant; jamvero collocutio per telephonium est modus artificialis colloquendi cum absente, et ita colloquentes, in morali hominum æstimatione, non censentur præsentes, sed absentes. — Res ad *S. Pœnitentiariam* delata fuit, sed proposito dubio "utrum in casu extremæ necessitatis dari possit absolutio per telephonium"? rescripsit die 1. Jul. 1884 "nihil esse respondendum"; quod quidem significare potest dubii solutionem non ad *S. Pœnitentiariam* spectare, cujus est solum casus particulares solvere, sed ad *S. Officium.*

Unde *in praxi*, extra extremæ necessitatis casum, telephonio absolvere omnino illicitum est, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur. Sed in casu *extremæ necessitatis*, damnandus non est sacerdos conditionate per telephonium absolvens pænitentem, qui, subito et gravissimo morbo correptus, absolutionem a peccatis suis peteret[2].

III. De formâ conditionatâ.

Hucusque de formâ absolutâ, quæ regulariter adhiberi debet. Quandoque tamen uti expedit formâ conditionatâ, quæ videlicet non absolute, sed sub aliquâ conditione pronuntiatur.

180. 1° De ejus validitate. *Gersonius* (sæc. XV) primus esse videtur qui conditionatæ absolutionis validitatem explicite propugnaverit[3]; cujus opinionem acriter impugnavit *Cajetanus*[4]; communior tamen et moraliter certa evasit sententia hanc absolutionem, positis ponendis, validam esse.

---

[1] *Eschbach*, ap. *N. R. T.*, XIX, 393; XX, 305; *Noldin*, n. 236; *Haine*, III, p. 218-219. Cfr. *Vacant.* Diction. de Théol., I, 242-243.

[2] *Sabetti*, n. 728. — Res practica esse potest in regionibus ubi telephonia in multis privatis domibus invenire est, præsertim si pauci sint sacerdotes et longe a quibusdam parochianis dissiti.

[3] De Schismate tollendo, inter *Opera omnia*, Antuerpiæ, 1706, t. II, p. 79; De Unitate Ecclesiæ, p. 118.

[4] Summula de peccatis, Lugduni, 1551, p. 3.

Principium generale est **eam formam invalidam esse quæ in suspenso relinquit effectum sacramenti, validam autem esse quæ minime suspendit effectum**[1].

Jamvero conditio *de futuro incerto*, v. g. *absolvo te, si infra mensem restitueris*, suspendit effectum sacramenti; nam tempore quo sacramentum confertur, effectus non producitur, cum incerta sit conditionis executio, et aliunde remaneat suspensa et ipsa Sacerdotis intentio; tempore autem quo conditio verificatur, jam non existit sacramentum, nec proinde suum effectum sortiri valet.

Conditio autem *de præterito* vel *de præsenti*, v. g. *te absolvo si jam restitueris, vel si sis vivus*, sacramenti effectum non suspendit, nec proinde absolutionem invalidam reddit, nam eo tempore quo sacramentum conficitur, conditio jam verificatur, vel non : si prius, absolutio statim suum producit effectum; si posterius, statim invalida est.

Neque dicatur formam conditionatam obstare naturæ hujus sacramenti, quod per modum *judicii* administratur. Nam, etiam in humanis judiciis, sententia conditionata haud raro fertur, v. g. *in carcerem ibis, nisi infra tres dies debitum solveris;* vel *ad carcerem te condemno, sed, si in culpam non reincidas, pro tempore a pœnâ immunis eris.* Aliunde judicium civile ab hominibus executioni mandatur, dum confessarii sententiam Deus ipse exsequitur : sufficit igitur ut Deus noverit utrum conditio adimpleta fuerit vel non.

181. Pauci tamen theologi, ut *Lovanienses* et *Collet*[2], dixerunt conditionem etiam de præsenti invalidare sacramentum, si non sit conditio *facti* (v. g. si vivis, si es capax), sed *juris* (v. g. si es dispositus, si vis restituere); nam per hujusmodi conditionem destruitur natura judicii, quum ad ipsum confessarium spectet judicium ferre de his dispositionibus pænitentis. — Hæc autem ratio non valet; nam confessarius de dispositionibus pænitentis utique judicare debet, sed modo humano, in quantum fieri potest; jamvero aliquando judicat rem esse dubiam, proindeque, si gravis accedat ratio, absolutionem sub conditione concedendam esse.

---

[1] Quod probavimus in *Tr. de Sacramentis*, n. 101.
[2] *Collet*, ap. *Migne*, Theol. Cursus, t. XXII, 732.

Ceterum, ut tollatur omne dubium, sufficit ut confessarius, de dispositionibus pænitentis dubitans, eam absolvere intendat juxta intentionem Christi et Ecclesiæ; minime enim requiritur ut conditio exprimatur, cum aliunde quævis absolutio sit implicite conditionata, ut scite advertit Suarez.

182. 2° **De ejus liceitate.** (**A**) Absolutio conditionata licita est, quando hæc duo *simul* concurrunt : (**a**) *gravis ratio judicandi formam absolute prolatam exponere sacramentum periculo nullitatis;* (**b**) *notabilis utilitas pro pænitente absolutionem statim recipiendi.*

Etenim (**a**) ipsa natura sacramenti postulat ut per modum judicii administretur; atqui judicium regulariter loquendo absolutum esse debet, præsertim in sacro tribunali; nam vel confessarius moraliter certus est pænitentem esse capacem ac dispositum, et tunc absolute absolvere debet; vel certo judicat eum esse incapacem aut indispositum, et tunc absolutio denegari debet; vel dubitat, et tunc regulariter absolutio differri debet, nisi specialis adsit ratio sacramentum statim suscipiendi. (**b**) Aliunde, si facile conditionata absolutio daretur, tum pænitentes tum ipse confessarius facile in quamdam inciderent socordiam, nec multum curarent de necessariis dispositionibus excitandis; ex quo etiam fieret ut paulatim sacrilegia multiplicarentur.

183. (**B**) Præcipuæ causæ propter quas absolutio conditionata dari potest, sunt :

(**a**) Ex parte *confessarii :* si positive dubitet utrum absolverit necne, — utrum verbum essentiale omiserit vel non; tunc dicat, vel potius intendat (melius est enim conditionem solâ mente concipere) : *si tu non es absolutus*, ego te absolvo. — Pariter, si dubitet dubio facti utrum jurisdictionem habeat vel non, utrum jurisdictio sibi data expiraverit vel non, ad talem pænitentem, vel ad talem casum extendatur necne, et simul gravis adsit ratio pænitentem statim absolvendi.

(**b**) Ex parte *pænitentis :* in casu *necessitatis*, si moribundus dubiam materiam vel dubias dispositiones exhibet, vel si dubitatur utrum adhuc sit vivus aut absolutionis capax.

Etiam, extra casum necessitatis, si dubie dispositi matrimonium contracturi sint, vel locum derelicturi, aut velint, propter gravem rationem, v. g. ad infamiam vitandam, mox sacram communionem recipere; — aut si fundatus adsit timor ne dubie dispositi, si dimittantur sine absolutione, ad sacrum tribunal non redeant, vel in desperationem cadant; — vel si agatur de semi-fatuis, de pueris

quorum dubius est rationis usus, et qui ceteroquin per longum tempus sacramenti beneficio privarentur; — aut de piis, qui materiam solum dubiam præbent, et a quibus obtineri nequit materia certa, propter eorum peculiares dispositiones; hi enim aliquoties conditionate absolvi possunt, ne diutius careant absolutione. In his enim et similibus casibus verificantur duæ conditiones supradictæ : ex unâ parte absoluta formæ prolatio sacramentum nullitatis periculo exponit, et ex alterâ sufficiens adest ratio statim pænitentem absolvendi.

184. (C) **Corollaria.** (a) *Pœnitens sub conditione absolutus regulariter a communione abstinere debet*, quum secus periculo materialis saltem sacrilegii sese exponat. Hinc confessarius non potest *positive* tali pænitenti dicere ut sacram communionem recipiat. Si vero a pænitente interrogetur, prudenter respondeat secundum varias circumstantias; dicat v. g. : "tuæ conscientiæ dictamen sequere".

(b) Non datur autem stricta obligatio iterum accusandi peccata conditionate absoluta, ut melius intelligetur ex dicendis ubi de confessione. Nam *prudenter* existimari potest ea fuisse remissa; aliunde, si pænitens sit in bonâ fide, ut supponitur, in sequenti confessione remittentur.

Art. III. De effectibus sacramenti Pænitentiæ.

185. Sacramentum Pænitentiæ producere gratiam *ex opere operato* satis constat ex *Tr. de Sacramentis.* Gratia autem huic sacramento propria est gratia *peccati remissiva*, gratia *resurrectionis* quâ spiritualiter mortui vitam gratiæ recuperant; *sanationis*, quâ eorum vulnera, ipsis cooperantibus, curantur; *reconciliationis*, quâ, reparatâ injuriâ Deo irrogatâ, in divinam amicitiam recipiuntur. Huic annectitur jus ad *gratias actuales* tempore opportuno recipiendas, quibus pro præteritis peccatis pænitens satisfacere valeat, futuraque in posterum vitare.

Quibus positis, Pænitentiæ sacramentum tres præcipuos producit effectus : 1° *remissionem omnium mortalium;* 2° *remissionem partialem pœnæ* peccato debitæ; 3° *reviviscentiam meritorum*, de quibus seorsim dicendum est. — Pauca addemus de remissione peccati venialis, sive intra sive extra sacramentum.

§ I. De remissione peccatorum mortalium.

I. De ipsâ remissione horum peccatorum.

186. 1° Ex dictis supra de potestate clavium, jam inferre licet, per sacramentum pænitentiæ, condonari omnia peccata post baptismum commissa, nec ullum peccatum esse irremissibile. Id jam probavimus ex multis testimoniis, simul explicando textus Scripturæ et Patrum, ex quibus adversarii difficultates proponunt.

Hic sufficiat rem confirmare ex argumento convenientiæ, quod a *S. Augustino* mutuamus. Sibi proponit S. Doctor difficultatem quam quidam hæretici et pagani urgebant : "Vos, inquiunt, facitis ut peccent homines, cum illis promittitis veniam, si egerint pænitentiam." Quod eloquenter confutat Augustinus, ostendendo promissione veniæ animos ad pænitentiam induci, eos ex adverso, hâc spe sublatâ, in desperationem cadere, et consequenter in vitiorum cœnum : "Si clauderetur aditus pænitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi : ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, pænitentia infructuosa est, damnandus sum; quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio caritatem, hic saltem pascam cupiditatem. Quare enim me abstineam? Ibi mihi locus omnis clausus est : hic quidquid non fecero, perdo, quia vita, quæ post hanc futura est, non mihi dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam et saturem? ... Ergo si tuleris portum pænitentiæ, desperatione augebunt peccata." Qui vero veniam speraverit, non potest augere peccata sicut vult; nam eum monet Scriptura ne pænitentiam differat et in peccato obduretur; subito enim morte percuti potest, et in manus Dei viventis incidere. Ita igitur concludit : "Ecce ad utrumque vigilavit pro nobis providentia Dei. Ne desperando augeamus peccata, propositus est pænitentiæ portus; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus"[1].

[1] *S. August.*, sermo 352, n. 9; P. L., t. XXXIX, p. 1559-1560.

187. *Corollarium.* Exinde sequitur *non posse unum mortale peccatum remitti sine alio.* Etenim (a) peccatum non tollitur nisi per infusionem gratiæ habitualis; atqui quodlibet peccatum mortale directe gratiæ habituali contrariatur eamque excludit; ergo unum lethale peccatum non potest sine alio remitti : nam, si unum maneat in animâ, totaliter gratiam excludit; (b) peccatum non potest remitti sine verâ pænitentiâ, ad quam pertinet peccatum detestari quatenus est offensa Dei; atqui eadem ratio est de uno ac de ceteris lethalibus peccatis, quæ omnia vere Deum offendunt; ergo non potest quis vere de uno peccato pænitens esse quin de omnibus aliis pæniteat, si de eis actu cogitet[1].

II. De modo quo sacramentum Pænitentiæ peccata remittit.

188. Sacramentum pænitentiæ, sicut cetera sacramenta, suos effectus producit *ex opere operato*, proindeque non solum declarat peccata esse remissa, sed hanc remissionem *vere causat.* Id aperte definivit *Tridentinum* contra Protestantes, qui contendebant peccata per *fidem* remitti, et absolutionem sacerdotis nihil aliud esse nisi nudum ministerium pronuntiandi et declarandi peccata esse remissa[2] : " Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tamen credat se esse absolutum... A. S. "

Antequam vero res definiretur, quidam Scholastici tenuerant, cum *Petro Lombardo*, absolutione sacerdotis non proprie dimitti peccata, sed ostendi ea esse remissa (supra, n. 60). Horum vero sententia maxime differebat a Protestantium erroribus. Non enim docebant peccata solâ fide aut fiduciâ dimitti, sed simul per contritionem et ministerium sacerdotum. Attamen non rite intellexerant quam partem sacramentum pænitentiæ habeat in remissione peccatorum; juxta ipsos, Deus operabatur hanc remissionem *cum* sacerdote, non autem *per* sacerdotem[3]. Postea, re melius inspectâ, *S. Thomas* et

[1] *S. Thom.*, 3, q. 86, a. 3.

[2] *Trident.*, sess. XIV, can. 9.

[3] Hanc opinionem jam confutaverat *Richardus a S. Victore* (de potest. ligandi atque solv. c. 12) : " Exstat quorumdam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola ut ridenda potius videatur quam refellenda. Putant enim et prædicant, sacerdotes non habere potesta-

Scotus eorumque discipuli intellexerunt, ex Scripturæ et Patrum dictis, sacramenta non solum esse *conditiones sine quibus non*, sed etiam *causas secundarias* et *instrumentales* gratiæ, ut expositum est in *Tr. de Sacramentis*, n. 44-45.

§ II. De remissione pœnæ peccato debitæ.

189. (A) *Sacramentum pœnitentiæ semper remittit pœnam æternam cum culpâ.* Certum est; (a) docet enim *Tridentinum*[1] pœnitentem post receptam absolutionem teneri satisfacere per jejunia, eleemosynas et orationes, "*non quidem pro pœnâ æternâ*, quæ vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpâ remittitur; sed pro pœnâ temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis"... (b) Ratio patet ex dictis; remissio enim peccati mortalis fit per infusionem gratiæ habitualis; atqui gratia habitualis nos facit divinæ consortes naturæ, Dei amicos ejusque filios adoptivos cum jure ad æternam beatitudinem, ut demonstravimus in *Tr. de Gratiâ* (n. 139 sq.); ergo pœnam æternam remittit.

190. (B) *Sacramentum Pœnitentiæ minuit etiam pœnam temporalem peccato debitam*, et quidem duplici modo :

(a) Ratione *absolutionis;* nam, ut ait *Lugo*[2], certum quippe est Deum, quando commutat pœnam æternam in pœnam temporalem, posse eam mutare in pœnam temporalem graviorem et diuturniorem. Debemus ergo gratias Deo tum quia remisit pœnam æternam; tum quia non commutavit illam in aliam temporalem majorem, prout justissime poterat; et in hoc sensu nunquam remittitur æterna pœna quin

tem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed numquid Dominus dicit : quodcumque ligatum *ostenderis* erit ligatum, et quodcumque solutum *ostenderis* erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque *ostendendi*, cum Dominus hoc non dicat". Ipse tamen non recte sentiebat; dicebat enim peccata per contritionem remitti, antequam absolutio daretur, sed solum *conditionate*, id est eâ conditione ut postea reciperetur absolutio : hæc igitur non erat causa remissionis, sed solum *conditio sine quâ non*. Cfr. *Vacant*, Dict. de Théol., t. I, p. 174.

[1] *Trident.*, sess. VI, cap. 14.

[2] *Lugo*, disp. VIII, n. 64.

simul remittatur aliquid de pœnâ temporali in quam commutari potuisset.

(b) Ratione *satisfactionis*, seu pænitentiæ a Sacerdote impositæ; nam, juxta *Tridentinum* (cap. 3), satisfactio una est ex tribus partibus quæ ad integritatem sacramenti pertinent et ad plenam perfectamque remissionem peccatorum concurrunt; atqui satisfactio non concurrit directe ad remissionem culpæ, cum hæc remittatur ante satisfactionem peractam; ergo concurrit ad remissionem pœnæ. Quod quidem præstat *ex opere operato*, juxta communem sententiam, quæ tenet tres actus pænitentis esse materiam proximam sacramenti.

191. (C) Sacramentum Pænitentiæ *non semper tollit totam pœnam temporalem*, ut jam probavimus, sed *quandoque id præstat*, si videlicet contritio sit *intensissima*. Cum enim hujusmodi temporalis pœna sit finita, contritio ita intensa esse potest ut eam adæquate et totaliter remittat.

§ III. De meritorum reviviscentia[1].

192. *Status quæstionis.* Quando quis sacramento Pænitentiæ justificatur, accipit, simul cum gratiâ habituali, virtutes infusas quas per peccatum amiserat : cum enim virtutes hujusmodi a gratiâ profluant, sicut proprietates ab essentiâ, restitutâ gratiâ, restituuntur pariter virtutes, et quidem eo intensiores quo perfectior est subjecti dispositio. Sed insuper quæstio est utrum merita per peccatum mortificata reviviscant.

Ad cujus intelligentiam pauca sunt prænotanda de variis operibus in ordine ad meritum. (a) *Viva* dicuntur opera quæ in statu gratiæ fiunt, excitante et adjuvante gratiâ actuali, tum quia sunt a principio spirituali vivente, tum quia vitam æternam merentur. (b) *Mortua* vero ea sunt quæ, licet bona et supernaturalia, fiunt in statu peccati, nec proinde meritoria sunt vitæ æternæ. (c) *Mortifera* ea sunt quæ hominem vitâ gratiæ privant, ut peccata mortalia. (d) *Mor-*

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 89; *Suarez*, Opusc. V, De meritis mortificatis; *Salmantic.*, de Merito, disp. V; *Billuart*, diss. III, a. 5; *Palmieri*, th. 19; *de Augustinis*, p. I, art. 10; *Billot*, p. 94-108.

tificata autem dicuntur ea opera quæ, in statu gratiæ facta, per subsequens mortale peccatum impediuntur a suo effectu, quatenus hominem ad vitam æternam ducere non amplius valent. Jamvero quæstio est utrum merita sic *mortificata* reviviscere possint. Affirmative respondent theologi communiter, sed de modo et gradu quo reviviscant, controvertitur.

193. *Thesis:* **Remisso per pænitentiam peccato, opera prius in caritate facta, et per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt.** Ita communiter.

(a) *Scripturâ* solâ res probari nequit; sed Patres duobus textibus utuntur ad proponendam suam de reviviscentiâ doctrinam. Primum allegant hæc verba *ep. ad Hebræos:* "Non enim injustus Deus ut *obliviscatur operis vestri et dilectionis*, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis"[1]; atqui, ut arguunt Patres et theologi, hic agitur de operibus in gratiâ factis et mortificatis; nam Apostolus Hebræos alloquitur, quorum nonnulli in peccatum lapsi fuerant; ergo Deus non obliviscitur bonorum operum eorum qui pænitentiam agunt, sed ea remunerat. Ad rem *S. Epiphanius*[2]: "In quo vides, quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluserit quos peccati sui pæniteret; sed et saluti propinquos esse dixerit, et *Deum recte ab iis factorum esse susceptorem*, qui delictorum suorum absolutam pænitentiam capesserent." Idem Patre deducunt ex alio loco[3]: "Tanta passi estis sine causâ, si tamen sine causâ"; ait siquidem *Hieronymus*, in h. loc.[4]: "Quicumque ob Christi fidem laboraverit et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causâ passus fuisse dicitur dum peccat, sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem revertatur".

(b) Ex *Tridentino* etiam thesis colligi potest: nam declarat bona opera justi "vere mereri augmentum gratiæ et vitæ æternæ consecutionem, *si tamen in gratiâ decesserit*[5]; porro

[1] *Hebr.*, VI, 10. — [2] *S. Epiphan.*, Hæres., 59, n. 2; P. L., XLI, 1019.
[3] *Galat.* III, 4.
[4] Comment. ad Gal., l. I, c. 3; P. L., t. XXVI, p. 350.
[5] *Trident.*, sess. VI, can. 32.

ibi non exigitur ut a primâ justificatione quis usque ad mortem sine interruptione perseveret, sed solum ut *in gratiâ decedat;* ergo si quis mortaliter peccaverit et postea ipsum pæniteat, ejus merita reviviscunt.

(c) *Ratione* suadetur. Opera in caritate facta, si secundum se spectentur, semper in acceptatione divinâ manent, et ideo dumtaxat mortificari dicuntur quia per peccatum a suo effectu impediuntur, quatenus mortaliter peccans indignus est vitâ æternâ; atqui tale impedimentum per pænitentiam tollitur; ergo opera prius mortificata, per pænitentiam recuperant vim in vitam æternam perducendi eum qui ea perfecit [1]. Aliunde Deus non vult aliquâ pœnâ æternâ punire peccatum remissum; atqui si merita prius comparata non restituerentur, culpâ remissâ, peccatum pœnâ æternâ puniretur; nam privatio gloriæ iis meritis respondentis esset vera pœna, et quidem æterna; ergo.

194. De *modo* autem et *gradu* quo merita reviviscunt disputatur inter theologos, et nil certi definiri potest:

(a) Prima opinio tenet, cum *Bannez* (2. 2. q. 24, a. 6), opera mortificata reviviscere solum eo sensu quod gloria justo a peccato resurgenti dabitur *duplici titulo*, videlicet tum propter merita præcedentia, tum propter nova ab ultimâ justificatione comparata, non tamen major quam hisce ultimis debetur; erit tamen aliquod præmium *accidentale* pro operibus præcedentibus, quatenus de illorum *revi*viscentiâ gaudebunt electi. Quæ tamen opinio merito rejicitur, quum ipsam reviviscentiam negare videatur: quid enim prodest duplici titulo eamdem gloriæ quantitatem accipere?

(b) Secunda opinio docet omnia opera mortificata restitui quidem statim post pænitentiam, quoad *meritum vitæ æternæ*, non autem quoad quantitatem *gratiæ habitualis* antea habitæ; videlicet gratia ipsa habitualis antea amissa non restituetur nisi in mortis instanti, aut post mortem, primo glorificationis instanti. Ratio est quia gratia in justificatione non datur nisi secundum cujusque dispositionem et cooperationem [2]; non autem secundum merita prius acquisita. Ita *Scotus* et *Salmanticenses*.

(c) Juxta *tertiam* opinionem, quam propugnant *Dom. Sotus* et

[1] *S. Thom.*, 3, q. 89, a. 5.

[2] Quod principium ita exponit *S. Thomas*, q. 89, a. 2: "Formæ quæ possunt recipere *magis* et *minus*, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti... Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pænitentiâ est intensior vel remissior, secundum hoc pænitens consequitur majorem vel minorem gratiam".

Ledesma, merita ita reviviscunt secundum præsentis dispositionis gradum, ut si quis actum contritionis eliciat ut quinque, decem gradus gratiæ recipiat, quinque ratione præcedentium meritorum, et quinque ratione actualis dispositionis.

(d) *Suarez* autem (op. cit., disput. II) cum multis modernis, tenet omnia merita antea comparata statim peccatori pænitenti restitui sive quoad jus ad gloriam, sive quoad gratiam. Nam hujusmodi merita, ex dictis, semper in acceptatione Dei manent, et a suo effectu nonnisi per peccatum mortale impediuntur; ergo, remisso peccato, impedimentum statim tollitur, et nihil prohibet quin merita præterita statim omnem suum consequantur effectum. Hanc opinionem ut benigniorem libenter amplectimur, sed simul fatemur solutionem hujus quæstionis a solâ voluntate Dei pendere, quæ ex Scripturâ et Traditione nobis sufficienter non innotescit.

Scholion : De remissione peccati venialis[1].

195. Hucusque de peccati mortalis remissione directe egimus : pauca tamen de venialium remissione subjungere expedit.

(A) Peccatum veniale sine *gratiâ* remitti nequit; nam, ex dictis in *Tr. de Gratiâ*, nil supernaturale sine gratiâ peragi potest ; atqui remissio peccati venialis est aliquid supernaturale, cum tollat impedimentum quo retardamur a fine supernaturali. Hinc in C. *Arausicano II*, can. 14 (*Denzinger*, n. 157), legitur : " Nullus miser de quâcumque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur ".

196. (B) Peccatum veniale *conjunctum mortali* sine *gratiæ habitualis* infusione remitti nequit. Nam cujuslibet culpæ remissio supponit amicitiam divinam; est enim favor gratuito concessus, non debitus; atqui amicitia divina peccatori non redditur nisi per infusionem gratiæ habitualis. Sed peccatum veniale in eo qui jam in statu gratiæ versatur, remitti potest *per se* sine habitualis gratiæ infusione; nam, ut ait *S. Thomas* (q. 87, a. 2), unumquodque tollitur per suum oppositum; atqui oppositum peccati venialis non est gratia habitualis, quæ per eum non amittitur, sed fervor caritatis; ergo peccatum veniale tolli potest *ex se* per actum ferventem sine infusione gratiæ. Quod comparatione illustratur : sicut enim corpus dupliciter contingit maculari, per privationem decoris vel per superinductionem luti aut pulveris, ita etiam anima dupliciter maculatur, privatione decoris gratiæ vel inordinatâ inclinatione ad temporalia seu peccato veniali : prior macula nonnisi infusione gratiæ tolli potest, posterior autem removetur eo ipso quod actu fervoris cessat inordinata adhæsio ad temporalia.

[1] *S. Thomas*, 3 p. q. 87; *Suarez*, disp. XI-XII; *de Augustinis*, p. I, a. 9.

197. (C) Peccata venialia justi remitti possunt ex opere operato et ex opere operantis : (a) *ex opere operantis*, videlicet per actum contritionis aut caritatis perfectæ, juxta omnes, imo probabilius per actum attritionis. Aliquam requiri contritionem ad remissionem peccati venialis sic probat *Angelicus Doctor* (q. 87, a. 1) : peccatum veniale, quamvis non sit aversio a Deo ultimo fine, aliquam deordinationem continet, quatenus retardat affectum hominis, ne prompte in Deum feratur; atqui talis deordinatio tolli nequit nisi dispositione contrariâ, nempe detestatione et retractatione peccati : si voluntas enim in illâ inordinatâ adhæsione rebus temporalibus perseveret, peccatum ipsum animæ adhærebit, cum, manente causâ, maneat effectus.

Optima sane dispositio est contritio perfecta, cum peccatum etiam mortale tollat; sed probabilius sufficit etiam attritio; nam venialia, si mortalibus comparentur, levia sunt, nec proinde eadem dispositio requiritur ad venialium quam ad mortalium remissionem; sufficit igitur contritio minus perfecta seu attritio. Aliunde attritus de veniali protinus fit contritus per caritatem habitualem, ut dictum est de attrito sacramentum pænitentiæ suscipiente, supra n. 145.

Nec necesse est ut hæc attritio formalis sit; *virtualis* satis est, puta cum aliquis hoc modo fertur in Deum, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de eo non cogitet.

(b) *Ex opere operato*, per susceptionem sacramentorum, dummodo non sit obex, id est virtualis aut actualis complacentia peccati venialis; quod quidem *certum est* de Baptismo, Pænitentiâ et Extremâ Unctione, quæ peccatorum remissionem ut effectum proprium habent; probabilius etiam de aliis asseritur, quæ ad sanctificationem animarum instituta sunt, ideoque ad fervorem caritatis fovendum, cui venialia peccata opponuntur. Sacramentalia autem, ut alibi diximus, venialia *indirecte* remittunt, contritionis et caritatis sensus in animâ excitando.

198. (D) Potest *unum* veniale peccatum *sine aliis* remitti, si quis videlicet vere de uno doleat, non autem de ceteris. Unde tunc solum plena obtinetur omnium venialium remissio cum nullus retinetur affectus ad venialia. Ex dictis enim non remittitur peccatum veniale nisi virtualiter saltem detestetur, et aliunde unum retractari potest quin alia displiceant.

Appendix.

DE INDULGENTIIS[1].

Licet indulgentiæ non sint pars sacramenti Pœnitentiæ, cum eo tamen aliquo modo connectuntur, quatenus per eas remittitur pœna temporalis peccatis etiam remissis plerumque debita ; unde eorum *naturam* et *existentiam* breviter exponemus.

1° *Indulgentiarum natura.*

199. (A) *Definitio.* Indulgentia (ab *indu-licentiâ*)[2] idem sonat ac lenitas, condonatio ; prout hic usurpatur, definiri solet : *remissio pœnæ temporalis, etiam post absolutionem peccatis debitæ, coram Deo valida, per applicationem thesauri Ecclesiæ, a Superiore legitimo extra sacramentum facta.* Declaratur : (a) *remissio pœnæ temporalis*, non autem culpæ sive præteritæ sive futuræ, sive mortalis, sive venialis, ut falso asserunt Protestantes ; siquidem, licet in nonnullis veteribus formulis occurrant verba *a culpâ et a pœnâ*, ea tamen non ab Ecclesiâ sed a nonnullis quæstoribus inserta

---

[1] *S. Thomas*, Suppl. q. 25-27; *F. Mayron*, De Indulgentiis; *Suarez*, disp. XLIX sq.; *Bellarminus*, de Indulgentiis; *E. Amort*, De origine, progressu, valore ac fructu Indulgentiarum, 1735 ; *Perrone*, de Indulgentiis ; *Palmieri*, op. cit. Append. de Indulg. ; *Hurter*, n. 648 sq. ; *Egger*, n. 590 sq. ; *Melata*, De Indulgentiis, Romæ, 1892; *T. L. Green*, Indulgences, Sacramental Absolutions, and Tax Tables, London (1872); *J. Gibbons*, The Faith of our Fathers, XXVI; *Bouvier*, Traité dogmatique et pratique des Indulg. 10e ed. Paris, 1855; *Schneider*, Die Ablasse, ihre Wesen und Gebrauch, Paderb. 1884 ; *Maurel*, S. J. Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulg. ; *Beringer*, S. J. Die Ablaesse, ihr wesen und gebrauch, gallice redditum ab *E. Abt* et *A. Feyerstein*, Les Indulgences, Paris, 1890 ; *Lépicier*, Indulgences, London, 1895.

[2] Cf. *M. Bréal*, Diction. étymolog. latin, Paris, 1885, p. 134.

sunt, contra voluntatem RR. Pontificum, qui hujusmodi abusum reprobârunt, ut videre est in *Clementin.* l. V, tit. IX, c. 2; hinc merito Card. Cusanus in Synodo provinciali *Magdeburgensi* dicebat: "Sedes Apostolica sub verbis *a pœnâ et culpâ* indulgentias nunquam dare consuevit". Nec obstat quod in nonnullis Litteris Apostolicis indulgentiæ concessæ dicuntur in *remissionem peccatorum:* hæc enim verba ab omnibus intelliguntur de remissione pœnæ peccatis debitæ; nec unquam quis liberatur a pœnâ nisi prius absolutus fuerit a culpâ.

(b) *Coram Deo valida;* videlicet remissio pœnæ valet non solum in foro externo, coram Ecclesiâ, sed etiam in foro interno, coram Deo; secus, ut ait *S. Thom.* (Sup. q. 25, a. 1), Ecclesia magis damnificaret quam adjuvaret, quia, absolvendo a pœnitentiis injunctis, damnaret ad graviores pœnas, scilicet purgatorii.

(c) *Per applicationem thesauri Ecclesiæ;* nam, remittendo pœnam, Ecclesia solutionem nihilominus, seu compensationem aliquam Deo exhibet, ex thesauro suo depromptam; adest siquidem spiritualis thesaurus ex superabundantibus Christi Sanctorumque satisfactionibus conflatus, cujus supremus dispensator est Pontifex, et ex quo justâ de causâ solvi possunt fidelium debita; qui igitur indulgentiam concedit, non simpliciter relaxat pœnam temporalem, sed pœnitenti præbet unde solvat, ipsi applicando Christi superabundantes satisfactiones.

(d) *A superiori legitimo...;* hinc non quilibet homo indulgentias concedere potest, sed ii solum quibus thesauri Ecclesiæ cura commissa fuit, videlicet Pontifex vel Concilium generale pro universali Ecclesiâ, Cardinales in ecclesiâ sui tituli, et Episcopi pro diœcesi suâ; dicitur tamen *extra sacramentum,* ut sic indulgentia a sacramentali satisfactione distinguatur.

200. (B) *Species.* Dividuntur indulgentiæ in *plenarias* et *partiales:* prioribus remittitur tota pœna quæ luenda manet, posterioribus pars quædam ejusdem pœnæ. Hinc conceduntur indulgentiæ quadraginta, vel centum dierum, septem annorum etc.; quod intelligi debet non eo sensu quod totidem Purgatorii dies vel anni remittuntur, sed eo

sensu quod tantum debitæ pœnæ condonatur quantum remissum fuisset per quadraginta vel centum dies pœnitentiæ canonicæ, prout primis sæculis vigebat. Dividuntur etiam in *personales*, *locales* aut *reales*, prout directe personis conceduntur, vel alicui loco aut rei annectuntur.

201. (C) *Conditiones* ad lucrandas indulgentias præcipuæ sunt: (a) *intentio*, saltem *virtualis*, eas lucrandi; (b) *status gratiæ*, saltem eo tempore quo ultimum perficitur opus injunctum, quia pœna non potest ante culpam remitti. Attamen si quæstio sit de indulgentiis *pro mortuis*, nonnulli theologi, cum *Suarez* (disp. 53, sect. 4, n. 6), tenent statum gratiæ non esse necessarium, quia lucrans indulgentiam pro defunctis non sibi ipsi, sed alteri satisfactionem lucratur: ad quod sufficit executio operis præscripti; (c) *integra executio operum præscriptorum*, et quidem eo modo quo præscribuntur; indulgentia enim nonnisi sub tali conditione concessa fuit; (d) *contritio*, seu detestatio peccatorum: ad *plenariam* indulgentiam requiritur contritio omnium delictorum etiam venialium; non enim remittitur pœna, nisi remittatur culpa, neque hæc absque contritione condonatur. Cetera vide apud theologos morales.

2° *Existentia Indulgentiarum.*

202. (A) *Errores.* Potestatem Ecclesiæ inesse indulgentias concedendi negârunt: (a) *Montanistæ* et *Novatiani*, qui graviora peccata irremissibilia esse tenentes, consequenter tenebant pœnam temporalem eis debitam, vi clavium condonari non posse; (b) *Waldenses*, *Wiclefistæ*, necnon *Petrus de Osma*, qui docebant Pontificem non posse indulgentias largiri, nec a purgatorio liberare; (c) *Protestantes*: Lutherus siquidem primum quidem abusus quæstorum indulgentiarum carpere visus est, sed mox ipsas indulgentias impugnavit, tanquam inutiles et perniciosas, piasque fraudes ad obtinendam pecuniam inventas. Moderni Protestantes idem asserunt, imo multi affirmare non erubescunt indulgentias nihil aliud esse nisi licentiam peccandi solutâ pecuniâ comparatam [1].

---

1 Quam calumniam non minus lepide quam eloquenter confutat *J. H. Newman*, The present position of Catholics in England, London.

203. (B) *Thesis :* **Ecclesia potestate gaudet indulgentias concedendi, quarum usus christiano populo maxime salutaris est.** *De fide est ex Trident. :* "Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit : S. Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et S. Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesiâ retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant".

204. *Scripturâ* suadetur. (a) Ex testibus jam allatis [1] : "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et *quodcumque solveris* super terram, erit solutum et in cœlis"; etenim in priori parte hujus textus, Petro et Apostolis confertur potestas fideles ligandi quocumque spirituali vinculo, peccata retinendo pœnasque canonicas imponendo; ergo in posteriori parte *quodcumque solveris* datur pariter potestas non solum peccata absolvendi, sed etiam pœnas canonicas cum prudentiâ relaxandi; adest enim parallelismus inter utramque partem. Confirmatur ex aliis Christi verbis [2] : "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis"...; ibi enim amplissima confertur potestas remittendi peccata, absque ullâ restrictione; porro peccatum tria involvit, reatum culpæ, reatum pœnæ æternæ, reatum pœnæ temporalis; ergo potestas Ecclesiæ collata hæc tria amplectitur. Jamvero duo priora per sacramentum Pœnitentiæ tolluntur; ergo tertium extra sacramentum tolli potest, videlicet per indulgentias.

(b) Revera *S. Paulus* hanc potestatem exercuit relate ad incestuosum Corinthium; siquidem illum gravissimâ pœnâ dignum judicaverat : "Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi... tradere hujusmodi Sa-

1889, p. 108 sq. Hodie tamen plerique Protestantes has falsas accusationes emolliunt, dicendo hujusmodi abusus non nostris temporibus, sed præteritis solum sæculis viguisse; indulgentias tamen ut perniciosas in suis effectibus impugnant; ita *Littledale*, Plain Reasons, p. 102; *Lea*, op. cit. vol. III, p. 569 sq.

[1] *Matt.* XVI, 19. — [2] *Joa.* XX, 23.

tanæ in interitum carnis"[1]; postea autem, cum illum pœnituerit Corinthiique rogaverint ut ei ignosceretur, Paulus præcepit ut residua pars pœnæ ei condonaretur, "ne forte, inquit, abundantiori tristitiâ absorbeatur", et in desperationem incidat[2]. Quæ quidem interpretatio Patrum auctoritate firmatur; ait enim *S. Chrysostomus*, in hæc Pauli verba commentans: "Hincque docemur quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam"; item *S. Pacianus*[3]: "Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem, longe a vestro supercilio separatam, longe a Novatiani fronte dissimilem, communi vero vitæ ac saluti omnium consulentem"?

205. *Tradit.* Primis Ecclesiæ temporibus non concedebantur quidem indulgentiæ eo præcise modo quo nostris diebus dantur, sed tamen pœna temporalis peccatis adhuc debita, totaliter vel partialiter condonabatur, ut ex indubiis factis colligitur: (a) ex praxi relaxandi canonicam pœnitentiam *intuitu intercessionis martyrum;* cujus rei testis est *Tertullianus;* dum adhuc catholicus esset, hæc scripsit[4]: "Pacem quidam in Ecclesiâ non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt; et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere, et custodire debetis, ut et aliis præstare possitis". Quam praxim postea, in Montanistarum errorem lapsus, reprobavit[5]; sed et hoc ipsum demonstrat hanc praxim exstitisse et a R. Pontificibus fuisse approbatam. Jamvero relaxatio pœnitentiæ canonicæ erat relaxatio pœnæ peccato debitæ, quum pœnitentia ad remissionem hujus pœnæ ordinaretur.

(b) Ex *antiquissimis decretis*, quibus Episcopis datur facultas ex canonicis pœnitentiis aliquid remittendi, præsertim si pœnitentium vita laudabilis fuerit; ita *C. Ancyranum* (314) decrevit (can. 5): "Statuimus ut Episcopi, modo conversationis examinato, potestatem habeant vel *utendi clementiâ*, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et præce-

[1] *I Cor.* V, 4-5. — [2] *II Cor.* II, 6-10. — [3] Ep. 3 ad Sempron. n. 18.
[4] Exhort. ad Mart. c. 1. — [5] De Pudicit. c. 22.

dens vita, et quæ consecuta est, examinetur, et sic eis *clementia impertiatur*". Item *Nicænum I* (can. 12): "Quotquot, metu et lacrymis atque pœnitentiâ, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant, hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent. Postmodum vero licebit Episcopo de his *aliquid humanius cogitare*".

(c) *Ex concessione indulgentiarum* iis qui Apostolorum basilicas Romæ visitabant, quatenus videlicet hæc peregrinatio partem canonicæ pœnitentiæ redimebat. Multi tenent eas a *Gregorio M.* († 604) primum concessas fuisse, ut refert *S. Thomas*[1]; alii tamen putant eas nonnisi postea ab ejus successoribus institutas fuisse; quidquid sit, institutio hujusmodi antiqua est; ait enim *Bonifacius VIII*, in Bullâ *Sublimi*: "Sollicitâ meditatione discutimus qualiter B. Gregorius pluribus Urbis Ecclesiis primo, prout tradit antiquitas, et alii postmodum R. Pontifices prædecessores nostri diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt". Certum est pariter, sæc. IX, *Sergium II* concessisse visitantibus Ecclesiam SS. Sylvestri et Martini, in festivitatibus plurium sanctorum, indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum. Iterum in sacramentario *Valicelliano*, eodem sæculo exarato, mentio fit indulgentiæ quorumdam dierum et annorum. Sæc. XI, *Leo IX* iis qui convenerant ad consecrationem ecclesiæ metropolitanæ Bisuntinæ tertiam partem pœnitentiæ suæ condonavit.

(d) Ex concessione indulgentiarum *Crucigeris*, qui arma sumerent adversus Infideles; ita *Urbanus II* in C. *Claromontensi* (can. 2) decrevit: "Quicumque pro solâ devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentiâ ei reputetur". Indulgentia hujusmodi fuit etiam concessa iis qui adversus hæreticos pugnarent, præsertim Albigenses. Jam sæc. XIII, C. *Lateranense* IV (1215) decrevit ne nimium indulgentiæ extenderentur, sicque abusus præcaverentur.

(e) *Ex institutione jubilæi.* Initio sæculi XIV jubilæum

[1] In IV dist. 20, q. 1, a. 3. sol. 2.

institutum vel confirmatum est a *Bonifacio VIII*, qui plenariam indulgentiam aliosque spirituales favores concessit pro anno 1300 et quolibet sequenti centesimo anno; postea *Clemens VI* decrevit ut jubilæum celebraretur quolibet quinquagesimo anno, incipiendo a 1350; tandem *Paulus II* voluit ut locum haberet quolibet vigesimo quinto anno, incipiendo a 1475. Ex quibus omnibus colligitur quantum decipiantur Protestantes qui, cum *Chemnitio*[1] dicunt catholicos " non posse vel ulla Patrum testimonia, vel ulla veteris Ecclesiæ exempla proferre, quod talis doctrina vel usus talium indulgentiarum ullo unquam tempore usque ad annos post natum Christum 1200 in veteri Ecclesiâ fuerit ".

206. *Rat. theol.* Ut indulgentiæ concedi possint, duo requiruntur et sufficiunt : ut adsit spiritualis thesaurus ex superabundantibus satisfactionibus Christi Sanctorumque conflatus; ut ex eodem aliquid fidelibus communicari possit a legitimis superioribus ; atqui hæc duo constant : (a) *prius;* nam certum est Christi satisfactiones, utpote infiniti valoris, superabundantes fuisse : non enim " guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse[2]; sicque spiritualem satisfactionum thesaurum Ecclesiæ acquisivit. Præterea nonnulli inter Sanctos plura opera satisfactoria peregerunt, quam ad satisfaciendum pro propriis peccatis necessaria erant : sic B. Virgo, quæ nunquam, ne venialiter quidem, peccavit, et aliunde multa perpessa est; virgines, quæ angelicam potiusquam humanam egerunt vitam; martyres, qui, post vitam innocentem, tam acerbos cruciatus patienter sustulerunt; aliique multi, qui, ab omni mortali peccato liberi, membra sua indesinenter mortificaverunt, operibus suis satisfactoriis, in unione cum Christo peractis, thesaurum Ecclesiæ auxerunt. (b) *Posterius* etiam probatur; nam, vi *communionis sanctorum*, omnes Fideles sub uno capite Christo ita intime colligantur, ut unum cor-

[1] In p. 4 ex. Conc. Trident. -- Cfr. *Theodorus a S. Spiritu*, Tractatus historico-theologicus de Jubilæo, Romæ, 1750; *Béringer*, op. cit. t. I, p. 477 sq. — [2] *Clemens VI*, Extrav. *Unigenitus*.

pus efforment, proindeque omnia justorum bona opera sint veluti singulorum propria, et in eorum utilitatem cedere possint : "Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus ... Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra"[1]. Jamvero, si res ita se habet, satisfactiones Christi et Sanctorum supereffluentes in alios, qui divinæ justitiæ sunt debitores, derivari possunt; nam, ut ait *S. Thomas*[2], "ea quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini præest; unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur".

Res comparatione illustratur. In Republicâ bene ordinatâ Præsidi potestas inest legum et pœnarum severitatem aliquando emollire, quando id postulant bonum commune, vel rei emendatio certis signis manifestata; atqui Ecclesia est societas bene ordinata, imo nobilior et perfectior aliis societatibus, quum bonum supernaturale animarum promoveat; ergo decebat ut Ecclesiæ præsides potestate gauderent aliquid de spiritualibus debitis justâ de causâ condonandi.

207. (C) *Solvuntur diffic.* (a) Indulgentiarum concessio liberat hominem a debito satisfaciendi, proindeque sacramentum Pœnitentiæ mutilat, quod satisfactionem aliquam involvit; ergo rejicienda est.

Resp. Nego suppositum, nam indulgentiæ prudenter concessæ non eximunt pœnitentem a sacramentali vel extra-sacramentali satisfactione, sed sincere contritis conceduntur ut habeant ex quo promptius et efficacius satisfaciant. Nemo enim indulgentias lucrari valet nisi opera quædam præscripta peragat, et sincere pœniteat.

(b) *Instant :* Facilitas per aliquot preces vel opera pro omnibus peccatis satisfaciendi spiritualem socordiam generat, quum nulla proportio sit inter opera præscripta et pœnam remissam.

Resp. Nego subsumptum : nam opera exteriora, quæ præscribuntur, licet in se levia sint, supponunt interiores dispositiones contritionis et firmi propositi, quæ socordiam excludunt; nam, ut ait

[1] *I Cor.* XII, 12-26. — [2] Supp. q. 25, a. 1.

Cajetanus (De suscipient. indul. q. 1), non prosunt indulgentiæ negligentibus satisfacere per se ipsos, quoniam indigni sunt indulgentiâ, sed illis quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita. Ita v. g. plenariam indulgentiam non lucratur, nisi qui ab omni affectu ad venialia immunis est. His autem positis, facilitas operis injuncti est potius quædam quasi illecebra, quâ pœnitentes ad perfectas dispositiones interiores comparandas inducuntur : et ita promovetur cordis contritio, orationis studium, sacramentorum frequentatio ac operum misericordiæ praxis.

(c) *Instant* iterum : concessio indulgentiarum eo tendit ut tempus purgationis in hâc vel alterâ vitâ minuat; atqui hoc est contra ordinem a Deo intentum[1].

Resp. Nego minor.; Deo enim, qui animas pœnitentes diligit, nihil magis acceptum est quam hoc purgationis tempus minuere; ex unâ quidem parte, ut sapiens *Legislator*, statuit ut nemo regnum cœlorum ingrederetur nisi post solutionem pœnæ peccato debitæ; ex alterâ autem, ut misericors *Pater*, pœnitentibus vult parcere; si quis igitur pro aliis satisfaciat, aut, indulgentias concedendo, eis præbeat unde satisfaciant, opus Deo gratum facit, eum sc. juvando ut justitiæ misericordiæque jura conciliet.

(d) Indulgentiarum concessio innumeris abusibus occasionem præbuit; Romani enim Pontifices, sine ullâ ratione, centum, mille ampliusque annorum indulgentias largiri non erubuerunt, imo eas pro pecuniâ vendere, sic turpissimum simoniæ crimen committendo. *Resp.* Aliquos irrepsisse abusus in indulgentiarum concessione et prædicatione non diffitemur; sed isti abusus nec universales nec frequentes fuerunt, et pluries a R. Pontificibus et Conciliis reprobati sunt; ita sæc. XI, *Gregorius VII* Lincolniensi Episcopo indulgentiam delictorum roganti, annuit eâ tamen lege ut bonis operibus inhærendo commissos excessus plangeret[2]; sæc. XII *Gregorius VIII*, Beneventi fidelibus declaravit tutius esse ut agerent pœnitentiam quam vel tertiæ partis pœnitentiæ remissionem obtinerent; sæc. XIII, C. *Lateran. IV* quorumdam Episcoporum in concedendis indulgentiis laxitatem redarguit; et *Tridentinum* (sess. XXV de Indulg.) statuit ut sanctarum indulgentiarum munus sancte et

1 Huc redit argumentum a *Littledale* propositum (op. cit. p. 109) : "Has animas Deus diligit, easque in Purgatorio detinet, non ut pœnas luant, sed ut purificentur. Fidenter admittimus Deum eas punire maxima misericordia, lenitate, et efficacia. Hinc earum e Purgatorio intempestivus egressus nihil emolumenti eis affert, nisi tamen admittatur Ecclesiam Romanam sapientiorem ac benigniorem esse ipso Deo, eamque victimas ex divinis manibus, ut ita dicam, eripere!"

2 Cf. *Baronius*, Annales ecclesiast. ad an. 1703, n. 71; *Drouin*, l. cit. § 4, ubi hæc et alia facta referuntur.

incorrupte omnibus fidelibus dispensaretur, omnesque proscripsit abusus qui ignorantiâ vel superstitione in diversas diœceses irrepserant. Jamvero res in se bona et utilis eradicari non debet propter nonnulla incommoda quæ ex eâ oriuntur, sed ipsa incommoda præcavenda sunt, in quantum fieri potest; quod quidem Ecclesia datâ opportunitate præstitit.

Quod autem additur circa indulgentiarum venditionem, falso nititur supposito. Pecunia, quæ interdum erogabatur aut etiam nunc aliquando erogatur, v. g. occasione jubilæi, ad lucrandam indulgentiam, non est nec unquam fuit indulgentiæ pretium; erat siquidem eleemosyna tanquam pium opus præscripta, et in bonos usus convertenda, ad Turcas debellandos qui Europæ pacem turbabant, ad templorum, hospitalium aliorumque hujusmodi institutorum erectionem et dotationem. Aliunde nonnisi paucæ indulgentiæ sub hâc conditione conceduntur; pleræque enim nonnisi opera mere spiritualia exigunt[1].

208. (D) *Corollaria.* (a) *Indulgentiæ fidelibus defunctis in purgatorio detentis applicari possunt per modum suffragii*, i. e., non per modum absolutionis, sed per modum satisfactionis et solutionis debiti, quatenus satisfactiones Christi et Sanctorum in Ecclesiæ thesauro reconditæ, Deo offeruntur in compensationem pœnæ a defunctis luendæ. " Non enim est aliqua ratio, ait *S. Thomas*[2], quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos et non in mortuos ". Nam Christus pro omnibus satisfecit, ejusque satisfactiones tam vivis quam defunctis applicari possunt ab eo qui legitimâ auctoritate gaudet. Revera R. Pontifices, jam saltem a sæc. IX, hujusmodi indulgentias concesserunt; ita *Joannes VIII* (878) et *Joannes IX* (900).[3] Hinc *Pius VI* ut falsam, temerariam et

[1] Nonnulli Protestantes ulterius progrediuntur, et ut certum asserunt absolutionem a peccatis pro pecuniâ vendi; in cujus probationem exhibent *Cancellariæ taxas*, quæ solvi debent quando absolutio a censuris exquiritur. Hic autem duo plane distincta confundunt, absolutionem *a peccatis* in foro interno, quæ nunquam pecuniâ comparari potest; et absolutionem *a censuris* in foro externo, pro quâ quandoque eleemosyna exigitur sive ut solvantur *expensæ* ad litterarum absolutionis expeditionem, sive tanquam caritativa compensatio pro scandalis datis: quo casu pecunia sic collecta in pios usus est eroganda. Quod præclare confutat *J. H. Newman* (op. cit. p. 112-113).

[2] *Suppl.* q. 71, a. 10.

[3] Cf. *Mabillon*, præf. in sæc. VI Bened. n. 108.

piarum aurium offensivam damnavit propositionem Synodi Pistoriensis asserentis " luctuosius adhuc esse quod chimærica isthæc applicatio (indulgentiarum) transferri volita sit in defunctos. " (*Denzing*. n. 1405).

Attamen hujusmodi potestas ita exercetur ut hæ indulgentiæ directe vivis per modum juridicæ *absolutionis*, indirecte tantum mortuis applicentur, per modum *solutionis* debiti. Nam, ut ait *S. Thomas* (l. cit.), directe et principaliter ille indulgentiam accipit qui facit hoc pro quo indulgentia datur; unde cum mortui non possint facere aliquid horum quæ præscribuntur, eis directe indulgentiæ valere non possunt. Huc ergo redit concessio indulgentiæ pro defunctis ut, vi auctoritatis Ecclesiæ, fidelis vivus, qui pium opus præstat, cui annectitur, possit defunctis applicare remissionem pœnæ quam, lucrando indulgentiam, acquirit.

209. (b) *Indulgentiæ vim habent non solum coram Ecclesiâ ad tollendas pœnas canonicas, sed etiam coram Deo ad remittendas pœnas temporales peccatis debitas.* Certum est ex damnatione contrariæ sententiæ quam propugnaverat Syn. *Pistoriensis*[1]. Nam, ut recte animadvertit *S. Thomas*[2], adversariorum opinio est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est ut quod in terrâ remitteret, in cœlo remitteretur. Unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias concedens magis damnificaret quam adjuvaret, quum in purgatorio pœnæ essent tolerandæ quas in terrâ remitteret.

Gratias igitur Christo, qui de sanguine suo medicamentum fecit ægrotis, unde non solum a peccatis nostris sed etiam a pœnâ eisdem debitâ liberari valemus!

[1] Ap. Denzinger, n. 1403. — [2] *Sup*. q. 25, a. 1.

De Extrema Unctione.

Auctores consulendi.

Inter **Patres** : **Innocentius I** († 417), Epistola ad Decentium; **Sacramentale Gregorii**, offic. fer. in Cœnâ Domini.

Inter **Theologos** : *Sæc. XII*, **P. Lombardus**, Lib. IV Sententiarum ejusque Commentatores; *sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.**, O. P., Supplement., q. 29-33, ejusque Commentatores; *sæc. XVII*, **Suarez**, S. J., disp. 39-44; **Bellarminus**, S. J., Controv. de Ex. Unctione; **Nic. Serarius**, S. J., († 1609), Disput. de sacr. Ex. Unctionis; **A. Victorelli**, De Ex. Unctione, Patavii, 1609; **G. Drapier**, Tradition de l'Eglise touchant l'Ex. Onction, Lyon, 1699; **J. Launoy**, De sacr. Unctionis infirmorum, Paris, 1673; **Sainte-Beuve**, Tr. de sacram. Unctionis infirmorum extremæ, 1686 (ap. *Migne*, Theol. Curs., t. XXIV); *sæc. XVIII*, **Benedict. de Gaetanis**, De supremâ Unctione liber historico-dogmaticus; **Drouin**, **Billuart**, aliique jam superius commemorati; *sæc. XIX*, **Perrone**, **De Augustinis**, **Billot**, **Tepe** aliique jam allegati; **Schmitz**, De Effectibus sacr. Ex. Unctiones dissertatio historico-dogmatica, Friburgi Brisgov., 1893.

Inter **Protestantes** : **Dallæus**, De duobus Latinorum ex Unctione sacramentis; **Blunt**, **Morgan Dix**, op. cit.; **Woldike**, De unctione fidelium, 1732; **Lichtenberger**, op. cit., t. X, p. 1 ed. 1881.

Excerpta ex Decreto ad Armenos.

Quintum sacramentum est Extrema Unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet; qui in his locis ungendus est : in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc : Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc., deliquisti; et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos. Effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit beatus *Jacobus*

apostolus: "Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei".

Tridentini Decreta et Canones de sacramento Extremæ Unctionis.

(Sess. XIV[1].)

Visum est autem Sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentiâ adjungere ea quæ sequuntur de sacramento Extremæ Unctionis: quod non modo Pœnitentiæ, sed et totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremæ Unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiduciâ etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.

CAP. 1. De institutione sacramenti Extremæ Unctionis.

Instituta est autem hæc Unctio infirmorum, tanquam vere et proprie sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum: "Infirmatur, inquit, quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei". Quibus verbis, ut ex Apostolicâ traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam, quo invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat: formam deinde esse illa verba: "Per istam unctionem, etc."

[1] Trident. Patrum de his canonibus animadversiones vide ap. *Theiner*, op. cit., vol. I, p. 590 sq.

CAP. 2. De effectu hujus sacramenti.

Res porro et effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: "Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei". Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

CAP. 3. De ministro hujus sacramenti, et tempore quo dari debeat.

Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum qui et suscipere, et ministrare hoc sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam et ostenditur illic, proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde et sacramentum *exeuntium* nuncupatur. Quod si infirmi, post susceptam hanc Unctionem, convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nullâ ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem; et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitivâ Ecclesiâ referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse; et denique, qui hanc Extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hâc administrandâ Unctione, quantum ad ea, quæ hujus sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus præscripsit. Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus sancti injuriâ esse posset.

Can. 1. Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum : A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni : A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem : A. S.

Objectum et divisio Tractatus.

Vita spiritualis, per Baptismum data, in Confirmatione roborata, et per Eucharistiam enutrita, amitti potest per peccatum mortale, ad quod tollendum sacr. Pœnitentiæ ordinatur; quum vero Extrema Unctio sit Pœnitentiæ complementum, de eâ disserendum habemus, videlicet de *notione et existentiâ*, *materiâ et formâ*, *effectibus*, *ministro* et *subjecto* hujus sacramenti.

Art. I. Notio et existentia.

I. Definitio.

1. 1° *Quoad nomen.* Illud sacramentum varia sortitum est nomina : (**a**) a *materiâ*, ex quâ constat vocatur *Oleum S.*, *Oleum benedictionis*, sacramentum *Sacræ Unctionis*, *sacrati olei unctio*, etc.; (**b**) a *materiâ et formâ* simul, nuncupatur a Græcis εὐχέλαιον i. e. oratio cum oleo; (**c**) a *subjecto* in quo recipitur, vocatur *unctio infirmorum*, aut *Extrema Unctio;* (**d**) ab *effectu*, dicitur animæ corporisque *medicina*, *liquor* quo sanitas redditur, peccata dimittuntur.

2. 2° *Quoad rem*, definitur : *Sacramentum N. L. quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis, christiano periculose ægrotanti confertur animæ sanitas, atque etiam corporis, si animæ saluti expediat.*

Verba *per unctionem*, etc., designant *materiam* remotam, scil. oleum, et proximam, unctionem, et insuper *formam*, videlicet orationem sacerdotis; verba subsequentia *christia-*

no, etc., *subjectum* designant; et ultima verba *effectum* principalem exprimunt, sanitatem animæ, et secundarium, seu sanitatem corporis.

II. Existentia[1].

3. 1° *Errores.* *Waldenses*, *Wiclefistæ* et *Hussitæ* plus minusve contempserunt sacr. E. Unctionis. *Albigenses* ejus existentiam negaverunt. *Lutherus*[2] admisit quidem illam unctionem ut ritum sacramentalibus similem, sed negavit eam esse sacramentum solis periculose ægrotantibus ministrandum. *Calvinus*[3] longius processit et audacter asseruit Ex. Unctionem histrionicam hypocrisim esse. Hodie *Protestantes* omnes, Ritualistis exceptis[4], illud sacramentum prorsus rejiciunt, contenduntque verba S. Jacobi intelligenda esse de dono sanandi morbos corporales, quod primo sæculo pluribus conferebatur.

4. 2° *Thesis:* **Unctio est verum et proprie dictum sacramentum N. L. a Christo institutum, et a S. Jacobo promulgatum.** *De fide est, ex Trident.* (sess. XIV, can. 1): "Si quis dixerit E. Unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum: A. S."

(A) *Script.* "Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et, si in peccatis sit, remittentur ei"[5]. Notamus *infirmatur* ἀσθενεῖ de gravi morbo afflictis prædicari, quod confirmatur ex verbo κάμνοντα *(infirmum)* quod infra adhibetur et significat periculose decumbentem; vox *presbyteros* designat sacerdotes rite ordinatos, ut ex locis parallelis liquet[6] (*infra*, n. 23); *oratio fidei* non orationem

[1] *S. Thom.*, Suppl. q. 29, a. 1-3; *Suarez*, disp. XXXIX; *Bellarminus*, de Ex. Unctione, c. 1-6; *Drouin*, de sacr. Ex. Unct. q. 1; *St Beuve*, disp. 1-11; *de Augustinis*, art. 1; *Corluy*, Spicileg. vol. II, p. 453 sq.

[2] De Captiv. Babyl. c. de Ex. Unct. — [3] Instit. l. IV, c. 19, § 18.

[4] Horum doctrinam expositam vide apud *Blunt*, op. cit. p. 213 sq.; *Morgan Dix*, op. cit. p. 103.

[5] *Jac.* V, 14-15. — [6] *Act.* XIV, 22; XV, 2; *I Tim.* IV, 14; V, 17, 19.

infirmi significat, ut volunt quidam Protestantes, sed orationem presbyterorum.

Unde sic : ad sacr. N. Legis tria requiruntur et sufficiunt, signum sensibile, gratiæ productivum, a Christo permanenter institutum. Atqui hæc tria inveniuntur in unctione a S. Jacobo descriptâ : (a) *signum sensibile*, oratio et unctio "*orent* super eum, *ungentes* eum *oleo*"; (b) *gratiæ productivum*, nam dicitur : "oratio fidei salvabit infirmum etc."; quæ quidem verba intelligi possunt de sanitate corporis, sed sequentia de gratiæ collatione interpretari debent; vox enim *alleviabit* ἐγερεῖ sæpe de erectione animi intelligitur[1], et quum S. Jacobus jam de sanitate corporis locutus fuerit, vox "alleviabit" significat dari infirmo vires ad erigendum ejus animum contra tentationes, doloresque patienter tolerandos; quod fieri nequit sine gratiâ, quæ, ut ait *Trid.* (l. c. cap. 2), "ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando"; aliunde ultima verba "si in peccatis sit, remittentur ei" omnem æquivocationem tollunt, quum peccata sine infusione gratiæ remitti nequeant. Nec dici potest hic agi de dono curandi morbos; nam si ageretur de tali dono, non presbyteri vocandi essent, sed illi qui donum curationum habebant; insuper si de miraculis ageretur, non deberet præscribi certa materia, quia hoc relinquebatur divinæ inspirationi quæ modo hanc, modo illam suggerebat materiam; nec addendum fuisset, "si in peccatis sit" etc., nam qui donum miraculorum exercebant nullomodo peccata remittebant per exercitium hujus potestatis : ergo; (c) *permanenter a Christo institutum*; solus enim Deus signo sensibili gratiam alligare potest, et licet non legatur in Evangelio Christum hoc sacramentum instituisse, hoc tamen ex textu S. Jacobi indirecte deduci potest, ut docet *Trident.*; permanentia autem hujus ritûs infertur ex eo quod verba S. Jacobi sint generalia et naturaliter ad omnia tempora sese extendant, et insuper Traditione probatur.

5. (B) *Tradit.* (a) ex *Patribus*; jam sæculo III, *Origenes* E. Unctionem commemorat[2]; enumeratis enim sex *mo-*

[1] *Rom.* XIII, 11; *Ephes.* V, 14 in textu græco.— [2] Homil. 2 in Levit. n. 4.

dis quibus peccata remitti possunt, septimum indicat, sc. pœnitentiam, sub illâ complectens tum sacr. Pœnitentiæ, tum sacr. E. Unctionis, quum ad verba S. Jacobi provocet, "si quis infirmatur". Sæculo IV, *S. Chrysost.* de presbyteris dicit: "neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur inter vos aliquis..."; ex quo apparet Sacerdotes peccata remittere dum unctionem a S. Jacobo descriptam perficiunt. Sæculo V, celebre est *Innocentii I* testimonium, in quo, post relata S. Jacobi verba, ait: "quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis ungi possunt"; postea addit: "pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti"[1].

(b) Ex consensu utriusque Ecclesiæ, latinæ et græcæ, etiam schismaticæ et sectarum orientalium[2], quem admittere coguntur hodierni Protestantes: ex quo erui potest argumentum præscriptionis (*de Sacram. in genere*, n. 23).

6. *Objicitur* quidem veteres sex priorum sæculorum scriptores, dum piorum mortes accurate describunt, nullam E. Unctionis mentionem facere. Sed illud argumentum non valet; nam in his opusculis multa tacentur quæ tamen peracta sunt; sic sæpe sæpius viatici administratio non commemoratur, licet sub gravi præscriberetur; insuper unctio infirmorum, a Christo instituta tanquam consummatio christianæ pœnitentiæ, non autem ut quid absolute necessarium, non videtur in usu fuisse apud quoslibet, sed solum apud eos qui peccatorum conscii erant, ut eruitur ex vitâ S. Adelhardi a Paschasio Radberto scriptâ; tandem plurimi ex illis e vitâ subito et absque ægritudine excesserunt, quin inungi potuissent, alii autem mortui sunt *in pœnitentiâ*, ut narratur, et sub hoc nomine generico comprehenditur etiam E. Unctio, utpote pœnitentiæ perfectio. Aliunde nil prohibet aliquem progressum in hâc re, sicut in multis aliis, admitti posse.

7. (C) *Rat. theol.* Christus instituit sacramenta ut fidelibus subveniret in præcipuis vitæ circumstantiis, præcipuisque difficultatibus; atqui in mortis articulo speciales adsunt difficultates, v. g. anxietates propter peccata præte-

[1] Ep. ad Decentium. Hæc et alia permulta testimonia lege apud *Ste Beuve* op cit., disp. I, art. III.

[2] Probationes hujus consensus vide in opere *Perpétuité de la foi*, ed. *Migne*, t. III, 915 sq.; *Martene*, op. cit.

rita, pugnæ contra tentationes diaboli quæ in illo ultimo instanti vehementius urgent, timor judicii et incertitudo futuri status ; ergo conveniebat omnino ut Christus illis specialibus difficultatibus succurreret per speciale sacramentum, scilicet Ex. Unctionem.

8. 3° *Tempus institutionis.* (A) Quidam Theologi, inter quos *Maldonatus*, putaverunt sacramentum Ex. Unctionis institutum fuisse, quando Christus primâ vice Apostolos misit in Galilæam prædicare ; dicitur enim : " Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant " [1].

(B) Plerique autem docent illam unctionem fuisse quidem adumbrationem Ex. Unctionis, sed sacramentum ipsum non fuisse institutum nisi post Resurrectionem. Etenim, (a) unctio, de quâ agitur apud Marcum, ab Apostolis nondum ordinatis conferebatur ; atqui Ex. Unctio a solis sacerdotibus ministrari potest ; (b) unctio illa directe ad morborum curationem ordinabatur, ac proinde ad potestatem patrandi miracula, non autem ministrandi sacramenta referri debet ; (c) tandem *Trid.*, cap. 1, declarat hoc sacramentum fuisse a Christo institutum, apud Marcum *insinuatum* et per Jacobum *promulgatum;* jam vero vox "*insinuatum*" non eadem est ac institutum, sed solum significat tale sacramentum fuisse adumbratum per actionem de quâ fit mentio apud Marcum.

Art. II. De materiâ et formâ Ex. Unctionis.

I. De materiâ[2].

9. 1° *De materiâ remotâ.* (A) *Materia remota est oleum olivarum.* Certum est : (a) *Script.*, ubi dicitur : " Ungentes eum *oleo*"; atqui oleum simpliciter est oleum ex olivis. (b) *Florent.* : " Quintum sacramentum est Ex. Unctio, cujus materia est *oleum olivæ*". (c) Illa materia est omnino *conveniens*, quia optime significat effectum hujus sacramenti, et ejus modum operandi ; sicut oleum mitigat dolores corporis, sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini pabulum præbet, ita Ex. Unctio animæ tristitiam et dolores mitigat, spiritualem sanitatem restituit, gaudium spirituale affert, et spem nostram nutrit ; pariter sicut oleum in suo

[1] *Marc.* VI, 13.

[2] *S. Thom.*, q. 29, a. 4-6 ; *Suarez*, disp. XL, sect. 1-2 ; *Bellarm.*, c. 7 ; *Drouin*, q. II ; *Ste Beuve*, disp. III ; *de Augustinis*, a. 2 ; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 708 sq. ; *Lehmk.* 569 sq. ; *O' Kane*, Notes on the Rubrics, n 852 sq.

modo operandi est simul lenitivum et penetrativum, ita Ex. Unctio modo suavi animæ dolores lenit, et usque ad ima nostri cordis penetrat, ad ejus angores morbosque curandos (*S. Th.* Sup. q. 29. a. 2).

(**B**) Illud oleum debet esse *ab Episcopo benedictum*, saltem in Ecclesiâ Latinâ, non solum ex necessitate præcepti, sed etiam ad validitatem, ut constat ex decreto *S. Officii* (1842) declarantis temerariam et errori proximam esse propositionem asserentem "hoc sacramentum valide ministrari posse cum oleo episcopali benedictione non consecrato". Attamen simplex sacerdos a S. Pontifice delegari posset ad oleum benedicendum, ut constat ex usu Ecclesiæ græcæ, in quâ presbyteri, probante R. Pontifice, extremam unctionem conferunt cum oleo a se benedicto.

(**C**) Insuper probabiliter asseritur illud oleum benedicendum esse benedictione *speciali*, ita ut non sufficeret adhibere oleum catechumenorum vel S. Chrisma [1]; attamen in casu necessitatis, deficiente oleo infirmorum, posset adhiberi sub conditione alterutrum, et postea, si moribundus superviveret, iterum ungendus esset cum oleo infirmorum, pariter sub conditione.

(**D**) Oleum infirmorum debet *renovari* quotannis, idque sub *gravi*, saltem probabilius, et vetus comburendum est. Si autem oleum in eo est ut brevi deficiat, ei admisceri potest oleum olivarum non benedictum, in minori tamen quantitate, et id pluries fieri potest. — In loco nitido et decenter ornato servetur, in vase argenteo vel stanneo, regulariter in ecclesiâ vel sacristiâ, excepto casu quo parochi domus multum ab ecclesiâ distat [2], vel adest alia causa urgens, v. g. periculum ne infirmi, grassante peste, sacramento priventur.

---

[1] Triplex distinguitur oleum sanctum in Cœnâ Domini ab Episcopo benedictum : oleum *infirmorum*, ad inungendos infirmos et campanas ungendas externe ; oleum *catechumenorum*, ad catechumenos ante Baptismum inungendos, manus neo-sacerdotum consecrandas, aliasve consecrationes perficiendas ; *chrisma*, quod adhibetur in Confirmatione, in cæremoniis Baptismi post factam ablutionem, variisque consecrationibus, v. g. calicis, campanæ (interius). Cf. *Sabetti*, 822.

[2] *S. Rit. Cong.* apud *Collect.* n. 1144.

10. 2° *De materiâ proximâ.* (**A**) *Materia proxima est unctio olei ab Episcopo benedicti. Certum est.*

Ex Rituali septem sunt unctiones faciendæ, saltem regulariter, sc. (**a**) in *oculis*, sc. palpebris vel superciliis; (**b**) in *auribus*, non interius, sed in parte inferiori; (**c**) in *naribus;* (**d**) in *ore*, compressis labiis; si os concludi nequeat, unum e labiis ungere sufficit; (**e**) in *manibus*, extra pro sacerdote, (quum jam interius consecratæ fuerint) intra pro aliis, (**f**) in *pedibus*, in plantis, aut supra pedes, prout fert consuetudo; (**g**) in *renibus;* quæ ultima unctio semper in feminis omittitur, et aliquando in viris, quando commode moveri non possunt. Si aliquod organum sensuum desit, ungatur pars vicinior.

11. (**B**) Ab omnibus admittitur duas ultimas unctiones in pedibus et in renibus non esse necessarias ad validitatem; sed controvertitur utrum ad validitatem requirantur unctiones quinque sensuum, aut sufficiat unica unctio. Hodie probabilior videtur opinio asserens unicam sufficere unctionem; (**a**) quia *Script.* simpliciter dicit "ungentes eum", et *Trid.* de unâ tantum unctione loquitur; (**b**) insuper *historice* constat modo unam, modo duo vel tres unctiones fuisse adhibitas in Ecclesiâ tum Græcâ, tum Latinâ [1]; (**c**) tandem quædam *ritualia* præscribunt unicam unctionem tempore pestis faciendam esse. Attamen in *praxi*, secluso necessitatis casu, quinque unctiones nunquam omittendæ sunt, et quidem sub gravi, cum tutior pars sequenda sit, ubi agitur de validitate sacramentorum. In casu autem necessitatis si timeatur ægrotum moriturum esse antequam quinque unctiones perficiantur, unica unctio fiat in capite, dicendo "Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen." Ita ex decreto *S. Officii* a *Pio X*, 26 april. 1906, approbato. Si ægrotus supervixerit, sub conditione repetendæ sunt unctiones in singulis sensibus.

[1] Unde *Benedictus XIV* (De Synodo, l. VIII, c. 3, n. 2) ait: "Huic opinioni validissimum fundamentum præbet diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis suâ ætate viguisse affirmat Albertus Magnus". Cf. *Martene*, op. cit. l. I, c. 7, a. 3; *Ballerini-Palmieri*, 14.

(C) *Gemina* unctio in *geminis sensibus* non est necessaria ad validitatem, sed ad liceitatem tantum, sub gravi, extra casum necessitatis ; unica tantum forma adhibeatur, cum duplici cruce, una in singulo membro, incipiendo a dextro.

(D) Ordo inter unctiones est pariter de necessitate præcepti tantum.

(E) Regulariter unctio fieri debet per immediatum manus contactum ; sed, peste grassante, adhiberi potest virgula, quæ deinde comburatur. Animadvertit tamen *Capelmann* (op. cit., p. 126), vix ullum adesse contagii periculum, quia oleum impedit quominus morbus transferatur ; ne autem ipsum oleum vitietur, expedit globulum bombaci (*cotton*) oleo madefacere, et eodem tanquam instrumento uti ad omnes unctiones faciendas. Controvertitur autem utrum una gutta olei sufficiat ; in praxi satis est intingere in oleo extremitatem pollicis ad singulas unctiones.

II. De formâ [1].

12. 1° Forma apud *Latinos* est : " Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (auditum, odoratum etc.) deliquisti. Amen." Quæ forma ad singulas unctiones repeti debet. Apud *Græcos :* " Pater sancte, animarum et corporum medice, sana servum tuum hunc ab illâ quæ detinet illum, corporis et animæ infirmitate ".

13. 2° Forma deprecatoria esse debet, juxta *Rit. Rom.*, et non simpliciter indicativa, saltem ex præcepto ; controvertitur autem utrum hoc sit etiam necessarium ad validitatem : (A) Quidam valde probabiliter negant, quia in nonnullis antiquis Ritualibus forma est indicativa ; atqui nemo dicere audebit administrationem hujus sacramenti per plura sæcula invalidam fuisse ; ergo [2].

(B) Alii affirmant (a) ex verbis *S. Jacobi* dicentis : " Et orent super eum . . . . et oratio fidei salvabit infirmum " ;

[1] *S. Thom.* q. 29, a. 7-9; *Suarez*, l. c. sect. 3; *Bellarm.* l. c.; *Drouin*, q. III; *Ste Beuve*, disp. IV; *de Augustinis*, l. c.; *S. Alphonsus*, 711 sq.; *Lehmk.* n. 573; *O' Kane*, 897 sq.

[2] Ita *Albertus M.*, *Durandus*, *Juenin*, *Drouin*, multique alii quos commemorat atque approbare videtur *Bened. XIV*, De Synodo, l. VIII, c. 2, n. 2.

(b) ex *praxi* utriusque Ecclesiæ, Græcæ et Latinæ, in ritualibus et conciliis consignatæ. Formæ indicativæ quæ objiciuntur, implicite orationem continent, quum orationibus præcedantur [1]; (c) accedit *rat. conv.* Nam suscipiens sacramentum est jam viribus destitutus, et orationibus sublevari indiget; insuper hoc sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum *indulgentiæ* quod in sacramento Pœnitentiæ obtineri non potuit per modum justitiæ; atqui quod postulatur per modum indulgentiæ sub formâ deprecativâ postulari debet; ergo. Tandem hoc sacramentum ordinatur ad sanitatem restituendam ægrotis; atqui sanitas, utpote bonum temporale, non absolute, sed modo deprecatorio postulanda est; ergo. (*S. Th.* Sup. q. 29, a. 8). Utraque autem opinio facile conciliatur, si admittatur Christum non determinavisse formam hujus sacramenti in specie, sed hanc potestatem Ecclesiæ reliquisse. In *praxi*, forma deprecatoria adhibenda est, prout a Rituali præscripta.

14. 3° Verba, quæ communiter ut essentialia requiruntur, sunt : *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Ex recenti decreto *S. Officii*, 26 april. 1906, ad validitatem non videtur necessaria mentio cujuslibet sensûs; hæc tamen, extra necessitatis casum, requiritur de præcepto gravi. Vox *sanctam*, licet non essentialis, sine peccato veniali omitti nequit.

Art. III. De effectibus Ex. Unctionis[2].

15. Tres sunt hujus sacramenti effectus : 1° *Gratia confortans* animam contra difficultates articulo mortis urgentes; 2° *Remissio culpæ et pœnæ;* 3° *Sanitas corporis*, si animæ expediat. Jamvero quæstio est inter theologos quisnam ex

[1] De quo tamen recte *Bened. XIV*, l. c. : "At nescimus quo pacto possit deprecatio inveniri in aliis formis, ex plurimis antiquis Ritualibus a Menardo et Martene productis, in quibus solum adhibetur verbum *ungo*, absque alio additamento e quo deprecatio colligi aut fingi queat".

[2] *S. Thom.* q. 30; *Suarez*, disp. XLI; *Bellarm.* c. 8; *Drouin*, q. VI; *SteBeuve*, disp. V; *de Augustinis*, a. 5; *Schmitz*, op. cit. p. 61 sq.; *Catech. Trident.* p. 11. de E. Unct. n. 28.

illis effectibus sit primarius; juxta *Scotum*, primarius est remissio peccatorum venialium; juxta *Bellarminum*, remissio non solum venialium sed etiam mortalium quæ per accidens non fuerunt antea remissa; tandem, *juxta S. Thomam*, communioremque sententiam, primarius effectus est gratia confortans et corroborans animam contra torporem et tentationes speciatim urgentes in articulo mortis.

I. De gratiâ confortante.

16. 1° *Existentia. Primarius effectus Ex. Unctionis est gratia confortans animam contra difficultates occurrentes in articulo mortis.* Certum est gratiam confortantem esse unum ex effectibus Ex. Unctionis, et probabilius est eam esse primarium effectum.

(a) *Script.* S. Jacobus describens effectus hujus sacramenti dicit: "Et alleviabit eum Dominus"; i. e. excitabit, confortabit; atqui per illa verba designatur gratia confortans; nam, secundum *Estium* (in h. loc.), "eâ voce significatur liberatio a torpore, mœrore, et anxietate, quâ plerumque ægroti morte vicinâ gravantur, sic ut mentem ad divina non facile queant attollere".

(b) *Tradit.*: "Effectus vero hujus sacramenti, ait *Florentinum*, est mentis sanatio, et in quantum expedit, ipsius etiam corporis"; atqui mentis sanatio effici nequit nisi per gratiam primario confortantem; ergo.

(c) *Rat. Theol.* Effectus hujus sacramenti primarius accipi debet ex fine propter quem fuit institutum; atqui Ex. Unctio, juxta *Trident.*, instituta fuit tanquam spiritualis *medicatio* contra debilitatem animæ in articulo mortis; ergo effectus primarius est gratia roborans animæ debilitatem, non autem remissio peccati, eo magis quia aliud sacramentum directe contra peccatum institutum fuit; medicatio autem supponit vitam spiritualem jam existentem, nec per se illam confert. (*S. Th.* q. 30, a. 1.)

17. 2° *Natura* hujus gratiæ confortantis consistit in augmento gratiæ sanctificantis, per modum alleviationis, cum jure ad gratias actuales speciatim necessarias in articulo mortis; siquidem (a) *spem roborat;* tunc enim dæmon ægrotum conatur a fiduciâ divinæ misericordiæ deturbare,

peccata præterita in memoriam revocando, timorem divini judicii injiciendo, etc.; sacramentum autem Ex. Unctionis ægroti animam alleviat et confortat, ut ait *Trid.*, magnam in eo misericordiæ *fiduciam* excitando. Unde Ex. Unctio sacramentum *spei* dicitur, sicut Baptismus vocatur sacramentum fidei, et Eucharistia sacram. amoris. (b) *Hilaritatem et patientiam* excitat, quâ infirmus morbi incommoda et labores levius ferre potest; spe enim jam erectâ, reminiscitur non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ paulo post in eo revelabitur. (c) *Robur et fortitudinem* contra tentationes dæmonis confert, quæ tunc graviores sunt; quod etiam ipsâ unctione declaratur, quum unctione disponi soleant luctatores et pugiles ad pugnam.

II. De remissione peccati.

18. 1° *Remissio culpæ.* Effectus secundarius Ex. Unctionis est remissio peccatorum quæ supersunt, et pœnæ peccato debitæ.

(A) *Ex. Unctio remittit peccata mortalia quæ supersunt nec possunt remitti per sacramentum Pœnitentiæ, et insuper venialia peccata. Pro venialibus certum est, pro mortalibus communiter admissum.*

(a) Constat ex verbis S. Jacobi: "Si in peccatis sit, remittentur ei"; illa enim verba, utpote generalia, intelligi debent non solum de peccato veniali, sed etiam de mortali, eo magis quia si ageretur de venialibus tantum, prorsus inutile esset hypothetice dicere "si in peccatis sit"; quum, teste eodem Jacobo[1] homines omnes venialiter peccent: "In multis enim offendimus omnes". (b) Ex *Trid.* dicente: "delicta, si quæ sint adhuc expianda, extergit"; et ex ipsis verbis formæ: "indulgeat Dominus... etc., quidquid *deliquisti*"; hic enim idem recurrit argumentum.

(B) Ille tamen effectus *non* producitur *primario*, *nec* solum *per accidens*, sed medio quodam modo, sc. ex *secundaria intentione.* Ita probabilius.

(a) *Non primario;* nam talis effectus est conditionatus: "si in peccatis sit"; atqui effectus primarius non est conditio-

[1] *Jac.* III, 2.

natus, sed modo absoluto producitur, dummodo non sit obex. Aliunde Ex. Unctio est sacramentum vivorum, nec proinde primario remittit peccata mortalia; nec etiam remittit primario peccatum veniale, quia sacramentum *Pœnit.* jam ad hoc institutum fuit et plane sufficit; insuper si primario remitteret venialia, omnibus ministrari deberet, tam sanis quam infirmis.

(b) *Nec per accidens*, sed intentione secundaria; ille enim effectus qui est vi institutionis et ipsius formæ non est solum effectus per accidens; atqui talis est effectus de quo agitur, ex supra dictis; ergo [1]. Ad remissionem mortalium requiritur tamen attritio; ad remissionem venialium eadem dispositio requiritur, juxta quosdam, licet, juxta alios, sufficiat absentia complacentiæ in peccato veniali, cum desiderio effectum sacramenti suscipiendi.

19. 2° *Remissio pœnæ. Ex. Unctio remittit etiam pœnam temporalem peccato debitam, non quidem totam, sed juxta gradum dispositionis in subjecto existentis.*

(A) Nam tale sacramentum a *Trid.* vocatur "consummativum non solum pœnitentiæ, sed et totius vitæ christianæ"; ac proinde nos immediate disponit ad introitum gloriæ; atqui pœna temporalis nos ab ingressu gloriæ retardaret; ergo.

(B) Insuper, juxta idem concilium, Ex. Unctio peccati reliquias abstergit. Atqui, inter reliquias peccati computandæ sunt non solum debilitas animæ, ex peccato proveniens, sed etiam pœna temporalis peccato debita, quæ hominem a capessendâ beatitudine impedit; ergo [2].

III. De sanitate corporis.

20. 1° *Alter effectus secundarius Ex. Unctionis est sanitas corporis, si animæ expediat.*

---

[1] *S. Thom.*, Supp. q. 30, a. 2.

[2] Nomine *reliquiarum peccati* multa intelliguntur: (*a*) debilitas spiritualis ex peccato promanans, et hic est sensus qui prius huic vocabulo a scholasticis affixus est; (*b*) pravi habitus ex peccato relicti: hos ab E. Unctione tolli quidam affirmant contra communiorem sententiam quæ tenet eos minui tantum per gratias actuales in hoc sacramento collatas; (*c*) pœna temporalis peccatis debita; (*d*) imo, juxta quosdam, etiam peccata gravia, quæ forsan in animâ relicta sunt, et venialia delicta.

(A) *Script.* Verba enim *S. Jacobi* "oratio fidei salvabit infirmum", propter suam generalitatem, intelligi possunt, et de facto intelliguntur a Patribus non solum de salute animæ, sed etiam de sanitate corporis.

(B) *Trad.* ex *Florent.* : "Effectus hujus sacramenti est mentis sanatio, et in quantum expedit, etiam corporis". Idem docet *Trid.* : "sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur" (l. c. cap. 2).

21. 2° (A) Ille tamen effectus est conditionalis, ut expresse docetur in textibus allatis. Et merito ; nam sapiens operans non intendit secundarium effectum nisi secundum quod expedit ad principalem ; atqui sanitas corporis non est semper utilis saluti animæ, sed e contra in quibusdam circumstantiis expedit ut quis rapiatur, ne malitia decipiat illius intellectum ; ergo sanitas corporis confertur conditionate tantum, sc. si animæ expediat. (*S. Th.* Sup. q. 30, a. 2.)

(B) Insuper illud sacramentum non reddit sanitatem modo miraculoso, sed solum causas naturales adjuvando, ac vires ægroti sustinendo, ut melius morbum vincere possit. Ad hoc igitur ut talis effectus producatur, necesse est ut Ex. Unctio tempore opportuno ministretur, nec exspectetur donec omnis spes sanationis evanuerit ; et ratio cur de facto tam pauci sanentur ab illo sacramento est quia plerique illud recipiunt solummodo dum sunt in extremis. Sæpe etiam evenit ut morbi levamen aliquod ex sacram. receptione ægroti sentiant, ut medicis optime notum est, etiam hæreticis.

Art. IV. De ministro Ex. Unctionis [1].

22. De ministro Ex. Unctionis tria exponemus : 1° Quisnam sit ; 2° Quænam sint ejus officia quoad administrationem illius sacramenti ; 3° Quænam relate ad visitationem infirmorum?

I. Quisnam sit?

23. 1° *Thesis.* **Solus sacerdos est minister Ex. Unctionis.** *De fide est* ex Trident. infra citando.

[1] *S. Thomas*, Sup. q. 31 ; *Suarez*, disp. XLIII ; *Bellarminus*, c. 9 ; *Drouin*, q. IV, c. 2 ; *Ste Beuve*, disp. VI ; *de Augustinis*, a. 4 ; *S. Alphonsus*, l. VI, n. 722 sq. ; *Lehmk.* n. 575 ; *O' Kane*, n. 902 sq.

(A) *Script.* Expresse enim dicit *S. Jacobus :* "Inducat presbyteros Ecclesiæ". Atqui illa vox intelligi debet non de *senioribus*, ut quidam protestantes dicunt, sed de veris et proprie dictis sacerdotibus ; nam (a) licet vox presbyter (a Græco πρεσβυς) etymologice seniorem significet, tamen de facto in N. Testamento usurpatur ad designandos illos qui sacerdotali charactere insigniebantur, et ecclesiis particularibus præibant [1], et in hoc loco nulla æquivocatio est propter additionem vocis *ecclesiæ* "*presbyteros ecclesiæ*", i. e. qui curam habent illius ecclesiæ (cf. *Tr. de Ordine*, n. 5-8) ; (b) idem apparet ex textu, nam presbyteri illi jubentur orare super infirmum, ungere illum in nomine Domini et per hoc peccata remittere, si quæ sint ; atqui soli sacerdotes potestatem habent remittendi peccata ; ergo ; (c) aliunde sic semper intellexit antiquitas : hinc *Trident.* definivit (can. 4). "Si quis dixerit presbyteros ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos... hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores,... A. S."

(B) *Rat. Theol.* Ex. Unctio est veluti consummatio sacramenti Pœnitentiæ, quum reliquias peccati abstergat ; atqui soli sacerdotes sunt ministri Pœnitentiæ ; ergo.

24. 2° *Ex. Unctio valide ministrari potest tum ab uno tum a pluribus sacerdotibus.*

(A) *Ab uno.* Nam etiamsi S. Jacobus dicat : "inducat presbyteros", illa expressio de uno sacerdote intelligi potest, ut apparet exemplo Christi leprosos sic alloquentis : "Ite, ostendite vos sacerdotibus" [2] ; nam ex lege Mosaicâ sufficiebat ut uni sacerdoti sese ostenderent [3]. Ita in usu communi dicitur : "ad sacerdotes recurrite pro remissione peccatorum, ad medicos pro morbis curandis", i. e. recurrite ad aliquem e sacerdotibus aut medicis. Aliunde constat ex praxi Ecclesiæ Rom. et ex Rituali.

(B) *A pluribus simul*, dummodo tamen unusquisque, aliquem sensum ungendo, proferat formam huic sensui respondentem. Constat ex praxi Ecclesiæ Græcæ, quæ præfatum modum adhibet, quin unquam fuerit reprobatus.

---

[1] *Act.* XIV, 22 ; XV, 22 ; *I Tim.* V, 17-19.
[2] *Luc.* XVII, 14. — [3] *Levit.* XIV, 11.

(C) Attamen in Ecclesiâ Romanâ, regulariter Ex. Unctio ab uno eodemque ministro debet ministrari, et quidem sub gravi. Excipitur autem casus necessitatis, si videlicet infirmus præviderentur moriturus, priusquam unus sacerdos omnes unctiones perficere posset. Item, si sacerdos moreretur, aut deficeret post incœptas unctiones, alius valide et licite complere posset administrationem sacramenti, modo non adesset intervallum unius circiter quadrantis; si autem quadrans elapsus fuerit, repetendæ sunt unctiones ne forte, propter interruptionem, deficiat unitas moralis in hoc sacramento requisita.

25. 3° Ad licitam, non autem validam administrationem hujus sacramenti *requiritur jurisdictio ordinaria, vel delegata;* nam ad proprium pastorem pertinet oves proprias pascere. Hinc (a) peccaret graviter sacerdos, qui sine consensu saltem præsumpto Pastoris, Ex. Unctionem administraret; imo Regulares (i. e. Religiosi proprie dicti vota solemnia edentes) ita agendo excommunicationem incurrerent S. Pontifici simpliciter reservatam; hæc tamen non incurritur nisi in illis locis in quibus adsunt veræ paræciæ verique parochi, proindeque non in Statibus Fœderatis; (b) in casu necessitatis, semper præsumitur consensus, quia tunc parochus non esset rationabiliter invitus.

II. De officiis ministri.

26. 1° *Quoad sacramentum ipsum.*

(A) Pastores, aut alii curam animarum habentes, tenentur ex officio, sub gravi, ministrare Ex. Unctionem subditis periculose ægrotantibus, eamque petentibus, nisi excusentur gravi causâ; imo si procrastinent, cum probabili periculo pro infirmo, peccant graviter. Patet ex dictis in *Tr. de Sacramentis in genere* (n. 104 sq.)

(B) Tenentur etiam, juxta *S. Ligorium* (n. 729), cum proprio vitæ periculo, hoc sacramentum ministrare infirmo qui versatur in mortali peccato, et usu sensuum privatur; tunc enim absolutio data remanet dubia, quum ad validitatem sacr. Pœnitentiæ requiratur, juxta probabiliorem opinionem, attritio modo sensibili manifestata; tenetur igitur Pastor saluti hujus ægrotantis providere alio securiori

modo, ministrando sc. Ex. Unctionem, ad cujus validitatem sufficit attritio interna. Nonnulli tamen theologi negant pastorem ad id teneri cum periculo vitæ, quia spes proximum salvandi in hoc casu certa non est, quum incertum sit utrum moribundus sit attritus [1].

(C) Sacerdotes, qui curam animarum non habent, caritate sub gravi tenentur, deficiente parocho, E. Unctionem ministrare moribundo, qui verisimiliter est in peccato gravi, nec confessionem instituere potest, quia receptio hujus sacramenti moraliter necessaria est ad hujus moribundi salutem.

27. 2° *Quoad cæremonias.* (a) Omittere *omnes* orationes in Rituali præscriptas, ante vel post unctiones, esset peccatum mortale, extra casum necessitatis, quia materia gravis est.

(b) Idem dicendum est regulariter loquendo de actu ministrandi sine vestibus sacris, sc. superpelliceo et stolâ. Attamen, si longum et difficile sit iter, et sacerdos debeat pedibus incedere, sine ullo socio, excusari potest ab obligatione secum deferendi vestem talarem, in his regionibus ubi non habitualiter defertur, solâque uti stolâ.

(c) Veniale est sacramentum ministrare sine lumine, aut sine ministro; justa tamen causa excusat. Nunquam mulier adhibenda est ad officium ministri, et si minister desit, sacerdos ipse orationibus respondeat.

III. De visitatione infirmorum [2].

28. 1° *Obligatio.* Parochi aliique curam animarum habentes, sub gravi tenentur visitare infirmos periculose ægrotantes, etiam post administrationem sacramentorum, et agonizantes juvare, si commode fieri possit. Constat ex *Rit. Rom.*, ubi de visitatione infirmorum, et ratio est quia salus æterna animarum pendet ex modo quo ægroti ultimas difficultates et tentationes superant; jamvero Pastor illos juvare maxime potest tum consiliis tum precibus, tum ipsis largiendo ultimam absolutionem. (Cf. *C. Balt.* II, n. 116.)

[1] *Ballerini*, Opus Morale, n. 45; *Génicot*, n. 421.

[2] *S. Alphonsus*, Praxis Confess., cap. ult. Brevis praxis assistendi infirmis; *Capelmann*, Medic. pastoralis, p. 210 sq.; *Konings*, 1509-1512; *W. Stang*, Pastoral Theology, § 37.

29. 2° *Modus* visitandi infirmos describitur a *Rit. Rom.* (a) Non exspectabit parochus ut vocetur, sed ultro accedet, statim ac noverit unum e suis subditis esse ægrotum; et hortabitur parochianos ut ipsum admoneant statim ac quis infirmatur. (b) Non semel sed iterum infirmum visitabit, prout expediens judicaverit, præsertim pauperes eisque pro modulo suo eleemosynas erogabit. (c) Ægrotos autem visitans, modestiam, honestatem. et gravitatem servabit ut amoveantur non solum pericula, sed etiam suspiciones[1]. (d) Cum prudentiâ et caritate sacramenta proponet, seduloque monebit infirmos Ex. Unctionem, nedum sit mortis impendentis augurium, ad sanitatem corporalem multum conferre. (e) Paratus erit ægrotos ad patientiam hortari, præsertim per exemplum Christi et Sanctorum, illosque munire contra tentationes tunc temporis urgentes.

Art. V. De subjecto Ex. Unctionis[2].

Dicemus 1° De *conditionibus* requisitis ad hoc sacram.; 2° De *necessitate* illud recipiendi; 3° De ejus *iteratione.*

I. De conditionibus requisitis.

30. 1° Ad *validitatem* tres requiruntur conditiones: ut ungendus sit *baptizatus, adultus, periculose ægrotans.*

(A) *Baptizatus:* nam, ex dictis, Baptismus est omnium sacramentorum janua. Potest ministrari adulto immediate post Baptismum, quia, licet Baptismus non solum culpam tollat sed etiam pœnam, tamen in animâ quamdam debilitatem relinquit, contra quam Ex. Unctio ordinatur.

---

[1] "Ægrotos visitans, eâ, quâ sacerdotes Dei decet, honestate et gravitate se habeat, præsertim cum feminis, iis præcipue quæ canonicam ætatem necdum attigerunt; infirmæ sc. cubiculum, nisi illa præmonita, non ingrediatur; sine necessitate non sit solus cum solâ, et, dum eam consolatur eive commiserationem testatur, abstineat ab omni sermone, vel etiam verbo, quod ab aliis audiri nollet. Honestas tamen et gravitas, præcipue in primâ visitatione, caritati, urbanitati et affabilitati christianæ conjunctæ esse debent ut sacerdos animum infirmi lucretur, facilioremque ad eum accessum habeat". (*Rit. Roman.*)

[2] *S. Thomas*, Sup. q. 32-33, *Suarez*, disp. XLII; *Drouin*, q. V; *Ste Beuve*, diss. VII; *de Augustinis*, a. 6; *S. Alphonsus*, 712-721, 732 sq.; *Lehmk.* n. 575 sq.; *Konings*, 1507 sq. *O'Kane*, n. 859 sq.

(B) *Adultus*, seu usum rationis adeptus; nam hoc sacramentum ordinatur ad confortandam animam contra ultimas diaboli tentationes et reliquias peccati tollendas; atqui pueri, vel perpetuo amentes, qui rationis usum numquam adepti sunt, roborari non indigent contra diaboli tentationes, nec ullas reliquias peccati extergendas habent; ergo.

(a) Hinc, si dubitetur de rationis usu, *pueri* possunt ungi sub conditione: v. g. "si capax es". Certo autem ungi possunt qui septennium attigerunt, etiamsi non judicarentur S. Communionis capaces; minor enim cognitio ad Ex. Unctionem requiritur quam ad Eucharistiam.

(b) *Perpetuo amentes* ungi nequeunt, sed amentes, qui lucida intervalla habent, aut antea usum rationis habuerunt, ungi possunt, ita tamen ut præcaveatur omnis irreverentia erga sacramentum.

(c) Ungi possunt et debent *sensibus destituti*, dummodo præsumi possit illos verisimiliter petituros fuisse sacramentum, si rationis fuissent compotes; omnes proinde qui aliquot signa vitæ christianæ dederint, etiamsi paschale officium non adimpleverint.

(C) *Periculose ægrotans;* nam ex textu *S. Jacobi* manifeste concluditur solos ægrotos ungi posse; et *Florent.* decrevit: "Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet". Hoc igitur sacramentum administrari non potest nisi in morbo gravi sive ex specie suâ, sive ex speciali conditione ægrotantis; non est tamen necessarium ut periculum mortis sit imminens, aut certum, sed sufficit ut satis proximum sit et prudenter existimatum[1]. Constat ex responso *S. C. P. F.* 1801, in quo dicitur ungi posse infirmum, gravi morbo laborantem, qui prævidetur moriturus esse intra annum, quamvis possit per plures menses adhuc vivere, eo quod missionarius tempore opportuno adesse non poterit. (*Collectan.* n. 1156).

(a) Hinc ungi nequeunt sani, etiamsi sint in periculo mortis, ut condemnati ad mortem, periclitantes in prœlio, in mari; nec mulier, communes dolores patiens in partu; secus vero si extraordinarios et periculosos patiatur cruciatus.

[1] De signis ægrotationis gravis ac mortiferæ legere est *Capelmann*, op. cit. p. 170 sq.

(b) Possunt ungi qui veneno sunt infecti, vulnerati, item ægroti difficilem chirurgicam operationem subituri; imo et senes decrepiti, etiamsi nullâ speciali infirmitate laborent, nam senectus est morbus et quidem prorsus insanabilis.

(c) " Gravissime peccant sacerdotes qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni spe salutis omissâ, vita et sensibus carere incipiat ". Ita *Rom. Catech.* Ratio est quia tunc ægrotus privatur uberiori fructu hujus sacramenti, illiusque gratiis quas obtinuisset ad ultimas difficultates superandas et forsan beneficio sanitatis corporalis, aut etiam æternæ salutis. (*Baltimor.* II, n. 306-307).

(d) Inungi nequit qui jam certo mortuus est; sed, testibus hodiernis peritis, quis supervivere potest, etiam quando ultimum edere suspirium visus est, quum vita nonnisi gradatim a corpore recedat[1]; hinc, in praxi, quoties prudenter existimatur aliquem probabiliter adhuc vivere, quamvis exterius vitâ carere videatur, sub conditione ungi potest.

31. 2° *Ad liceitatem.* (a) Regulariter status gratiæ requiritur, ac proinde pro illo qui versatur in statu peccati mortalis vel contritio perfecta, vel attritio cum sacr. Pœnitentiæ. Ratio est quia Ex. Unctio est sacramentum vivorum, directe gratiam augens sanctificantem. Unde qui sciens et volens illud sacramentum reciperet in mortali, sacrilegium gravissimum committeret; si quis autem esset in bonâ fide, justificaretur etiam cum attritione, ex supra dictis.

(b) Insuper requiritur sub levi ut viaticum ante Unctionem recipiatur, si fieri potest. Quando ægrotus actualiter usu rationis gaudet, non potest licite ungi sine illius consensu; sed quando est sensibus destitutus, potest ungi in omnibus casibus in quibus absolvi potest; imo tutius est in hoc casu Unctionem dare quam absolutionem, quia ad hanc sufficit attritio interna, dum ad Pœnitentiam requiritur valde probabiliter attritio signis sensibilibus manifestata.

(c) Ad uberiores fructus illius sacramenti desiderantur vivida fides, spes firma, et perfecta cum divinâ voluntate conformitas.

---

[1] De quo vide *Ferrand*, Le moment de la mort, Congrès scientif. 1891, Sciences mathém. et nat., p. 197.

II. De necessitate.

32. 1° Certum est hoc sacramentum non esse necessarium necessitate medii; nam infirmus salvari potest sine gratiâ alleviationis et roboris per Ex. Unctionem productâ.

33. 2° Controvertitur utrum sit de necessitate præcepti *per se :* (a) Communior sententia negat, quia vox "*inducat*", quæ sola afferri valet ad præceptum indicandum, potest intelligi et de facto intelligitur a plerisque commentatoribus de mero consilio. (b) Attamen quidam theologi probabiliter affirmant, quia vox "*inducat*", juxta ipsos, præceptum significat, et aliunde infirmus negligens hoc sacramentum suscipere, graviter delinquit contra caritatem erga seipsum.

34. 3° Omnes concedunt *per accidens* aliquem posse teneri, sub gravi, ad receptionem Ex. Unctionis ratione scandali vitandi, contemptus, aut etiam si existens in mortali aliud sacramentum recipere nequiret.

Unde in praxi fideles valde hortandi sunt, non autem stricte obligandi ad recipiendum hoc sacramentum, utpote ipsis utile ad salutem. Imo graviter peccare possunt sacerdotes, parentes vel domestici, aut medici, qui nolunt ægrotum sibi illudentem monere de proximo periculo mortis; sic enim privant infirmum medio ad salutem utilissimo.

III. De iteratione illius.

35. Ex. Unctio iterari potest: 1° In *novâ* et *diversâ* infirmitate periculosâ; nam medicina toties iterari debet quoties infirmitas iteratur; atqui Ex. Unctio instituta est per modum medicinæ spiritualis; ergo.

2° In novo et diverso *ejusdem* morbi periculo, si morbus sit diuturnus. Hoc enim declaratur a *Rituali :* " In eâdem infirmitate iterari non debet nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, et iterum in periculo mortis inciderit"; ad hoc autem tria requiruntur : (a) ut morbus diuturnus sit; (b) ut per aliquod tempus, v. g. per mensem, infirmus convaluerit, i. e. probabiliter e mortis periculo eripi visus fuerit; (c) ut tandem in novum periculum inciderit. In dubio autem an sit novum periculum, sacramentum iterari potest. (*S. Th.* q. 33, a. 2).

De Ordine.

Auctores consulendi.

Patres antiqui nonnisi obiter de Ordinis sacramento disputârunt, inter quos **S. Gregorius Naz.**, Orat. II et IX; **S. Gregorius Nys.**, Orat. in diem Luminum; **S. Innocentius I**, Ep. II et III. *Sæculo V* ascribi potest Liber de Ecclesiasticâ Hierarchiâ, sub nomine **Dionysii Areopagitæ** vulgatus. *Sæc. IX*, **Hincmarus**, De officiis Episcoporum; **Rab. Maurus**, Si liceat chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinare de consensu episcopi sui.

Inter **Theologos** : **S. Thomas Aq.**, Supplem., q. 34-40, aliique theologi qui de Sacramentis scripserunt; **Philibertus Marchini**, Barnabita, De sacramento Ordinis et sacrif. Missæ, Lugduni, 1638; **A. Bernal**, S. J., De Sacramentis in genere et de Euchar. et Ordine in particulari, Lugduni, 1651; **Dom. Gravina**, O. P., Pro sacrosancto Ordinis sacram. vindiciæ orthodoxæ, Neapoli, 1634; **J. Morinus**, Comment. historicus ac dogmaticus de sacris Ordinationibus, Paris., 1655; **Hallier**, de Sacris Electionibus, 1636 (ap. *Migne*, Theol. Curs., t. XXIV); **Leo Allatius**, De ætate et interstitiis in collatione Ordinis etiam ap. Græcos servandis, Romæ, 1638; **Oberndorfer**, De sacram. Ordinis, 1759; **J. Pons**, S. J., Dissertatio historico-dogmatica de materiâ et formâ sacræ Ordinationis, Bononiæ, 1775; **Berioli**, De sacram. Ordinis, Castelli, 1787; **P. Gasparri**, Tr. canonicus de sacrâ ordinatione, Paris., 1894.

Inter **Protestantes** : **Wordsworth**, The Christian Ministry, London, 1872; **Dickinson**, Defence of Presbyterian Ordination; **Ch. Hogde**, Discussions in Church Polity, New York, 1878; **Kraussold**, Amt u. Gemeinde, 1858; **Ahrens**, Das Amt der Schlüssel, 1864; **Lichtenberger**, op. cit., t. XI, p. 374 ed. 1881.

Ex Decreto ad Armenos.

Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem; et simili-

ter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.

Tridentini Decreta et Canones de sacramento Ordinis. *(Sess. XXIII)*[1].

CAP. 1. De institutione Sacerdotii novæ legis.

Sacrificium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Dei institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in eâ novum esse visibile et externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

CAP. 2. De septem Ordinibus.

Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiâ ordinatissimâ dispositione plures, et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

CAP. 3. Ordinem vere esse sacramentum.

Cum Scripturæ testimonio, Apostolicâ traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ ver-

[1] Patrum Tridentini de his canonibus discussiones refert *A. Theiner*. op. cit., t. II, p. 153 sq.

bis, et signis exterioribus perficitur gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis; inquit enim Apostolus: "Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis"[1].

CAP. 4. De ecclesiastica hierarchia et ordinatione.

Quoniam vero in sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo, et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; "et positos" sicut idem Apostolus ait, "a Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei": eosque Presbyteris superiores esse, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et ceterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine eâ irrita sit ordinatio: quin potius decernit eos, qui tantummodo a populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.

Hæc sunt, quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis, et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit: ut omnes, adjuvante Christo, fidei regulâ utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

Can. 1. Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, et externum, vel non esse potestatem aliquam conse-

[1] *II Tim.* I, 6-7.

crandi, et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesiâ catholicâ alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; A. S.

Can. 3. Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et sacramentorum; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere: "Accipe Spiritum sanctum"; aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; A. S.

Can. 5. Si quis dixerit, sacram Unctionem, quâ Ecclesia in sanctâ Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias Ordinis cæremonias; A.S.

Can. 6. Si quis dixerit, in Ecclesiâ catholicâ non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris: A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiasticâ potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et vere Episcopos, sed figmentum humanum: A. S.

Prænotanda.

1. Absolutis eis quæ de Sacramentis individui sanctificationem respicientibus dicenda erant, agendum est de illis quæ communitatem respiciunt, nempe de *Ordine* et *Matrimonio.*

(A) *Ordo, in genere,* significat dispositionem superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita coordinantur ut una ad alteram referatur; quandoque *ordo* sumitur pro gradu vel dignitate, aut cœtu hominum qui hâc dignitate ornantur; optime igitur vox illa de *sacrâ hierarchiâ* prædicatur, quæ ex variis gradibus constat ad unum finem tendentibus, san-

ctificationem scilicet animarum. *Ordo* proprie distinguitur ab *ordinatione* sicut effectus a causâ; ordinatio enim est causa ordinis, seu ritus quo confertur potestas ordinis, proindeque est actus transiens, dum ordo est gradus seu dignitas ex se permanens. Frequenter autem hæc duo vocabula promiscue sumuntur; ita quando dicitur: *Ordo est sacramentum*, significatur *ordinatio*.

(**B**) *Ordo* igitur, quatenus idem sonat ac *ordinatio*, est *sacramentum N. L. quo spiritualis traditur potestas et confertur gratia ad conficiendam Eucharistiam, aliaque ecclesiastica munia rite obeunda.* Quibus verbis indicatur per hoc sacramentum, (**a**) non solum conferri gratiam, sed etiam potestatem vere activam; (**b**) illam gratiam et potestatem tradi præcipue ad confectionem Eucharistiæ; (**c**) secundarie autem ad alia sacramenta ministranda vel munia sacra rite obeunda. Prætermittendo quæstiones canonicas quæ ordinationes respiciunt, breviter disseremus 1° de Ordinis sacramento *in genere;* 2° de singulis ordinibus *in specie.*

Art. I. De Ordine in genere.

2. *Errores.* Existentiam Ordinis ut sacramenti Protestantes generatim negant, si Ritualistæ excipiantur. (**a**) *Quakeri* nullum externum ordinationis ritum admittunt, docentes quemlibet, absque sexûs vel ætatis discrimine, interiori spiritus impulsu, ministrum constitui; (**b**) *Unitarii* aliquem ritum externum admittunt, a singulis ecclesiis determinandum, quo non consecratur, sed potius designatur minister; (**c**) *Presbyteriani* et *Baptistæ* negant distinctionem esse inter Episcopos et Presbyteros, tenentque Presbyteros esse ministros verbi, a fidelibus designandos, sub certis conditionibus, sed non Sacerdotes speciali charactere indutos; (**d**) *Anglicani* tandem et *Methodistæ Episcopales* fatentur quidem ordinationem nonnisi per Episcopos valide conferri posse, sed negant per illam dari gratiam [1]. Quos errores in decursu Tractatus confutabimus.

[1] Ad fusiorem horum errorum expositionem conferri possunt pro Unitariis *J. Clarke*, Manual of Unitarian belief, 47; pro Presbyterianis *Hodge*, Syst. theol., II, 466; III, 689; pro Baptistis *Hovey*, Syst. theol.,

I. De clericorum a laicis distinctione[1].

3. *Thesis :* **Status clericorum a statu laicorum jure divino distinguitur.** *De fide est, ex Trid.* (cap. 4) : " Si quis omnes christianos promiscue N. T. Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam... confundere "; et infra (can. 6) : " Si quis dixerit in Ecclesiâ catholicâ non esse hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris, A. S."

4. 1° *Scripturâ.* Jam ætate patriarchali, aliqui selecti fuerunt qui sacerdotii functiones obirent, sc. primogeniti, ut refert *S. Hieronymus;* inter ipsos ethnicos, aliqui a reliquâ plebe delecti fuerunt ut sacris functionibus vacarent. Sub lege mosaicâ, ab ipso Deo Levitica tribus designata fuit, quæ sacris muniis mancipata, sacrificiis peragendis inserviret, et sacram doctrinam populo traderet[2]. In *N. Test.*, constat clericos fuisse pariter speciali modo *electos*, speciali ritu *consecratos* et ad specialia munia *deputatos.*

5. (A) Fuerunt *speciatim a Deo electi;* Christus enim primum quosdam discipulos ad se vocavit, sc. Andream et Joannem, Petrum, Philippum, Nathanael[3] ; deinde quosdam ad speciale munus homines sanctificandi : " Venite post me, et faciam vos fieri *piscatores hominum* "[4] ; paulo post, quum pernoctâsset in oratione Dei, " Vocavit discipulos suos, et *elegit duodecim ex ipsis* quos et *Apostolos* nominavit "[5]. Hinc, in ultimâ Cœnâ, Apostolos suos alloquens, aperte dixit[6] : " *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat ". Insuper constat omnes Sacerdotes, discipulorum Apostolorumque successores, ab ipso Deo vocandos esse ; nam S. Paulus,

308; pro Episcopalianis *Mortimer*, Catholic Faith and Practice, vol. II, New York, 1898, p. 79 sq.

[1] *Hallier*, Prolegom. c. 2-3 ; *Petavius*, de Ec. Hier. l. III, c. 1-8 ; *Tournely*, q. 1; *Hurter*, n. 677 sq.

[2] *Levit.* VIII-XIII; *Num.* I, 48-53; III, 5-13. — [3] *Joa.* I, 35-50.

[4] *Matt.* IV, 19; *Marc.* I, 16-20.

[5] *Luc.* VI, 13; *Matt.* X, 2-4; *Marc.* III, 13-19. — [6] *Joa.* XV, 16.

post descripta Sacerdotum officia, hæc habet[1] : " Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui *vocatur a Deo* tanquam Aaron ".

6. (B) *Ritu speciali consecrati sunt*; nam ipsis et quidem solis et eorum successoribus data fuit potestas consecrandi, his verbis[2] : " Hoc facite in meam commemorationem " ; ipsis postea collata fuit potestas peccata remittendi : siquidem Christus in ipsos insufflavit, et dixit eis[3] : " Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ". Hinc quando diaconi ab ipsâ plebe fuerunt electi, munera sua exercere non potuerunt nisi postquam ab Apostolis per impositionem manuum consecrati fuerunt[4] : " Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et *orantes imposuerunt eis manus* ". Aliunde hanc eamdem fuisse praxim quando Episcopi vel Presbyteri ad munera sacra deputabantur patebit ex textibus in sequenti thesi citandis.

7. (C) *Ad specialia munia fuerunt deputati;* quod constat ex textibus jam allatis, ex quibus patet Apostolis potestatem Eucharistiam consecrandi et peccata remittendi concessam fuisse, et insuper ex sequentibus : " Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, *regere Ecclesiam Dei* "[5] ; " Sic nos existimet homo ut ministros Christi et *dispensatores mysteriorum Dei* "[6] ; " Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia "[7]. Ex quibus colligitur clericalem ordinem laicis præesse, eisdem dispensare mysteria Dei per prædicationem et sacramentorum administrationem, pro eis sacrificia offerre; aliunde ritu speciali consecratur, et a Deo speciali curâ seligitur; ergo a laicorum ordine jure divino distinguitur.

8. 2° *Tradit.* (A) ex *Patribus*, v. g. *S. Clemente*, qui, jam sæculo primo, docuit Apostolos a Christo fuisse institutos, Episcopos et diaconos ab Apostolis ex voluntate Dei fuisse constitutos : " Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo. Itaque *acceptis mandatis*, (Apostoli) egressi sunt annunciantes regni Dei adventum... *constituerunt Episcopos et dia-*

[1] *Hebr.* V, 4. — [2] *Luc.* XXII, 19. — [3] *Joa.* XX, 22. — [4] *Act.* VI, 6.
[5] *Act.* XX, 28. — [6] *I Cor.* IV, 1. — [7] *Hebr.*, V, 1.

conos eorum qui credituri erant "[1]; *S. Ignatio Martyre*, qui initio sæc. II hæc scripsit[2]: "Cuncti revereantur *diaconos* ut mandatum Dei Jesu Christi, et *Episcopum*, qui est figura Patris, *Presbyteros* autem ut concessum Dei, et ut conjunctionem Apostolorum : sine his Ecclesia non vocatur "[3].

(B) *Ex praxi* Ecclesiæ, quæ nunquam, ne sæviente quidem persecutione, permisit ut qui Sacerdotes non essent, jura et officia sacerdotii propria exercerent; quod quidem luculenter demonstrat ipsi persuasum fuisse sacerdotii munera non nisi ab iis qui speciali ritu consecrati sunt, adimpleri posse.

9. 3° *Solv. diffic.* (A) Objiciunt Novatores de omnibus christianis dictum fuisse : " Vos autem genus electum, *regale sacerdotium* "[4]; "Fecit nos regnum et Sacerdotes Deo et Patri suo "[5]. — *Resp.* Præfata verba nonnisi de *sacerdotio improprie dicto* intelligi possunt; nam fideles in hoc *textu* vocantur *reges*, "regale sacerdotium "; atqui, juxta omnes, sunt reges solum lato sensu ; ergo pariter sunt Sacerdotes improprie dicti; quod confirmatur ex *contextu*, nam supra (5) dicuntur offerre *spirituales hostias*, i. e. sacrificia improprie dicta, videlicet cor contritum et humiliatum, bona opera, etc.; ergo non sunt Sacerdotes proprio sensu ; ex *locis parallelis*, nam, populus israeliticus vocatur *regnum sacerdotale*[6], sed certe lato sensu, nam omnibus notum est discrimen divinitus fuisse statutum inter levitas et reliquum populum.

10. (B) Urgent etiam hæc *Tertulliani* verba : " Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas " (de *Exhort. cast.* c. 7). Sed hæc scripta sunt a Tertulliano jam montanista, ad propagandam falsam opinionem, scil. non licere laicis secundas nuptias inire, eo quod sint Sacerdotes ; antea vero (de *præscript.* c. 10) gravissime hæreticos reprehenderat, qui discrimen inter laicos et Sacerdotes non accurate servabant[7].

II. De veritate sacramenti Ordinis[8].

11. *Thesis :* **Ordo, seu ordinatio, qua consecrantur ministri, saltem nonnulli, est verum et proprie dictum sacramentum.** *De fide est, ex Trident.* (sess. XXIII, can. 3.) :

[1] Ep. ad Corint. I, n. 42. — [2] Ad Trallens., n. 3.

[3] Ad fusiorem hujus argumenti declarationem vide *de Smedt*, l'Organisation des églises chrét., Congrès scient. internat. 1888, t. II, p. 297.

[4] *I Petr.* II, 9. — [5] *Apoc.* I, 6. — [6] *Exod.* XIX, 6.

[7] Cfr. *Hurter*, 679, et *Hallier*, de sacris elect. et ordinat., *Migne* XXIV, 147, ubi fuse istæ aliæque solvuntur difficultates.

[8] *S. Thom.* Sup. q. 34, a. 3 ; *Hallier*, p. II, sect. 2, c. 1 ; *Drouin*,

"Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie dictum sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum ..., aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, A. S." — Dictum est *saltem nonnulli*, quia non constat omnes ordines rationem sacramenti habere, ut infra declarabitur.

12. 1° *Script.* "Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam [1], cum impositione manuum presbyterii; admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis" [2]. Jamvero hic invenire est tria elementa ad sacramentum necessaria: (a) *Signum sensibile*, sc. impositionem manuum; (b) *productivum gratiæ*, quum aperte declaretur per illam impositionem gratiam conferri, "Gratia Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum". Nec dicatur, cum Protestantibus græcam vocem hic adhibitam, χάρισμα, nihil aliud designare nisi gratiam gratis datam; nam illa vox sæpe adhibetur ad significandam gratiam sanctificantem, ut constat ex *Rom.* V, 15, ubi dicitur: "sed non sicut delictum ita et donum (χάρισμα)"; hic autem certo adhibetur in præfato sensu; nam Apostolus statim addit per illam gratiam nobis dari "Spiritum virtutis, dilectionis, et sobrietatis": quæ quidem omnia gratiam sanctificantem comitantur; insuper hic agitur de gratiâ quæ negligi et iterum excitari potest, dum gratia gratis data neque remissionem neque augmentum patitur; cui addi potest hoc vocabulum merito fuisse selectum, quia ordinatione confertur tum gratia gratum faciens, tum gratia gratis data, scil. potestas sacerdotalis.

(c) *A Christo institutum;* Ipse enim solus gratiam adnectere potest signo sensibili. Et revera Dominus, qui jam Aposto-

De Sacr. Ordinis, q. 1; *Bellarminus*, de Sacr. Ordinis, c. 1-4; *Tournely*, q. II, a. 1; *Perrone*, n. 6 sq.; *de Augustinis*, a. 1; *Hurter*, n. 681 sq.

[1] "*Per prophetiam*" significat secundum vel propter divinum de te prolatum oraculum (Cf. *Corluy*, Spicileg., t. II, p. 462).

[2] *I Tim.* IV, 14; *II Tim.* I, 6-7.

los segregaverat et speciali modo educaverat, eisdem potestatem et gratiam consecrandi contulit in ultimâ cœnâ, dum dixit : " Hoc facite in meam commemorationem " ; et post Resurrectionem potestatem gratiamque dimittendi peccata : " Quorum remiseritis " etc. Talem institutionem esse permanentem constat ex Apostolorum agendi ratione, qui tum diaconos tum Presbyteros vel Episcopos ordinaverunt [1] ; et insuper discipulis suis facultatem alios ordinandi reliquerunt [2] ; et ex praxi Ecclesiæ, quum historiâ constet tum S. Pontifices, tum Episcopos eâdem facultate indesinenter usos fuisse.

13. 2° *Trad.*, (a) ex *Patribus*, qui ordinationem diserte sacramentum vocant æque ac baptismum : " Si utrumque (baptismus et ordinatio) sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur ? " (cont. Parmenianum II, 13, n. 30), qui asserunt ritu hoc conferri gratiam, ita ut C. *Chalcedonense* (can. 2) pœnas statuerit contra Episcopum qui " per pecunias fecerit ordinationem et sub pretio redegerit gratiam " ; (b) ex *praxi* utriusque Ecclesiæ, tum græcæ tum latinæ, quæ in Ritualibus et Eucologiis exhibetur, et fundamentum præbet argumento præscriptionis jam pluries usurpato.

14. 3° *Rat. theol.* Ad divinam providentiam pertinet ut in societate ecclesiasticâ spirituales adsint duces, ad populum christianum regendum : hæc est enim lex omnibus imposita ut inferiora per superiora ad Deum reducantur ; atqui convenit ut illi duces ritu sacro et speciali ad id deputentur ; si enim ritus, quo homines filii Dei et membra Ecclesiæ fiunt, est sacramentum, quanto magis sacramentum esse decet illum ritum quo quidam inter fideles, duces militum Christi efficiuntur, fideique doctores, et sacramentorum ministri. (*S. Th.* Sup. q. 34, a. 1).

III. De numero ordinum [3].

15. 1° Concilium *Trid.* definivit in Ecclesiâ catholicâ esse " hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ con-

[1] *Act.* VI, 6; XIV, 22. — [2] *I Tim.* V, 22.
[3] *S. Thomas*, Sup. q. 37; *Hallier*, p. II, sect. 1, c. 2; *Bellarm.* c. 5-8;

stat ex *Episcopis*, *Presbyteris*, et *ministris*". Definivit pariter esse "alios ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur" (Can. 2).

Ex his definitionibus constat *de fide* esse (a) dari in Ecclesiâ plures ordines ; (b) ex divinâ ordinatione esse Episcopos, Presbyteros, et ministros. (c) Quum autem diaconi sint primi inter ministros Presbyteris inferiores, certum est diaconatum esse ordinem ab ipso Christo institutum. Verum est quidem septem primos diaconos, occasione querelarum de mensarum ministerio, ab Apostolis constitutos esse [1]; sed hoc factum est potestate a Domino concessâ, ut Patres tradunt; nec diaconi solum mensis ministrabant, sed, postquam fuerunt sacro ritu impositionis manuum ordinati, Evangelium prædicârunt, ut constat exemplo Stephani [2], ac baptismum ministraverunt, ut patet exemplo Philippi [3]. Hinc etiam hodie per impositionem manuum ordinantur, his verbis : "Accipite Spiritum sanctum" ; quod non frustra ab Episcopo dici testatur *Tridentinum* (can. 4). Proinde *episcopatus*, *presbyteratus* et *diaconatus* certo rationem habent sacramenti.

16. 2° *Controvertitur* autem utrum subdiaconatus et minores ordines rationem habeant sacramenti, gratiamque producant ex opere operato. (a) *S. Thomas*, cum plerisque scholasticis, tenet eos esse sacramenta. Nam *Florent.* ac *Trident.* docent ex unâ parte Ordinem esse sacramentum, gratiam conferens, et ex alterâ subdiaconatum ac quatuor Minores sub Ordine esse tanquam species sub genere. Aliunde his ordinibus confertur character indelebilis, ut colligitur ex *Pontificali* ubi legitur : "Moneat Episcopus ordinandos, ut tangant instrumenta, quibus *character imprimitur*". Hunc autem characterem esse indelebilem constat ex eo quod per excommunicationem non tollitur. (b) Multi autem inter recentiores theologos contrarium tenent ; nam hi ordines non fuerunt a Christo instituti, sed ab Ecclesiâ,

---

Drouin, q. II ; *Tournely*, q. VI ; *de Augustinis*, a. 2 ; *Billot*, th. 29; *Tepe*, n. 714 sq.

[1] *Act.* VI, 1-7. — [2] *Act.* VI, 8 sq. — [3] *Act.* VIII, 5-12.

tertio circiter sæculo ; atqui ordo qui non est a Christo, sacramentum esse nequit. Præterea in istis ordinibus deest materia, videlicet manuum impositio, et forma, scilicet verba collationem gratiæ exprimentia.

Si mentem nostram aperire liceret, cum *Thomassino*[1] diceremus : "minores ordines, comprehenso subdiaconatu, velut quasdam *partitiones esse diaconatus* aliis aliisque temporibus ab eo decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris minores ordines in fonte suo et origine, i. e. in diaconatu institutionis esse divinæ". Fatemur equidem istos ordines non fuisse semper in usu ; nam *Urbanus II* in Conc. *Beneventano* (1091) sic statuit : "Nullus in Episcopatum eligatur nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus *diaconatum*, et *presbyterum ; hos* siquidem *solos primitiva legitur habuisse Ecclesia*". Exinde multi concludunt subdiaconatum et minores ordines rationem sacramenti non habere. Nobis autem videtur hanc conclusionem ex præmissis non fluere. Si enim admittatur Christum non determinavisse in specie materiam et formam Ordinis, sed Ecclesiæ dedisse potestatem utramque determinandi, simulque diaconatum in varios inferiores ordines dividendi, prout se dabat opportunitas, nil prohibet quin hujusmodi ordines in diaconatu tanquam in radice contenti, gratiam ex opere operato producant secundum mensuram ministerialis potestatis ab eis collatæ, sicque rationem sacramenti habeant. Hoc modo explicatur cur modo duo, modo tres aut plures minores ordines pro varietate temporum ab Ecclesiâ instituti fuerint, et cur non idem fuerit nec sit numerus ordinum minorum in Ecclesiâ græcâ et latinâ ; eodem pariter modo intelligitur cur Scholastici fere omnes docuerint hos ordines vere sacramenti rationem habere. Hanc esse *S. Thomæ* mentem nobis esse videtur ex his et similibus verbis : "In primitivâ Ecclesiâ, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconis committebantur... Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite, in unâ diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus divinus ; et

[1] Vet. et Nov. discipl. p. I, l. 2, c. 40.

Ecclesia quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis[1]".

17. 3° (A) Septem communiter numerantur ordines in Ecclesiâ latinâ, sc. sacerdotium, quod complectitur tum presbyteratum tum episcopatum, diaconatus, subdiaconatus, et quatuor minores ordines.

S. Thomas hujus divisionis rationem sic explicat : Ordinis sacramentum ad Eucharistiam præcipue ordinatur ; atqui septem sunt præcipua officia circa Eucharistiam : (a) *Sacerdos* Eucharistiam consecrat ; (b) *Diaconus* eam dispensat ; (c) *Subdiaconus* materiam sacramenti præparat in vasis sacris ; (d) *Acolythus* eamdem præparat in vasis non sacris ; (e) *Exorcista* purificat illos qui dæmonibus vexati ab Eucharistiæ receptione impediuntur ; (f) *Lector* docet illos qui ad Eucharistiæ receptionem sese præparant ; (g) *Ostiarius* a cœtu fidelium arcet illos qui Eucharistiam recipere sunt indigni.

18. (B) Omnes illi ordines aliquo sensu sunt sacri, quia *sacro ritu* conferuntur et ad *sacrum ministerium* referuntur; attamen inter eos tres dicuntur *proprie et speciatim sacri*, sc. sacerdotium, diaconatus, et subdiaconatus[2], tum quia circa rem sacram versantur, duo priores circa corpus et sanguinem Christi, posterior autem circa vasa consecrata, tum quia annexum habent continentiæ votum, quo sancti efficiuntur. Iidem vocantur etiam *majores*, quia dignitate et sanctitate alios excedunt. (*S. Th.* q. 37, a. 2).

19. (C) Licet plures ordines rationem habeant sacramenti, non sunt tamen plura sacramenta, sed unum specie sacramentum, quia omnes ad unum eumdemque finem tendunt, ut supra ostensum est. Hinc merito *S. Thomas* ait (Sup., q. 37, a. 1. ad 2) : " Divisio ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestativi : cujus hæc est natura quod totum secundum com-

[1] Suppl. q. 37, a. 2 ad 2; cfr. *L. Billot*, p. 260.

[2] Subdiaconus nonnisi *sæc. XII* inter *majores* Ordines recensitus fuit, sed jam an. 589 adnexum habuit continentiæ votum in Ecclesiâ Latinâ (*Baronius*, Ad h. ann., n. 48) ; in Ecclesiâ græcâ etiam hodie inter minores recensetur.

pletam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic : tota enim plenitudo sacramenti hujus est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio ordinis".

IV. De ministro sacramenti Ordinis[1].

20. 1° *Minister ordinarius hujus sacramenti est solus Episcopus.* Certum est tum ex *Florent.* : "Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus"; tum ex *Trident.* : "Si quis dixerit Episcopos... non habere potestatem confirmandi et *ordinandi*, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ... A. S." (can. 7). Colligitur etiam ex *praxi Ecclesiæ :* ab initio enim soli Episcopi, seu ministri superiores, hoc sacramentum ministrare dicuntur ; sic Apostoli ipsi diaconos ordinant[2], sic Paulus et Barnabas, nonnisi post receptum episcopatum, Presbyteros per singulas ecclesias constituunt[3]; aliunde nullibi legitur simplices Presbyteros alios Sacerdotes ordinasse, nec etiam tempore persecutionum, quum urgeret necessitas, sed e contra Patres solos Episcopos commemorant ut ministros Ordinis ; sic *S. Hieronymus* (ep. 85 ad Evang.) scribit : "Quid facit, *exceptâ ordinatione*, Episcopus quod Presbyter non faciat"? Idem declarat *C. Carthaginense IV* (a. 398), cujus canones refert *Denzinger*, n. 50-58.

21. 2° *Presbyteri non possunt, etiam cum S. Pontificis delegatione, esse ministri extraordinarii episcopatûs vel presbyteratûs*, ut conceditur ab omnibus ; *possunt tamen, cum delegatione S. Pontificis, esse ministri extraordinarii subdiaconatûs ac minorum ordinum*, et a fortiori *tonsuræ.* Ii enim gradus de facto ab Abbatibus, qui simplici sacerdotali charactere insigniebantur, ex concessione S. Sedis, collati sunt. Idem docuerunt nonnulli theologi et canonistæ quoad *diaconatum*, hâc præsertim ratione innixi quod *Innocentius VIII* hanc potestatem Abbati generali Cisterciensium concesserit, in Bullâ *Exposcit* (1489) ; de cujus tamen genuinitate multi dubitant : "Mihi, inquit *Gasparri* (op. cit. n. 778),

[1] *S. Thomas*, Suppl. q. 38; *Hallier*, p. 11, sect. 5; *Bellarm.*, c. 11; *Drouin*, q. VI; *Perrone*, n. 138 sq.; *de Augustinis*, a. 8.

[2] *Act.* VI, 6. — [3] *Act.* XIII, 2-3; XIV, 22.

factâ inspectione in archivio Vaticano, relatum est Bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eâdem deesse". Valde probabile est igitur tale privilegium nunquam fuisse concessum.

V. De effectibus hujus sacramenti[1].

Duplex est ordinationis effectus, *character* et *gratia*. Per Ordinem imprimi characterem in animâ jam probavimus in *Tr. de Sacram. in genere* (n. 69). Sed ejus natura hic declarari debet.

1° *De charactere per ordinationem impresso.*

22. Hujusmodi character tribus ordinibus certo imprimitur, *episcopatu*, *presbyteratu*, *diaconatu;* utrum etiam subdiaconatu vel minoribus ordinibus, controvertitur, eo quia dubitatur a nonnullis utrum sacramenti rationem habeant. Quidquid sit, character est *potestas* quædam sacra peragendi; jamvero duplex potestas hujusmodi confertur in ordinatione, una circa corpus Christi in Eucharistiâ, altera circa ejus corpus mysticum, animas sc. Fidelium.

23. (A) *Sacramento Ordinis traditur potestas consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem Domini.* (a) *De fide* est ex *Tridentino* (cap. 1): "Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit". Hujusmodi potestas plene Episcopis et Sacerdotibus inest; diaconi autem facultate Eucharistiam dispensandi tantum pollent; alii autem ordines materiam consecrandam præparant, ut supra explicatum est.

(b) Accedit etiam *Scripturæ* auctoritas; nam, juxta *S. Paulum*[2], essentiale munus Sacerdotis in eo situm est ut offerat sacrificia: "Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis"; atqui in N. Lege

[1] *Hallier*, p. II, sect. 3; *Bellarminus*, c. 10; *Bonal*, 35 sq.
[2] *Hebr.* V, 1.

nullum est aliud sacrificium nisi eucharisticum, ut supra ostendimus ; ergo munus essentiale Sacerdotum est Eucharistiam offerre et consecrare. Hinc Christus, post institutum hoc admirabile sacramentum, Apostolos sic allocutus est[1]: "Hoc facite in meam commemorationem", his verbis potestatem eis conferens quod ipse fecerat iterum faciendi, i. e. corpus et sanguinem suum consecrandi. (c) Hoc etiam aperte demonstrant verba *Pontificalis* infra citanda ubi de quolibet ordine.

24. (B) *Sacramento Ordinis traditur etiam potestas præparandi corpus Christi mysticum, seu fideles, ad Eucharistiæ receptionem ;* quod fit præsertim per sacramentorum administrationem, et verbi divini prædicationem. Etenim potestas Eucharistiam conficiendi et dispensandi certe supponit potestatem ea omnia præstandi quæ ad dignam Eucharistiæ receptionem requiruntur ; atqui homines digne ad sacram communionem præparantur (a) *remote* per prædicationem verbi, vi cujus illuminati fidem concipiunt vel in eâ crescunt, mysteria fidei præceptaque divina ediscunt, peccata fugere virtutesque colere, et ita illam munditiam comparant, quæ ad sacrum convivium desideratur ; (b) *proxime* per sacramentorum administrationem, quæ sive ad peccati deletionem, ut sacramenta mortuorum, sive ad vitæ spiritualis augmentum, ut sacramenta vivorum, ordinantur. Hinc Apostolis etiam eorumque successoribus dictum est a Domino : "Euntes ergo *docete* omnes gentes, *baptizantes eos*... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis..."

25. (C) *Corollaria.* Hinc intelligi datur quanta sit sacerdotii *dignitas.* (a) Dignitatem regum et principum terræ superat, juxta illud *S. Chrysostomi*[2]: "Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ : rex maculas corporum remittit ; Sacerdos autem maculas peccatorum... Ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia ; ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversus dæmones. Major hic principatus ; propterea rex caput submittit manui Sacerdotis". (b) Angelorum etiam dignitate præstat ; Angeli

[1] *Luc.* XXII, 19.
[2] Homil. 4 in verba Isa. VI, 1.

siquidem sunt administratorii spiritus, in ministerium missi ad divina mandata exsequenda, dum Sacerdotes ipsi Angelorum Regi imperant, eumque e cœlo in terram trahunt, et quocumque volunt, ducunt. (c) Ipsi Virgini æquiparantur, quum quotidie super altare producant quem ipsa semel tantum genuit, juxta *S. Augustinum*[1] : "Vere veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero Virginis incarnatur"! (d) Uno verbo *Sacerdos alter Christus*, ait *S. Bernardus*. Siquidem, quum, teste Paulo[2], in N. Lege unicus sit Sacerdos, Christus Jesus, qui, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, nemo potest fieri Sacerdos, nisi aliquo modo cum Christo idem fiat. Quod ex ejus muneribus aliunde colligitur ; nam dum consecrat, ipse Christus est qui consecrat : hoc est corpus *meum ;* dum baptizat, Christus baptizat ; dum peccata remittit, Christus absolvit ; dum verbum Dei annuntiat, Christus per os ejus loquitur : "Qui vos audit, me audit". Sacerdos igitur Christum induat, et mente, verbo et opere seipsum Christi imitatorem exhibeat, ut cum Paulo fidelibus dicere valeat : "Imitatores mei estote sicut et ego Christi"[3].

2° *De gratiâ per ordinationem collatâ.*

26. Gratia, quæ per sacramentum Ordinis confertur, est imprimis *gratia habitualis*, non quidem prima, sed *secunda*, et quidem *abundans*, cum jure ad *gratias actuales* suo tempore concedendas, ad munera ecclesiastica rite obeunda.

(a) Constat ex verbis S. Pauli jam citatis[4] : "Admoneo te ut resuscites *gratiam Dei*, quæ est in te per impositionem manuum mearum" ; hanc autem gratiam esse augmentum gratiæ habitualis ex versu sequenti patet, ubi dicitur : "Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris", i. e. spiritum ser-

[1] Hunc tamen textum frustra quæsivi in operibus S. Doctoris.

[2] *Hebr.* VII, 23-25; X, 12-14.

[3] *I Cor.* IV, 16. Patrum textus de cleri dignitate collegit *Tronson*, Forma Cleri, p. I, cap I. Cf. *Manning*, The Eternal Priesthood, ch. 1-3 ; *Card. Gibbons*, The Ambassador of Christ, 1896, ch. 1 ; quæ opera gallice reddita sunt.

[4] *II Tim.* I, 6.

vitutis, quo virgam Dei vindicis timeatis ; sed *virtutis*, seu fortitudinis, ad magna et ardua pro Deo agenda vel toleranda, et *dilectionis*, quo Deus animæque generose amentur, et *sobrietatis* (σωφρονισμοῦ), i. e. prudentiæ quo quis secundum supernaturalis sapientiæ leges agere valeat.

(b) Colligitur etiam ex *Trident.* (sess. XXIII, can. 4) : " Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari *Spiritum sanctum*, ac proinde frustra Episcopos dicere : " Accipe Spiritum S., aut per eam non imprimi characterem ... A. S." ; vox enim Spiritus S. gratiam habitualem designat.

(c) *Ratio id convenire* demonstrat. Dei enim opera sunt perfecta, et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam media quibus executio illius potentiæ congrue fieri possit, ut patet etiam in rebus naturalibus ; atqui gratia gratum faciens necessaria est non solum ut homo digne sacramenta suscipiat, sed etiam ut digne ea dispenset. Hanc autem gratiam abundantem esse facile probatur ; gratia sacramentalis proportionatur muneribus et obligationibus, quæ in sacramentis imponuntur ; atqui ad idoneam ordinum executionem, non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens, ut sicut qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis ; ergo gratia per ordinationem collata abundans esse debet. (*S. Thom.*, q. 35, a. 1).

27. *Corollaria.* (a) Ex quibus concludere licet sacerdotes, tum ratione ordinis, tum ratione curæ animarum sibi commissarum, ad maximam perfectionem adipiscendam teneri. Juxta *S. Thomam* (2. 2. q. 184, a. 5-8), Episcopi sunt in *statu perfectionis*, et dum pastorale assumunt officium, obligant se ad ea quæ sunt perfectionis ; imo ad majorem perfectionem obligantur quam ipsi religiosi, quum non solum perfecti, sed etiam aliorum perfectores esse debeant. Sacerdotes autem, curam animarum habentes, licet in statu perfectionis non sint, dignitate præcellunt religiosos, qui non habent ordinem sacrum, et ipsis sanctiores esse tenentur, "quia, ait S. Doctor (a. 8), per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris ; ad quod *requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status*... Unde

gravius peccat, ceteris paribus, clericus in sacris ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus qui non habet ordinem sacrum".

(b) In Ecclesiæ exordio gratiæ gratis datæ sæpe sæpius sacram ordinationem comitabantur,ut donum miraculorum, donum linguarum, spiritus prophetiæ etc.,ut ex libro *Actuum* patet. Hodie raro hujusmodi privilegia concedunturquum tam necessaria non sint; sed dantur tamen auxilia quibus ordinati scientiæ Scripturarum, sacræ doctrinæ acquisitioni, et rerum spiritualium administrationi magis idonei efficiantur, dummodo tamen officiis rite obeundis sedulo et indesinenter incumbant. Patet ex precibus ipsis quæ in *Pontificali* reperiuntur pro collatione cujusque ordinis, et ex argumento convenientiæ jam supra allato.

Art. II. De singulis ordinibus in specie[1].

1. De tonsurâ.

28. 1° Tonsura non est ordo, juxta communem theologorum sententiam, sed *præambulum* ad ordines, et definitur: *cæremonia sacra, ab Ecclesiâ instituta, quâ vir baptizatus et confirmatus, specialiter Deo dicatur et in clerum adscribitur, ut se ad ordines disponat.* Antiqui auctores ut *Gregorius Turonensis* et *S. Isidorus*, ejus originem S. Petro adscribunt, dum nonnulli moderni multo probabilius tenent eam nonnisi quarto vel quinto sæculo fuisse institutam[2]. Rationes autem cur capilli ad coronæ speciem et similitudinem tondentur, sunt ut in memoriam revocetur corona, quæ ex spinis contexta Salvatoris nostri capiti fuit imposita, ad declarandum regiam dignitatem quâ clerici ornantur, et ad significandum, per capillorum subtractionem, clericos res inutiles et mundanas contemnere debere[3].

---

1 *S. Thom.* Sup. qq. 37, 40; *Drouin*, pars. II, sect. 1 sq.; *Tournely*, q. VI; *de Augustinis*, a. 3-6; *Egger*, n. 625 sq. Munera et officia cujuslibet ordinis pie et erudite descripta invenies apud *Catech. Trident.* p. II, de Ordine, n. 27 sq.; *Olier*, Traité des SS. Ordres; *de Lantages*, Instructions ecclésiastiques; *Bacuez*, Instructions et Méditations à l'usage des Ordinands.

2 Cf. *Martene*, op. cit. lib. I, c. 8, a. 7; *Chardon*, op. cit., ap. *Migne*, vol. XX, 796; *Gasparri*, n. 37. Tonsura, quatenus capillorum brevitatem importat, antiquior est; sed, quatenus est abrasio capillorum in vertice capitis ad modum coronæ, primum a monachis usurpata est, deinde a sæcularibus clericis circa sæc. V.

3 *Catech. Rom.* de Ordine, n. 31.

29. 2° Tonsurati *clerici* vocantur a græca voce κλῆρος (sors, pars), tum quia sunt speciali modo pars Domini, tum quia Dominus fit speciatim eorum pars seu hereditas, juxta illud : *Dominus pars hereditatis meæ.* Dispositiones ad tonsuram requisitæ sic a *Trident.* describuntur : " Primâ tonsurâ non initientur qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus conjectura non sit eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse " (sess. XXIII, cap. 4 de Reform.). Virtutes, quas clericus colere debet, sunt fuga mundi ejusque voluptatum, honorum, et sordidi lucri contemptus; quod exprimitur per capillorum tonsionem et verba eam comitantia : " Dominus pars hereditatis meæ et calicis mei : tu es qui restitues hereditatem meam mihi "; insuper unio cum Christo, ejusque virtutum imitatio, quæ superpellicei receptione et his verbis significatur : " Induat te Dominus novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitiâ et sanctitate veritatis ".

30. 3° Privilegia per tonsuram collata sunt habilitas ad beneficia et jurisdictionem, immunitas, privilegium fori et privilegium canonis, de quibus vide *Prælectiones juris canonici.*

II. De quatuor minoribus ordinibus[1].

31. Quatuor illi ordines successive in Ecclesiâ instituti sunt prout postulabat temporum necessitas; illos jam tertio sæculo exstitisse certo constat ex Ep. *Cornelii* Papæ ad Fabianum (circa a. 252) ubi declaratur tunc Romæ fuisse " unum Episcopum..., Presbyteros quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, *acolythos* duos et quadraginta, *exorcistas* autem et *lectores* cum *ostiariis* quinquaginta duos ".

32. 1° *Ostiariatus* est ordo quo, traditione clavium, confertur potestas aperiendi et claudendi ecclesiæ januas, arcendi indignos, et sacræ supellectilis custodiam habendi. *Materia* est traditio clavium, *forma* autem : Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur. *Virtutes* huic ordini respondentes sunt zelus domûs Dei, et zelus animarum; nam ordinandum sic admonet Pontifex : " Sicut materialibus clavibus ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, *corda sc. fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo* ".

33. 2° *Lectoratus* est ordo dans potestatem verbum Dei in ecclesiâ ex pulpito legendi, et populum catechizandi in rebus fidei. Lectores antiquitus benedicere consueverant; dicitur enim in Pon-

[1] De origine et numero Ordinum Minorum, videre est, præter auctores citatos, *L. Duchesne*, Origines du culte chrétien, Paris, 1889, p. 329 sq.

tificali : " Lectorem oportet ... benedicere panem, et omnes fructus novos "; hodie vero talis potestas ligata manet, donec sacerdotium accipiatur. *Materia* est traditio libri in quo continentur lectiones, v. g. Missale; *forma :* Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio. *Virtutes* a lectore colendæ sunt Scripturarum amor et studium, zelusque ad fideles sanctificandos, juxta illud : " Quod autem ore legitis, corde credatis atque *opere compleatis*, quatenus auditores vestros *verbo pariter et exemplo vestro docere* possitis ".

34. 3° *Exorcistatus* est ordo potestatem conferens expellendi dæmones a corporibus baptizatorum vel catechumenorum, et aquam benedictam præbendi. *Materia* est traditio libri exorcismorum, cujus loco dari potest Pontificale vel Missale; *forma* vero : " Accipite et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos ". *Virtutes* igitur colendæ, sunt munditia cordis, passionumque mortificatio, juxta hæc Pontificalis verba : " Omnem *immunditiam* et *nequitiam ejiciatis*, ne illis succumbatis quos ab aliis vestro ministerio effugatis. Discite per officium vestrum *vitiis imperare*, ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare ".

35. 4° *Acolythatus* est ordo quo potestas traditur urceolos cum vino et aquâ porrigendi in Missâ, et lumina accendendi, et deferendi. Antiquitus litteras Episcoporum, eulogias, imo et SS. Eucharistiam ad ægrotos vel absentes deferebant. *Materia* est duplex : traditio candelabri cum cereo exstincto et urceoli vacui; *forma* pariter duplex : " Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini; Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini "; in utroque casu ordinandus *amen* respondere debet. Ex quo sequitur acolythum opera tenebrarum abjicere debere, castam vitam ducere, et bonis operibus plebem ædificare, ut aperte ex Pontificali colligitur : " *Abjiciatis opera tenebrarum* et induamini arma lucis ... estote igitur solliciti in omni *justitiâ, bonitate et veritate*, ut vos et alios et Dei ecclesiam *illuminetis*. Tunc etenim in Dei sacrificio digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium per *castam vitam* et bona opera oblati fueritis ".

III. De subdiaconatu et diaconatu.

36. 1° *Subdiaconatus* est ordo sacer potestatem conferens materiam sacrificii præparandi, calicem et patenam diacono offerendi, Sacerdoti sacra solemniter celebranti aquam fundendi, epistolam in Missâ cantatâ legendi, et sacra linteamina abluendi. *Materia* est traditio calicis vacui

cum patenâ vacuâ, quæ probabilius consecrata esse debent; *forma :* "Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis ut Deo placere possitis". Traditio urceolorum, quæ fit ab archidiacono, et libri epistolarum certo moraliter non requiritur ad validitatem : idem dic a fortiori de traditione vestium sacrarum. *Onera* huic ordini adnexa in Ecclesiâ Latinâ, sunt : obligatio *divinum officium recitandi*, quæ *spiritum orationis* supponit, et perpetua *continentia*, ad quam servandam requiruntur fuga occasionum, præsertim nimiæ cum feminis familiaritatis, sensuum tum externorum tum internorum assidua mortificatio, oratio frequens, amor Scripturarum et indefessus labor.

37. 2° *Diaconatus* est ordo sacer et hierarchicus, quo traditur potestas immediate ministrandi ad altare in Missâ solemni, Evangelium canendi et explicandi, baptismum et communionem administrandi in casibus extraordinariis, ut alibi explicatum est. De *materiâ* hujus ordinis disputant theologi : alii tenent totam materiam in impositione manûs[1] sitam esse, alii in solâ traditione Evangelii, alii in utrâque simul. *Forma* est : Accipe Spiritum S. ad robur, etc., cum præfatione cui hæc verba inseruntur; vel : Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesiâ Dei, tam pro vivis quam pro defunctis; vel utraque simul. *Virtutes* a diaconis colendæ sunt *perfecta castitas*, quæ major in illis esse debet quam in subdiaconis : "quia comministri et cooperatores estis corporis et sanguinis Domini, estote ab omni illecebrâ carnis alieni... estote *nitidi*, *puri*, *mundi*, *casti*, sicut decet ministros Christi"; *zelus* ad prædicandum Evangelium non solum verbis, sed etiam exemplis : "curate ut quibus Evangelium ore annuntiatis, *vivis operibus* exponatis"; *devotio erga Spiritum S.*, qui ipsis datur ad robur.

IV. De presbyteratu.

38. 1° *Presbyteratus* est ordo sacer potestatem conferens consecrandi corpus et sanguinem Christi, et peccata remittendi vel retinendi. "Sacerdotem oportet *offerre*, *benedicere*,

[1] Quæ impositio practice physica esse debet; nam *S. Offic.* jussit secreto repetendam esse ordinationem diaconi cujus caput physice episcopus non tetigerat; cfr. *Acta S. Sedis*, XXX, p. 158.

præesse, prædicare et *baptizare*". *Offerre* designat potestatem Sacerdotis circa corpus Christi naturale, sc. consecrandi, offerendi sacrificium Missæ, communionem dispensandi. Cetera verba referuntur ad officia Presbyteri circa corpus Christi mysticum; debet *benedicere*, i. e., bona cœlestia super res et personas effundere per sacramenta, sacramentalia aliasque sacras functiones; *præesse*, i. e., divinis officiis, absente Episcopo, prœsidere, populumque, sub Episcopo regere; *prædicare*, seu gregem verbo divino pascere; *baptizare*, et insuper sacramenta *Pœnitentiæ* et *Ext.-Unctionis* ministrare.

39. 2° *De materiâ et formâ* hujus ordinis magna est controversia : (A) Prima sententia cum *D. Soto*, *Goneto*, etc. tenet materiam essentialem adæquatam esse *instrumentorum traditionem;* formam autem : Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, etc.; quum *Florent.* eam solum commemoraverit : " Sextum sacram. est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem". (B) Secunda sententia docet cum *Habert*, *S. Ligorio*, etc. materiam in solâ *manuum impositione* sitam esse, quæ fit statim post admonitionem Episcopi, et sic a Pontificali describitur : " Imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens; idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt... quo facto tam Pontifex quam Sacerdotes tenent manus dexteras extensas super illos "; utramque hanc impositionem vocamus *primam*, ut distinguatur a *secundâ*, quæ fit sub finem missæ, aiente Pontifice : *Accipe Spiritum S.* Scriptura enim solam impositionem commemorat; aliunde constat apud Græcos[1] instrumentorum porrectionem nunquam viguisse, nec apud

[1] Apud Græcos, ordines diaconatu inferiores modo cum manuum impositione, modo sine eâ conferuntur; sed diaconatus, presbyteratus et episcopatus semper conferuntur manuum impositione, quæ incipit quando ordinator dicit : *Divina gratia promovet hunc in diaconum, presbyterum vel episcopum*, et continuatur dum fit consecratio per solemnem precationem, quâ Deus oratur ut gratiam ordinando concedat.

Latinos ante sæculum decimum. Forma autem est oratio *Exaudi*[1], cum sequenti præfatione, addit *Lehmkuhl*, n. 590. (C) Tertia tandem sententia, a *Bellarmino*, *Billuart* etc. propugnata, contendit *tum porrectionem* instrumentorum, *tum manûs impositionem* esse necessariam, unamque totalem materiam efficere : juxta quosdam, manuum impositio requisita *prima* est quam supra descripsimus; sed, juxta alios, *secunda* est quæ fit post communionem, quando Pontifex dicit : "Accipe Spiritum S., quorum remiseris peccata etc." Nostro judicio, res meliori modo solvi nequit nisi admittendo, cum *Lugo*, juxta ea quæ diximus in *Tr. de Sacram.* n. 84, Christum non determinâsse materiam Ordinis in ultimâ specie, sed eam Ecclesiæ determinandam reliquisse : hinc Ecclesia, primis sæculis, solam manuum impositionem usurpavit, quæ in Oriente præsertim auctoritatis collationem designat, postea vero instrumentorum porrectionem etiam adhibuit, ut magis aptam ad auctoritatis collationem exprimendam in Occidente.

40. Quidquid sit, in *praxi*, quum agatur de validitate, tutior pars sequenda est, et nil ex iis quæ probabiliter requiruntur, omittendum est. Hinc (a) si omissa fuerit prima manuum impositio, supra descripta, i. e. sive impositio ipsa, sive extensio manus dexteræ, quæ fit ab Episcopo, tota ordinatio repetenda est, ex declaratione *S. C. C.;* sed si presbyteri hanc manuum extensionem omiserint, ordinatio valida est. (b) Si omissa fuerit secunda, quæ fit post communionem, supplenda est quam primum, etiam extra ordinationem, imo extra sacrif. Missæ (*S. C. R.* 1841); (c) si facta fuerit impositio manuum *sine tactu corporali*, supplenda est secreto in actione Missæ (*S. O.* 19 Aug. 1851); si vero tactus physicus fuit, sed mediatus, propter pileolum quo tegebatur caput ordinandi, nihil est iterandum (*S. Offic.* 22 jun. 1892); (d) ad *majorem securitatem*, requiritur *physicus* instrumentorum contactus calicis, patenæ; iterum calix et patena consecrata esse debent, et genuinum vinum in

[1] Quidam pro formâ habent præviam illam exhortationem "*Oremus*"; hoc autem vix probabile est, quum talia verba sint solum exhortatio ad orandum pro Ordinandis.

calice, verus triticeus panis super patenam porrigi debet;[1] (e) si tangantur calix et patena, non autem hostia, certum est *moraliter* ordinationem esse validam; (f) relate ad formam, omnes orationes variis materiis respondentes accurate pronuntientur, et notetur orationem *Exaudi* cum sequenti præfatione, quæ primam manuum impositionem subsequitur, a nonnullis ad validitatem requiri (Cf. *Lemhk.*, 590).

41. 3° Sacerdos *omnibus virtutibus debet esse ornatus*, quum sit *alter Christus;* ait enim Pontificale : " Gravitate actuum, et censurâ vivendi probent se *seniores* ... ut in lege tuâ die ac nocte meditantes, quod legerint credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendant ". In eis præsertim eluceat *caritas*, juxta illud : " Accipe vestem sacerdotalem, per quam caritas intelligitur ".

V. De episcopatu.

42. 1° *Episcopatus* est ordo sacer et supremus, quo Presbytero confertur potestas fideles confirmandi, ministros ordinandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes : " Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare et confirmare " (*Pontific.*). Duo priora officia ad potestatem *jurisdictionis* referuntur et important potestatem *legislativam*, *judiciariam*, *coercitivam*, *administrativam*, prout explicatur a Canonistis. Quinque alia ad potestatem *ordinis : consecrare* importat abbatum benedictionem, regum consecrationem, ecclesiarum dedicationem, altarium, calicis et patenæ consecrationem, S. Olei benedictionem, et generatim omnes benedictiones quæ sacrum chrisma requirunt. *Ordinare* ad collationem sacramenti Ordinis refertur : solus enim Episcopus est ordinarius hujus sacramenti minister, ut aperte dicit *Florentinum*. Cetera officia, " *offerre*, *baptizare* et *confirmare* ", per se intelliguntur.

43. 2° Certum est episcopatum habere rationem sacra-

[1] Hinc, si evolaverit hostia in terram ante tactum instrumentorum, ordinatio ex integro sub conditione iteranda est ex decis. *S. Officii* 6 jul. 1898 ap. *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 123.

menti, sed controvertitur utrum sit ordo a presbyteratu distinctus : (A) Multi antiqui theologi, cum paucis recentioribus[1], tenent episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum, sed ejus extensionem et intrinsecum complementum; nam distinctio ordinum accipitur secundum habitudinem ad Eucharistiam; atqui Episcopus non habet relate ad consecrationem potestatem superiorem Sacerdoti (*S. Th.* Sup. q. 40, a. 5)[2]; aliunde, si episcopatus esset ordo distinctus, posset quis, omisso presbyteratu, verus Episcopus fieri, sicut potest quis, neglecto diaconatu, Sacerdos ordinari; hoc autem admitti nequit, juxta communem theologorum sententiam; ergo. (B) *Bellarminus* tamen (c. 5) cum plerisque theologis ac canonistis modernis[3] contrarium docet; nam episcopatus specialem confert potestatem, sc. potestatem confirmandi et ordinandi, seu spirituales patres gignendi; proindeque gaudent Episcopi facultate non solum consecrandi Eucharistiam, sed eamdem aliis communicandi; quod sufficit ad specialem ordinem constituendum. Ratio autem cur communiter dicatur episcopatum non posse conferri sine presbyteratu, est quia episcopatus, ita Deo volente, sacerdotium necessario includit, quum sit sacerdotii culmen, et præsupponat potestatem consecrandi in presbyteratu collatam[4]. Quam opinionem ut probabiliorem amplectimur.

44. 3° De fide est, contra *Waldenses*, *Wicliffum* ac *Calvinianos*, Episcopos esse Presbyteris superiores, ex *Trident.* : " Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem ...

[1] Cf. *Billot*, th. 31.

[2] Licet *S. Thomas*, quum esset junior, hanc sententiam docuerit, senior tamen factus sententiam mutavit in Opusculo de perfectione vitæ spiritualis, c. 24; de quo vide de *Rubeis*, dissert. 26 in S. Thomas, c. 24.

[3] Cfr. *Gasparri*, op. cit. n. 23 sq.; *Tepe*, n. 715 sq.; *Le Canoniste contemporain*, febr. 1895, p. 65 sq.

[4] Aliunde non absolute constat episcopatum invalide conferri ei qui non fuit jam antea ordinatus Presbyter : nonnulla enim referuntur exempla laicorum vel clericorum qui, per saltum, ad episcopatum evecti sunt, ut legitur in *Libro Pontificali* (ap. *Gasparri*, n. 24).

A. S." (A) Noluit quidem Concilium definire utrum hæc superioritas sit *de jure divino*, sed hoc tamen ex contextu satis clare colligitur; nam ideo dicuntur Episcopi Presbyteris superiores quia habent potestatem confirmandi et ordinandi; atqui hoc pertinet ad potestatem ordinis, quæ ab institutione Christi pendet. (B) Aliunde historiâ constat, jam ab initio, duplicem ministrorum ordinem fuisse, muneribus juribusque distinctorum, licet sæpe sæpius vocabula *Presbyteri* et *Episcopi* promiscue sumerentur; nam ex *Actibus*[1] colligitur fuisse ministros alios aliis superiores: " Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos *regere Ecclesiam Dei*", sc. tum laicos tum clericos inferiores; iterum *S. Paulus*[2] docet Episcopos posse per civitates constituere Presbyteros et eos judicare: " Reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et *constituas per civitates Presbyteros;* adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus". Idem constat ex *Patribus;* ita *S. Ignatius M.* in singulis epistolis suis, *Hermas*[3] Episcopos a Presbyteris distinguunt sicut hos a diaconis. Atqui distinctio, quæ tempore Apostolorum eorumque successorum jam vigebat, nonnisi ex jure divino esse potest. (C) Opponitur quidem auctoritas *S. Hieronymi* dicentis[4]: " Idem est ergo Presbyter qui et Episcopus"; sed alibi clare distinguit, inter Episcopos, Presbyteros et Diaconos, et quidem ex institutione divinâ[5]; nisi igitur sibi aperte contradicat, dicere vult Episcopum et Presbyterum eamdem potestatem habere quoad aliquid, v. g. consecrationem Eucharistiæ, non autem quoad omnia. Revera in epistolâ jam citatâ, addit: " Quid facit, *exceptâ ordinatione*, episcopus, quod presbyter non faciat?"; ubi diserte asseritur Episcopum ordinationem conferre posse; quod nequit presbyter[6].

---

[1] *Act.* XX, 28. — [2] *I Tim.* V, 19; *Tit.* I, 5. — [3] Lib. I, vis. 3, n. 5.

[4] Comment. in Tit. I, 5; cfr. Epist. 146, al. 85 ap. *Migne*, t. 22, p. 1192. — [5] Adv. Lucifer. n. 9; cfr. Epist. 146.

[6] Ad fusiorem hujus difficultatis expositionem et solutionem legere est *Petavium*, l. IV, c. 4-5; *Drouin*, p. II, sect. 6, § 4; *Hurter*. n. 702-706; *De Smedt*, L'Organis. des églises chrét., Congrès scientif. interna. vol. II, p. 303 sq. (1888); pariter quæ scripsimus de Ecclesiâ, n. 59 sq.

45. 4° Quoad materiam et formam episcopatûs, adest controversia : alii eam reponunt in impositione libri Evangelii supra caput Consecrandi, alii in impositione manuum, alii in utrâque simul : de quâ idem dici debet ac de presbyteratu.

46. 5° Præcipuæ *virtutes* ab Episcopo colendæ, hisce Pontificalis verbis continentur : " Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua... Sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens, oderit superbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat, aut laudibus aut timore superatus ".

APPENDIX : DE ORDINATIONIBUS ANGLICANIS [1].

47. *Status quæstionis.* Initio anglicani schismatis (1534-1547), Catholica ordinationis forma retenta fuerat, ideoque ex hoc capite ordines, tunc temporis collati, validi erant. Instigante autem *Cranmer*, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub Eduardo VI, fuit publice inductus, in quo omnia deleta sunt quæ potestatem consecrandi Eucharistiam spectant ; retentâ siquidem impositione manûs, forma in ordinatione presbyteri adhibita, hæc est : " Accipe Spiritum S. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueris, retenta sunt. Sis fidelis dispensator verbi Dei et sanctorum sacramentorum ejus ". Forma ordinationis episcopalis his continetur verbis : " Accipe Spiritum S. ; et memento ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem

[1] *René de Vois*, Justification de l'Eglise Romaine sur la réordination des Anglois épiscopaux, Paris, 1718 ; *Michel Le Quien*, Nullité des ordinations anglicanes, Paris, 1725 ; *Fennell*, Mémoire sur la validité des ordinations des Anglois, Paris, 1726 ; *J. Hardouin*, S. J., La Dissertation du P. Le Courayer sur la succession des Ev. anglois et sur la validité des ordinations anglicanes, réfutée, Paris, 1724 ; *E. Estcourt*, The Question of Anglican Ordinations discussed, London, 1873 ; *Gasparri*, De la valeur des Ordinations Anglicanes, Paris, 1895 ; *Lacey-Puller*, De Re Anglicanâ ; *Sydney Smith*, Reasons for rejecting Anglican Orders ; *The Tablet*, vol. 45-46 ; *Civiltà Cattolica*, vol. VIII, Quadr. 1113-1114 ; The sources of the Bull, by T. A. Lacey ; The Policy of the Bull, by Catholicus, ap. *Contemporary Review*, Dec. 1896 ; quæ duæ posteriores dissertationes confutantur a *P. Sydney Smith*, ap. *Contemp. Review*, Jan. 1897, et *Brandi*, A Last Word on Anglican Ordinations, New York, 1897.

manuum. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis". Jamvero *Matthæus Parker*, a quo anglicana hierarchia originem sumpsit[1], secundum hunc novum ritum consecratus est; quæstio est igitur utrum ejus ordinatio valida fuerit, vel non; nam, si nulla fuerit, eo ipso invalidæ sunt ceteræ ordinationes ab eo peractæ, vel ab Episcopis quos ipse consecraverat.

48. *Thesis:* **Ordinationes ritu anglicano actæ, irritæ prorsus fuerunt ac sunt, omninoque nullæ.** Ita explicite *Leo XIII*, in Bullâ *Apostolicæ curæ*, sept. 1896, cujus argumenta hic breviter contrahimus.

1o *Auctoritate* probatur. (a) Jam an. 1555, *Paulus IV*, in Bullâ *Præclara carissimi*, declaraverat omnes qui ad ordines ecclesiasticos promoti fuerant ab alio quam ab Episcopo recte ordinato, eosdem ordines de novo suscipere teneri; porro, attentis omnibus circumstantiis, hic agebatur de iis qui promoti fuerant secundum novam ritualem formam; quod aliunde apertius exposuit idem Pontifex in Brevi *Regimini universalis* 30 Oct. 1555. (b) Revera ordinationes ritu Eduardiano collatæ, tanquam invalidæ semper habitæ sunt in Ecclesiâ Romanâ quæ sine conditione ordinavit ministros anglicanos, ad veram fidem conversos, qui ritu Eduardiano jam ordinati fuerant; ita v. g. *Clemens XI*, ratam habens Cardinalium S. Officii decisionem, feriâ V, die 17 aprilis 1704, decrevit: "Joannes Clemens Gordon *ex integro et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et præcipue presbyteratûs"[2]. Porro nunquam licet absolute sacramentum Ordinis iterare, nisi certo de ejus nullitate constet.

2o *Rat. theol.* Ritus Eduardianus, juxta *Leonem XIII*, invalidus est ex defectu *formæ* et ex defectu *intentionis*. (a) *Forma* enim minime significat definite ordinem sacerdotii, vel ejus gratiam et potestatem, quæ præcipue est potestas consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini; imo, in precationibus adhibitis, *ex industriâ* deletum est quidquid dignitatem et officia sacerdotii designat. Frustra objicitur formam fuisse postea his verbis auctam

[1] Nostris diebus quidam anglicani ab episcopis Jansenistis, in Bataviâ degentibus, ordinati sunt: quorum ordinatio valde probabiliter valida est; sed de his non agimus; animadvertimus tantum hanc agendi rationem satis probare illos de validitate anglicanarum ordinationum dubitâsse.

[2] Fatemur equidem unum ex argumentis, a *Cl. Gordon* allegatis contra validitatem suæ ordinationis, fuisse nullitatem ordinationis *Parker* ex illâ tunc a multis receptâ fabellâ de hujus consecratione in tabernâ (vulgo dictâ *nag's head*); sed, in sententiâ ferendâ omnino seposita est ea causa, ut documenta produnt, neque alia ratio est reputata, nisi defectus formæ et intentionis. Cfr. *Amer. Eccles. Review*, Febr. 1897, p. 143-145.

"*ad officium et opus Presbyteri*, ad officium et opus Episcopi"; nam hoc potius convincit Anglicanos ipsos vidisse primam formam fuisse mancam; eadem vero adjectio, si forte sufficiens esset, serius est inducta, elapso jam sæculo, quum, hierarchiâ extinctâ, potestas ordinandi jam nulla esset. — Nec dicere juvat nonnullas formas a Græcis, vel etiam a Latinis ante sæc. X, usurpatas, magis explicite non designare potestatem consecrandi; ritus enim intelligi debet juxta ea quæ formam ipsam præcedunt vel sequuntur: porro in Ecclesiâ tum Græcâ tum Latinâ, ex totâ serie orationum clare colligitur potestatem Eucharistiam consecrandi vere conferri, dum ex adverso hujus potestatis collatio *ex industriâ* ab institutoribus ritus Eduardiani repudiata fuit, eo quod Missarum sacrificia tanquam blasphema figmenta et perniciosas imposturas haberent. (b) Deest pariter *intentio;* hic non agitur de intentione mere internâ, de quâ Ecclesia non judicat, sed de eâ quæ exterius proditur. Quæ sane intentio deficit, si ritus immutetur eo manifesto consilio ut alius inducatur ab Ecclesiâ non receptus, utque id repellatur quod facit Ecclesia et quod ex institutione Christi ad naturam attinet sacramenti; atqui res ita se habuit in ritu Eduardiano, cujus auctores, hæreticis erroribus imbuti, ut fatentur hodierni Anglicani, ea omnia abolere voluerunt, quæ ad sacrificium eucharisticum spectabant; ergo non solum deest intentio necessaria, sed intentio habetur sacramento adversa ac repugnans.

"Itaque, ait *Leo XIII* (l. c.), omnibus Pontificum Decessorum in hâc ipsâ causâ decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostrâ, motu proprio, certâ scientiâ, pronunciamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus, omninoque nullas".

De Matrimonio.

Auctores consulendi.

Inter **Patres**: *Sæc. II*, **Hermas**, Pastor, Lib. II Mand. IV, c. 1; *sæc. III*, **Tertullianus**, Libri duo ad Uxorem; Liber de Monogamiâ; *sæc. IV*, **S. Ambrosius**, ep. 60 et 84; **S. Joannes Chrysost.** Homil. III de Legibus connubii, seu de Matrimonio; *sæc. V*, **S. Augustinus**, Libri duo de conjugiis adulterinis; **S. Innocentius I**, Ep. 6 et 36; *sæc. IX*, **Rabanus**, De Consanguineorum nuptiis; *sæc. XI*, **S. Petrus Damianus**, De parentelæ gradibus; *sæc. XII*, **S. Anselmus**, De nuptiis consanguineorum.

Inter **Theologos**: *sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.**, O. P., Supplem., q. 41-68, ejusque Commentatores atque auctores de Sacramentis jam antea allegati; præterea *sæc. XV*, **S. Joannes de Capistrano**, de Matrimonio; *sæc. XVI*, **Franciscus de Victoria**, O. P., De Matrimonio; **P. de Ledesma**, O. P., De magno Matrimonii sacram., Salmanticæ, 1592; *sæc. XVII*, **Sanchez**, S. J. de S. Matrimonii sacram., Genuæ, 1602; **Pontius**, O. S. Aug., de sacr. Matrimonii, Salmanticæ, 1624; **Martinus Perez**, S. J., De s. Matrimonii sacram., Lugduni, 1646; **Vincentius Tancredus**, S. J., Libri 10 de s. Matrimonii sacram., Panormi, 1648; **Joa. d'Avezan**, De Sponsalibus et de Matrimonio. Aureliæ. 1653; **Joa. A. Bossio**, O. Barn., De Effectibus contractûs Matrimonii, Venet., 1643; *sæc. XVIII*, **Joa. Kugler**, Tr. theologico-canonicus de Matrimonio, Norimbergæ, 1705; **Gibert**, Tradition ou Histoire de l'Eglise sur le sacrement de Mariage, Paris, 1725; **Benedictus XIV**, de Synodo diœcesanâ; Quæstiones canonicæ et morales; **J. Clément**, Traité du Pouvoir de l'Eglise sur le Mariage des Catholiques, Leodii, 1768; **B. Sattler**, S. J., De bono conjugali et sanctitate cœlibatûs, 1781; **Cuccagni**, Del Matrimonio cristiano, Romæ, 1791; **Barruel**, Lettres sur le divorce, Paris, 1789; **De Rastignac**, Accord de la Révélation et de la Raison, 1790; **Fr. Albertini**, O. P. Diss. dell' Indissolubilità del Matrimonio, Venetiis, 1792; *sæc. XIX*, **De Bonald**, Du divorce considéré au XIXe s., 1801; **Gerdil**, Tr. del Matrimonio, ossia confutazione de' sistemi contrari all' autorità della Chiesa circa il Matrimonio, Romæ, 1803; **A. Muzzarelli**, S. J., Del contratto del Matrimonio in quanto sacramento;

Roskovany, De Matrimonio in Eccl. catholicâ, Aud. Vind., 1837; De Matrimoniis mixtis, Pestini, 1870; **Carrière**, S. S., Prælect. theol. majores, De Matrimonio, Parisiis, 1837; Compendium ejusdem operis. 1859; **Martin**, S. J., de Matrimonio et potestate ipsum dirimendi, Lugduni, 1844; **Perrone**, S. J.. De Matrim. christiano libri tres, Leod. 1862; ejusdem Compendium in Prælectionibus; **Palmieri**, S. J., Tr. de Matrimonio christiano, 1880; **Heis**, de Matrimonio tractatus quinque, usui venerabilis cleri Americani accommodati; **Haringer**, Das heilige Sacrament der Ehe; **Rive**, Die Ehe, in dogmatischer, moralischer und socialer Beziehung; **Kutschker**, Das Eherecht der cat. Kirche, seiner Theorie und Praxis, Wien, 1856; **Schneemann**, Die Irrthümer über die Ehe, Freib., 1856; **Weber**, De Matrimonio, 4 ed. Frib., 1886; **Esmein**, Le Mariage en Droit canonique, Paris, 1891, **Gasparri**, Tr. canonicus de Matrimonio, Paris, 1890; **M. E. Philippe**, Etude historique sur les origines et le développement du droit matrimonial de l'Eglise; **M. Rosset**, De sacramento Matrimonii tract. dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et judiciarius, Paris, 1896; **Monsabré**, O. P., Confér. sur le Mariage. op. anglice redditum curâ M. Hopper, New-York, 1890; **Van Weddingen**, L'Encycl. de S. S. Léon XIII sur le Mariage, Paris, 1891.

Inter **Protestantes**: **Schleiermacher**, Predigten üb. d. christl. Hausstand; **D. F. Stæudlin**, Geschichte d. Vorstellungen u. Lehren v. d. Ehe, 1826; **Rothe**, Theol. Ethik, 1867, IV. 4-125; **Martensen**, Die Christl. Ethik, 1878; **Oscar D. Watkins**, Holy Matrimony, London and New York, 1895; **H. M. Luckock**, The History of Marriage, New York, 1894; **Morgan Dix**; **Blunt**, op. cit., **Lichtenberger**, op. cit., t. 8, p. 691 ed. 1880.

Ex Decreto ad Armenos.

Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem: "Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ". Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causâ fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.

Tridentini Decreta et Canones de sacramento Matrimonii [1].

(*Sess. XXIV*).

Matrimonii *perpetuum indissolubilemque* nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: "Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ" [2].

Hoc autem vinculo *duos* tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata referens dixit: "Itaque jam non sunt duo, sed una caro"; statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: "Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet" [3].

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus *innuit* dicens: "Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; et seipsum tradidit pro eâ"; mox subjungens: "Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo et in Ecclesiâ" [4].

Cum igitur Matrimonium in Lege evangelicâ veteribus connubiis per Christum gratia præstet; merito inter novæ Legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt: adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Evangelii, libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magnâ Christi fidelium jacturâ: quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens anathematismos.

Can. 1. Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiâ inventum, neque gratiam conferre; A. S.

Can. 2. Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum; A. S.

---

[1] Ad meliorem horum Canonum intelligentiam, vide *A. Theiner*, op. cit., t. II, p. 313 sq.

[2] *Gen.* II, 23; *Ephes.* V, 31. — [3] *Matt.* XIX, 6. — [4] *Ephes.* V, 25-32.

Can. 3. Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum ; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant ; A. S.

Can. 4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse ; A. S.

Can. 5. Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum ; A. S.

Can. 6. Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi ; A. S.

Can. 7. Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi ; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit ; A. S.

Can. 8. Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit ; A. S.

Can. 9. Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ, vel voto ; et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum : anathema sit : cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

Can. 10. Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio ; A. S.

Can. 11. Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum, certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias cæremonias quibus Ecclesia in illis utitur damnaverit ; A. S.

Can. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos ; A. S.

Prænotanda.

1. Sacramento Ordinis propagantur ministri Dei, qui spiritualem societatem regunt ; sacramento autem Matri-

monii sanctificatur unio viri et feminæ, ex quâ gignuntur cives qui utramque societatem efformant, civilem et ecclesiasticam. Quanti momenti sit de hoc sacramento disputare illi omnes nôrunt, quibus persuasum est non solum individuorum, sed etiam familiarum societatumque felicitatem et prosperitatem a filiorum procreatione bonâque educatione omnino pendere.

2. *Varia nomina.* Matrimonium *(matris, munium)* ita appellatur, quia mater in prole suscipiendâ et educandâ majorem operam quam pater regulariter impendit, quum infans matri " ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur "[1]. Vocatur etiam *conjugium (cum, jungere)*, quia est veluti commune jugum, cui sponte se submittunt qui matrimonium contrahunt; *connubium*, seu *nuptiæ* (a *nubendo*, i. e. velando), quia antiquitus sponsæ, quando viris tradebantur, caput velo, pudoris gratiâ, operiebant[2]; *consortium (cum, sors)*, quo significatur arctissima corporum animorumque societas quâ vir et mulier connectuntur.

Matrimonium ut contractus naturalis et ut sacramentum spectari potest.

3. Ut *contractus*, definiri potest: *unio legitima viri et mulieris, mutuum et perpetuum jus ipsis conferens tum ad actus ex se aptos ad generationem prolis, tum ad vitæ communis consortium.* Dicitur; (a) *unio legitima*... i. e. inita juxta leges sive naturales sive positivas, quibus matrimonium regitur, videlicet inter virum et mulierem, qui aliunde ad hujusmodi contractum de jure sunt habiles.

(b) *Mutuum et perpetuum jus ad actus*... quibus verbis declaratur *primarius* finis matrimonii, videlicet prolis procreatio et consequenter educatio: ad essentiam autem matrimonii non requiritur ut de facto filii gignantur, quum steriles legitime nubant; nec etiam usus matrimonii, quum B. Virgo et S. Joseph legitimo matrimonio conjuncti sint, licet juribus matrimonialibus nunquam usi fuerint; sed sufficit *jus* ad illos actus qui *ex se* apti sunt ad prolis generationem, licet per accidens aliquando generatio non sequatur. Illud au-

[1] *Gregor. IX*, Decret., lib. III, tit. 33, c. 2. — [2] *Gen.* XXIV, 65.

tem jus est mutuum, ut patet, et perpetuum, ut sic excludatur vaga et fornicaria sexuum commixtio.

(c) *Ad vitæ communis consortium* : hic significatur finis *secundarius* matrimonii, mutuum juvamen quod ex utriusque amore et societate exsurgit.

4. Matrimonium autem, quatenus ad dignitatem *sacramenti* evectum, definiri solet : *Sacramentum N. L., quo per consensum contrahentium legitime præstitum, gratia conjugibus confertur ad matrimonii officia rite adimplenda.* Dicitur (a) *per consensum contrahentium*, ut sic designentur tum *materia et forma* hujus sacramenti, quæ in ipso matrimoniali contractu seu partium consensu sita est, tum *ministri* qui sunt ipsi contrahentes ; (b) *gratia confertur* ... quibus verbis declaratur *effectus* sacramenti, videlicet gratiæ sanctificantis augmentum cum jure ad gratias actuales utiles vel necessarias ad officia matrimonii rite obeunda, ut conjuges pacifice vivant filiosque christiane educent.

5. *Divisio.* Dogmaticam doctrinam de Matrimonio quatuor articulis comprehendemus :

- Existentia.
  - Thesis.
  - Corollaria.
- Essentia.
  - Inseparabilitas contractûs a sacramento.
  - Minister.
  - Materia et forma.
  - Ecclesiæ potestas circa Matrimonium.
- Proprietates.
  - Unitas :
    - De polygamiâ simultaneâ
    - De polygamiâ successivâ.
  - Indissolubilitas
    - Ex jure divino.
    - Ex jure naturali.
    - Exceptiones.
- Effectus.
  - Ad prolis educationem.
  - Ad conjugum mutuum amorem.
  - Ad concupiscentiam moderandam.

Art. I. De existentiâ sacramenti Matrimonii[1].

I. Thesis exponitur ac probatur.

6. (A) *Errores.* Olim *Gnostici* et *Manichæi* nuptias ut malas damnarunt, utpote concupiscentiæ incentivum et medium quo propagatur originale peccatum. *Protestantes* longe sunt quidem ab errore *prohibentium* nubere, quum nuptias supra virginitatem extollant, sed communiter negant, *Ritualistis* exceptis, matrimonium esse sacramentum *Lutherus* siquidem ait[2]: "Matrimonium novæ Legis sacramentum non est, cum ipsi desit divina promissio"; *Calvinus*[3] autem affirmat non magis nuptiis rationem sacramenti convenire quam agriculturæ vel arti sutoriæ, neque ut sacramentum habitas fuisse ante Gregorii I tempora[4].

---

[1] *S. Thom.* Sup. q. 42, a. 1-3; *Bellarminus*, de sacr. Matrimonii, c. 1-5; *Sanchez*, l. II, disp. 10; *Drouin*, l. X, de sacr. Matrim. q. I; *Liebermann*, cap. II, a. 1; *Perrone*, De Matrim. christ. l. I, sect. I, c. 1; *Carrière*, De Matrimonio, p. I, sect. 2, c. 1; *Palmieri*, c. II, th. 7-9; *de Augustinis*, a. 1; *Billot*, th. 36.

[2] De Capt. Babyl. § de Matrim.

[3] Instit. l. IV, c. 19, n. 34.

[4] Moderni Protestantes libenter agnoscunt Matrimonium religiosam esse institutionem: "Matrimonium non est sacramentum eo sensu quo Baptismus et Cœna, neque in sensu Ecclesiæ Romanæ, licet sanctum institutum habendum sit. Ejus celebratio est actus religionis tantum. Hunc ergo statum debita solemnitate ac in Dei timore inire debemus. Cœremonia fiat per Christi ministrum, qui unus in legem Dei sibi auctoritatem vindicare; unus, quæ contrahentium vota Deo nuncupentur, recipere ac in actu referre potest". (*Hodge*, op. cit., t. III, p. 377.) *Ritualistæ* autem illud agnoscunt tanquam unum e minoribus sacramentis: "Idem de sancto Matrimonii instituto dicendum. Quod ad hunc sacrum ritum attinet, libenti animo demonstrare valemus titulum hunc sacramentalem ipsi authentice applicari posse; *Liber Homiliarum* de ipso tamquam de sacramento loquitur, quod virum et mulierum æterni amoris ligamine vincit. Ex eodem libro eruitur, matrimonium quoddam esse vitæ genus a Deo, cum adhuc homo innocentia fruebatur, institutum; mysticam Jesu Christi et Ecclesiæ unionem exprimere; ad Canæ nuptias in Galilæa, Christi præsentia, primoque ejus tunc peracto miraculo cohonestatum. Jure igitur ac merito inter nos matrimonii sacramentum dicitur". (*Morgan Dix*, Sacramental System, p. 87-88).

7. (B) *Doctrina Ecclesiæ.* Ante Christum, matrimonium non fuit quidem sacramentum gratiæ productivum, imo nec inter sacramenta veteris Legis recensebatur; sacramentum tamen vocatum est a nonnullis Patribus, sed *latiori sensu*, quatenus erat signum rei sacræ, videlicet futuræ conjunctionis Christum inter et Ecclesiam: nam, juxta Patrum doctrinam, Adam sopore correptus [1] Christum in cruce morientem repræsentabat, Eva Ecclesiam ex ejus latere manantem; sicut relinquit homo patrem et matrem et adhæret uxori suæ, ita Verbum quodammodo reliquit Patrem ut Ecclesiæ adhæreret; sicut conjuges duo sunt in carne una, sic Verbum caro factum est, ita ut ex unione ejus cum carne unica exsurgeret persona; sicut ex Adamo et Evâ nati sunt homines, ita ex Christo et Ecclesiâ quotidie nascuntur spirituales filii. Christus autem matrimonialem contractum evexit ad dignitatem sacramenti proprie dicti, ut modo probaturi sumus.

8. *Thesis:* **Matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est proprie dictum sacramentum.** *De fide est ex Trident.:* "Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, neque gratiam conferre, A. S."

9. 1° *Scripturâ* non probatur quidem, sed innuitur. Christus matrimonium cohonestavit præsentiâ suâ ad Canæ nuptias primoque miraculo ibi patrato; illud ad pristinam dignitatem restituit, perfectam scilicet unitatem ac indissolubilitatem; sed insuper ad dignitatem sacramenti illud evexit, ut probabiliter inferri potest ex doctrinâ Apostoli. S. Paulus de mutuis conjugum officiis agens, ut conjuges efficacius ad eadem implenda inducat, exemplum affert unionis Christi cum Ecclesiâ: "Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret... ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent

[1] *Gen.* II, 18-25.

diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim carnem suam odio habuit : sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ ; et erunt duo in carne unâ. *Sacramentum* hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ ".[1] Jamvero ex his Apostoli verbis, Matrimonium christianum (a) est *signum sacrum ;* (b) *signum gratiæ;* (c) *gratiam producit*, ideoque est vere et proprie sacramentum.

10. (A) Matrimonium christianum *aliquid sacri significat*, videlicet unionem Christi cum Ecclesiâ. Etenim Apostolus christianos conjuges hortatur ut uxores sint viris subditæ, sicut Ecclesia Christo (22-24) et ut viri uxores diligant sicut Christus Ecclesiam (25-28), quia eodem modo ac vir est caput uxoris et uxor viri corpus, sic Christus est caput Ecclesiæ et Ecclesia Christi corpus (23). Unde quæ Adamus de Evâ pronuntiavit, ipsam esse os de ossibus ejus et carnem de carne ejus, æque vera sunt de Ecclesiâ relative ad Christum, nam membra sumus corporis Christi, de carne ejus et de ossibus ejus (v. 30). Sicut igitur relinquit homo patrem suum et matrem suam et adhæret uxori suæ, et sunt duo in carne una (v. 31), ita Filius Dei relinquit sinum Patris et adhæret Ecclesiæ per gratiæ communicationem, et cum Ecclesiæ membris unum corpus mysticum constituit. Hoc est sacramentum i. e. juxta vim græcæ vocis μυστηρίον, mysticum signum, et magnum quidem, tum quia magnam rem significat, nempe sponsum Christum et sponsam Ecclesiam ; tum quia miro modo hanc sacratissimam rem significat (v. 32). Ergo matrimonium Christianorum aliquid sacri significat.

11. (B) Est *signum gratiæ sanctificantis;* nam significat unionem Christi cum Ecclesiâ; atqui hæc unio per gratiam sanctificantem perficitur, juxta illud Apostoli : "Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ, ut illam *sanctificaret*" ; ergo matrimonium christianum significat gratiam sanctificantem.

[1] *Ephes.* V, 22-32.

12. (C) Tandem matrimonium christianum *producit gratiam sanctificantem quam significat.* Quod tertium punctum S. Paulus *non aperte docet; innuit* tamen, quatenus ea tradit quæ, licet ex se non sufficiant, ratione tamen œconomiæ christianæ, quam ipse merito dicendus est supponere, rem probabiliter suadent. Nam matrimonium christianum exhibetur ut unio *supernaturalis* et *permanens* : (a) *supernaturalis*, quia mutua conjugum officia, qualia ab Apostolo describuntur, supernaturalia sunt duplici titulo, ex *exemplari* quod proponitur, videlicet dilectione Christi pro Ecclesiâ atque Ecclesiæ devotâ subjectione erga Christum, — necnon ex *motivo* quod assignatur, ex eo scilicet quod vir est caput mulieris sicut Christus est caput Ecclesiæ ; (b) *permanens*, nam dilectio et obedientia, quas Apostolus præcepit christianis conjugibus, imitari debent dilectionem Christi ac Ecclesiæ subjectionem, quæ sunt aliquid constans et permanens. Atqui unio conjugum non potest esse supernaturalis sine gratiâ, neque permanenter supernaturalis sine gratiâ habituali, cui gratiæ actuales adnectantur, præsertim quum talis unio permanens specialem difficultatem præ se ferat ob inconstantiam humanæ naturæ. Ergo matrimonium christianum requirit *gratiam habitualem* simul cum jure ad gratias actuales. Porro hæc est prærogativa novæ legis, ut gratia sanctificans, cujus collationem ordinariam pro certis statibus et officiis Deus concessit, conferatur per specialem ritum sacramentalem, qui gratiam non solum significet, sed producat. Ergo matrimonium christianum est unio quæ non solum requirit et significat gratiam sanctificantem, sed et ipsam vere producit ; ergo est vere sacramentum N. Legis.

Objici potest : Jam ab Adami tempore, matrimonium fuit signum unionis Christi cum Ecclesiâ ; ergo ab Adami tempore contulit gratiam. Atqui falsum consequens, ergo et antecedens.

Resp. Ab initio matrimonium fuit solummodo signum *futuræ* unionis Christi cum Ecclesiâ, dum christianum matrimonium signum est *unionis jam peractæ.* Porro mera adumbratio rei futuræ non tantam requirit perfectionem quantam rei peractæ quasi reproductio et extensio. Unde ante Christum, signum ipsius futuræ unionis erat solus matrimonialis status, absque gratiâ sacramentali, dum matrimonium christianum, ut digna sit imago tum physicæ

tum moralis unionis Christi cum Ecclesiâ, debet, juxta S. Paulum, caritate speciali et virtutibus, quas gignit caritas, insigniri.

Imo ipsemet status matrimonialis ante Christum sensim prærogativas unitatis et indissolubilitatis, quibus præcipue fit physicæ unionis Christi cum Ecclesiâ signum, amisit. Econtra matrimonium christianum necessario unum et indissolubile factum est. Gratia specialis non requirebatur quidem ut status matrimonialis, polygamia, divortio, necnon et tyrannide viri in uxorem deturpatus, remaneret quoddam valde imperfectum signum unionis Christi cum Ecclesiâ ; sed specialis gratia omnino adesse debet in matrimonio christiano, quale ab Apostolo describitur, nempe unitate, indissolubilitate firmum et constanti dilectione inter conjuges ornatum ita ut non solum unionem Christi cum genere humano ad mentem revocare possit, sed ad vivum exprimere ipsius devotissimam erga Ecclesiam caritatem et Ecclesiæ fidelissimam erga Christum.

Neque addere juvat in textu allato agi tantum de matrimonio Adæ cum Evâ ; nam Adamus non tam de semetipso quam de posteris loquebatur, dum diceret : "Relinquet homo patrem suum et matrem suam"... ; ipse enim non habebat parentes quos relinqueret ; prophetice igitur de unione matrimoniali posterorum locutus est, et quidem de illâ quæ perfectius unionem Christi cum Ecclesiâ figurat, de eâ scilicet quæ inter Christianos existit.

13. 2° *Traditione*, videlicet *argumento præscriptionis*. Certum est matrimonium ut sacramentum vere ac proprie dictum jam agnitum fuisse a sæculo XII, in utrâque Ecclesiâ, Orientali atque Occidentali. Id hodie fatentur eruditi Protestantes. Revera jam ab illo tempore theologi omnes explicite docent matrimonium esse sacramentum, et id tradunt non ut aliquid novum et incertum, sed tanquam doctrinam certam, diu ab Ecclesiâ traditam. Præterea in *C. Lugdunensi II* (1274) lecta est confessio Michaelis Palæologi, a toto Concilio approbata, quâ declarabatur, tanquam fidei dogma, matrimonium unum esse ex septem sacramentis [1] ; et in *C. Veronensi* (1181), *Lucius III* contra Albigenses decreverat anathemate plectendos universos qui de *sacramentis*, inter quæ recensetur matrimonium, aliter sentiunt ac Romana Ecclesia [2]. Omnes pariter orientales Communitates, etiam schismaticæ aut hæreticæ, profitebantur, prout nunc profitentur, matrimonium esse unum ex septem sacramentis [3].

[1] Ap. *Denzinger*, n. 388. — [2] *Denzing.* n. 339.
[3] Cfr. *Goar*, Eucholog. p. p. 385 sq.; *Schelstrate*, Acta orient. eccl.

Jamvero ille consensus unanimis totius Ecclesiæ per plura sæcula, argumentum est veritatis pro illis omnibus qui auctoritatem universæ Ecclesiæ admittunt. Præterea idem consensus *historice* probat matrimonium ut sacramentum habitum fuisse ante græcum schisma et separationem Orientalium sectarum ; nisi enim res ita se haberet, neque Latini a Græcis, neque Græci a Latinis, neque variæ Orientalium sectæ ab utrisque hanc novam doctrinam mutuâssent, propter odia ac contentiones, quæ inter has diversas ecclesias prævalebant [1]. Neque etiam dici potest hanc innovationem ante has divisiones locum habuisse ; nullum enim invenitur hujus mutationis vestigium, nullus hujus novi inventi auctor ; sed e contra, multa invenimus vestigia, ex quibus merito infertur hanc doctrinam a Patribus edoctam esse et ab Apostolis promanare. Quod ostendemus (A) *Ex Patribus.* Quum Protestantes contendant nullum, ante Gregorii I (590) tempora, docuisse Matrimonium esse sacramentum, testimonia quædam anteriorum sæculorum in medium proferemus, ut ex eis colligi possit doctrinam hujusmodi non fuisse a Gregorio inventam sed ab ipsis Apostolis edoctam. (a) Sæc. V, jam *S. Leo M.*[2] scribebat : " Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se *Christi et Ecclesiæ sacramentum*, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in quâ docetur nuptiale non fuisse mysterium ". Ante ipsum *Innocentius I* [3] : " Statuimus, fide catholicâ suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus *gratiâ divinâ fundatum* ". Eodem fere tempore *S. Augustinus* matrimonium vocat *sacramentum nuptiarum* [4] ; hoc sacramentum comparat cum baptismo et ordinatione, docens ejus effectum esse indissolubilitatem, sicut indelebilis character est effectus baptismi et ordinis, posteaque addit : " In christianorum nuptiis plus valet *sanctitas sacramenti* quam fecunditas uteri "[5]. Porro hæc omnia simul sumpta, ac juxta

I, 126 ; *Denzing.* Rit. orient. I, 150 sq. ; *Perpétuité de la Foi*, ed. Migne, t. III, p. 965 sq.

[1] Cfr. *Tr. de Sacramentis*, n. 23-25. — [2] Ep. 167 ad Rustic.

[3] Ep. 36 ad Probum. — [4] In Joa. tr. IX, n. 2.

[5] De Nuptiis, c. 10; cfr. de Bono conjugali, cc. 18, 24.

mentem sequioris ævi definitionum intellecta, nonnisi de sacramento proprie dicto intelligi possunt. (b) Sæc. IV, idem docuit *Ambrosius*, asserens christianum conjugium benedictione sacerdotali *sanctificari*[1]: "Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali et benedictione *sanctificari* oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei connubia"? alibi[2] declarat violatione thori *gratiam sacramenti* amitti: "Cognoscimus veluti præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alterum thorum pollui; et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, *gratiam solvat;* et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium". (c) Sæc. III, *Tertullianus*, de dignitate matrimonii hæc habet[3]: "Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio et *obsignat benedictio*, Angeli renunciant, *Pater ratum* habet"? Porro tam præclara descriptio nonnisi sacramento convenire videtur, præsertim quum hæc verba "*benedictio, ratum*" posterius intellecta fuerint de benedictione gratiæ productivâ. Revera alibi[4] matrimonium vocat *sacramentum*, et in alio loco[5] addit illud esse ratum, utpote habens jam ex parte *divinæ gratiæ patrocinium.* (d) Sæc. II, diserta testimonia quidem non habentur, sed nihilominus declaratur matrimonium esse rem sacram ad Ecclesiam spectantem; ita v. g. *S. Ignatius M.* ait[6]: "Decet ut sponsi et sponsæ de *sententiâ Episcopi* conjugium faciant, quo nuptiæ sint *secundum Dominum* et non secundum cupiditatem". Quæ quidem verba, cum testimoniis Patrum ac theologorum sequioris ævi comparata, ad matrimonii sacramentum satis clare referuntur.

(B) Ex *Liturgiis*[7]; etenim in antiquissimis *sacramentariis* et *Ordinibus* seu *Ritualibus*, sive latinis sive græcis, invenire est cæremonias et preces pro nuptiarum solemnitate celebrandâ, quæ demonstrant matrimonium esse rem divine

[1] Ep. 19 ad Vigil. n. 7. — [2] De Abraham, lib. I, c. 7.
[3] Ad Uxor. l. II, c. 9. — [4] De Monogamiâ, c. 11.
[5] Ad Uxor. l. II, c. 7. — [6] Ep. ad Polyp. c. 5.
[7] Cfr. *Martene*, De Ant. Eccl. Ritibus, l. I, c. 9, a 5 sq.; *Goar*, Eucholog. Græcorum, De officio coronationis (i. e. nuptiarum, in quibus sponsa coronabatur) aliique auctores superius allegati.

institutam, cum sanctificatione et gratiâ conjunctam; ita v. g. declaratur " Deum esse qui legitimâ societate conjuges connectit, et supra conjuges opem suæ benedictionis infundit, ut in conjugali consortio *sanctitate mutuâ* copulentur, mulierisque rudimenta sanctificentur "; sic v. g. in lit. armenâ legitur : " Benedic, Domine, et *sanctifica* servorum tuorum conjugium ... Non enim prohibuisti nuptias, sed *sanctificasti* eas et sacerdotaliter benedixisti "[1]. Confirmatur ex antiquis *monumentis*[2], in quibus depicta reperitur nuptiarum celebratio; ibi enim exhibentur vir et mulier dextras jungentes, et inter eos exstat monogramma Christi, vel aliquando Christus ipse sponsos coronans, ut exinde appareat matrimonium esse *rem sacram;* imo in numismate græco ad sæc. V vel VI spectante, Christus exhibetur ut conjuges jungens, eisque gratiam impertiens, nam hæc legitur inscriptio Θεοῦ χάρις (gratia Dei). Jamvero hæc omnia *per se sola* non sufficerent quidem ad thesim demonstrandam; sed sunt veluti vestigia, quæ ostendunt doctrinam catholicam de elevatione matrimonii ad dignitatem sacramenti fuisse antiquitus implicite traditam, ita ut Ecclesia nihil aliud fecerit, in sequioris ævi definitionibus, nisi explicite et diserte exponere quod obscure et implicite antea tenebatur.

Fatemur equidem paucos Scholasticos, ut *P. Lombardum* et *Durandum*, obscure de hoc sacramento scripsisse, ita ut plurimis visi fuerint ejus existentiam negare. Contextu autem inspecto, non directe negarunt illud esse sacramentum, sed de naturâ gratiæ quam producit disputârunt, vel de modo quo confertur : tunc enim temporis quidam putabant gratiam a Matrimonio non conferri *ex opere operato*, quia nondum definitum fuerat hoc pertinere ad essentiam sacramenti[3]. Aliunde Durandus, cujus præsertim auctoritate adversarii innituntur, non sibi constat, et fatetur se recedere a theologis sui temporis, qui "quasi communiter, inquit[4], tenent quod per

[1] Cfr. *Gallanus*, de Conciliat. eccl. armenæ cum roman. t. II, q. 3, § 5.

[2] Cfr. *Garucci*, Vetri, tab. 26-30; *Martigny*, Dict. des Antiquités, vocabulo *mariage;* Perpétuité de la Foi, l. VI, ed. *Migne*, vol. III, p. 965.

[3] Hinc *S. Thomas*, dum esset junior, tanquam *probabiliorem* non autem ut certam habebat doctrinam quæ asserit Matrimonium esse gratiæ productivum (Sup. q. 42, a. 3); postea autem in *Sum. theol.* (2ª 2æ, q. 100, a. 2 ad 6) rem ut certam tradidit.

[4] In IV dist. 26, q. 3, n. 8.

sacram. Matrimonii confertur gratia, nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis quibus æquiparatur". Jamvero dubia hujusmodi, a theologo singularibus opinionibus addicto suscitata, argumentorum supra adductorum vim infringere nequeunt.

14. 3° *Rat. conven.* Matrimonio conjuges deputantur ad opus nobilissimum et societati tum civili tum spirituali utilissimum, videlicet procreationem et educationem prolis; vinculo indissolubili connectuntur, nec ad alias nuptias, nisi mortuo altero conjuge, convolare possunt; obligationes autem hujusmodi adeo sunt graves ut haud raro non communem sed heroicam requirant virtutem. Porro sacramenta eo fine instituta sunt ut gratiam conferant in illis vitæ stadiis quæ maximi sunt momenti, et ex quibus animarum salus maxime pendet, præsertim quum ex eisdem oriantur officia onerosa, quæ vix sine speciali auxilio adimpleri valent. Ergo conveniebat ut Matrimonio sacramentalis gratia adnecteretur, vi cujus filiorum procreatio et educatio sanctificaretur, conjugesque christiani onera sibi imposita facilius ferre valerent. (*S. Th.* Supp. q. 42, a. 3).

II. Corollaria.

15. 1° *Matrimonium sive ratum sive consummatum est in se opus honestum et laudabile.* Certum est contra Gnosticos, Manichæos aliosque supra citatos[1].

(A) *Script.* Illud enim bonum et laudabile est quod Deus ipse instituit, Christus confirmavit et Apostoli commendârunt; atqui ita de Matrimonio ; (a) *Deus* siquidem illud *instituit*, tum protoparentes sexu diversos creando, tum eos arcto fœdere sociando ut prolem procrearent : " Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis et ait : Crescite et multiplicamini"[2]. Imo aliquando idem præcepit, jubendo fratrem accipere uxorem fratris sui defuncti, ut suscitet semen fratris sui[3]. (b) Id *Christus confirmavit* tum nuptiis Canæ assistendo, tum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti evehendo, tum eumdem ad pristinam in-

[1] *S. Thom.* Supp. q. 41; *Drouin*, l. IX, q. II; *Carrière*, p. II, c. II; *Billuart*, disp. I, a. 2; *Palmieri*, th. 2; *Billot*, th. 39.

[2] *Gen.* I, 27-28; cf. II, 21-24. — [3] *Deut.* XXV, 5.

dissolubilitatem revocando[1]. (c) Idem *commendârunt Apostoli;* ita S. Paulus matrimonium vocat *honorabile*[2]; ait eum qui matrimonio jungit virginem, bene facere et conjugibus præcipit ut debitum reddant[3]; juniores viduas admonet ut nubant, et doctrinam prohibentium nubere reprobat[4]. (B) Speciale *traditionis* argumentum non instituimus, quum ab omnibus agnoscatur Patres non solum obiter sed diserte in suis operibus honestatem matrimonii propugnavisse. Adeantur, si tempus adsit, *Tertullianus* contra Marcionitas; *Clemens Al.* l. III Stromat.; *S. Hieronymus* in libris contra Jovinianum; *S. Augustinus* de Bono conjugali, de Nuptiis etc.

16. (C) *Rat. theol.* Id profecto bonum et laudabile est quod necessarium est ad humanæ speciei propagationem, est in se opus nobile, et aliunde bono fine cohonestari potest; atqui matrimonium (a) in præsenti rerum ordine, quatenus ab ipso Deo constitutum est, ad humanæ speciei conservationem et propagationem necessarium est; (b) est in se opus nobile, quum conjuges, rei maritali operam dando, simul cum Deo corpus humanum procreent, in quod infunditur anima rationalis : quod opus ipsi creationi affine est; (c) tandem bono fine honestari potest, v. g. *religionis* virtute, ut proles ad Dei cultum procreetur, *patriæ* amore, ut cives generentur qui Statui præsidio sint, *justitiæ* motivo, ut debitum reddatur, vel etiam intendi potest tanquam concupiscentiæ remedium. Verum est quidem matrimonii usum sæpe sine aliquâ libidine non esse; sed hoc est *per accidens*, et aliunde talis voluptas non est mala nisi ita dominetur ut ceteros fines honestos excludat : quod quidem vitio vertendum est non ipsi matrimonio sed iis qui eo abutuntur[5].

---

[1] *Joa.* II, 1 sq.; *Matt.* XIX, 4 sq.

[2] *Hebr.* XIII, 4. — [3] *I Cor.* VII, 38; VII, 3. — [4] *I Tim.* V, 1-3, 14.

[5] Sanctitatem et felicitatem christianorum conjugum sic præclare describit *Tertullianus* (ad Uxorem. II, 9) : "Ambo fratres, ambo conservi; nulla spiritus carnisve discretio. Atqui vere duo in carne unâ; ubi una caro, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur et simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes. In Ecclesiâ Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in an-

17. 2° *Status virginitatis vel cælibatus, pro Deo susceptus, præstantior est statu matrimoniali.* De fide est ex *Trident.* (sess. XXIV, can. 10) : "Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi matrimonio, A. S." Quæ propositio dirigitur contra *Jovinianum* (IV sæc.) et *Novatores* qui contenderunt nuptias virginitati vel æquiparandas vel etiam anteponendas esse. Ut propositio recte intelligatur, notandum est comparationem institui inter *statum* virginitatis et statum *conjugalem*, non inter personas qui in utroque statu versantur : possunt enim dari conjugati qui nonnullis virginibus perfectiores sint. Præterea cælibatus de quo agitur, non est solum carentia vinculi conjugalis, quæ nonnunquam cum vitâ flagitiosâ componitur, sed cælibatus pro Deo susceptus quo quis vitam ducit a voluptatibus carnis exemptam.

18. (A) *Script.* (a) Cum Christus Apostolis exposuisset varia matrimonii onera ex ejus indissolubilitate orientia, hi exclamârunt : "Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere"; hanc autem occasionem arripiens Salvator, asserit quosdam virginitatem colere, propter Deum, nec tamen omnes hujusmodi verbum capere, propter ejus sublimitatem : "Et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum : qui potest capere, capiat"[1]. Porro hæc important statum virginitatis excellentiorem esse conjugali statu : sic enim, juxta *Hieronymum*[2] intelligi possunt verba Christi : "Mihi illi eunuchi placent, quos fecit non necessitas, sed voluntas : libenter illos in meos sinus recipio, qui a nuptiis abstinuerunt propter regnum cœlorum, et ob mei cultum noluerunt esse quod nati sunt... grandis

gustiis, in persecutionibus, in refrigeriis; neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere æger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento; non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est".

[1] *Matt.* XIX, 9-12. — [2] Contra Jovin. l. I, c. 7, n. 13.

fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, et, juxta Apostolum, esse sanctum corpore et spiritu". (b) Idem magis diserte Apostolus docet[1]; licet enim ibi honorifice de matrimonio scribat, virginitatem tanquam aliquid melius, per modum consilii proponit : "Bonum est homini mulierem non tangere (1)... volo enim omnes vos esse sicut meipsum (7)... dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego (i. e. sine uxore) (8)... Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est (32) ... Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit *melius facit*" (38). Hæc adeo clara sunt ut Protestantes ea detorquere nitantur, asserentes Apostolum ibi loqui solum *hypothetice*, putantem scil. secundum Domini adventum jam prope esse (29); sed frustra, nam verba "*tempus breve est*" de fine vitæ intelligi possunt, et aliunde ratio allata, videlicet eum *qui sine uxore est sollicitum esse eorum quæ Domini sunt*, in omnibus locis et temporibus vera manet, et luculenter demonstrat virginitatis statum Dei servitio magis aptum esse. Hæc est etiam aperta Patrum doctrina, ut ex eorum operibus videre est : cfr. *S. Cyprian.* de habitu Virginum ; *S. Ambrosius*, de Virginibus; *S. Hieronymus*, contra Jovinianum; *S. Augustinus*, de sanctâ virginitate etc.

19. (B) *Rat. theol.* Ille enim status excellentior est statu conjugali, in quo bonum divinum præfertur bono humano, et bonum animæ bono corporis; atqui virginitas ordinatur ad bonum Dei, propter cujus amorem carnis voluptates etiam licitæ libere despiciuntur; et ad bonum animæ, quum eam disponat ad vitam contemplativam, ad orationem et considerationem eorum quæ sunt Dei[2]; dum conjugium ordinatur ad bonum corporis, quod est multiplicatio

[1] *I Cor.* VII, 1-40.

[2] Hinc *S. Thom.* (Opus. de perfect. vitæ spiritualis), docet eos præsertim a matrimonio abstinere debere qui ad perfectionem tendunt, "quia per hoc homo maxime curis sæcularibus implicatur" et maxime conjugali affectu irretitur.

generis humani, et pertinet ad vitam activam, quâ vir et mulier in matrimonio viventes necesse habent cogitare quæ sunt mundi. Hinc Christus virginem matrem elegit, virginitatem ipse perpetuo coluit, virginem discipulum præ ceteris dilexit, eique soli virginem matrem in cruce moriens commendavit, exemplo suo manifeste ostendens majoris pretii esse statum virginalem quam conjugalem. (*S. Thom.* 2. 2. q. 152, a. 4).

Nec dicatur matrimonium esse *sacramentum*, proindeque virginitate præstantius, quæ sacramenti rationem non habet. Nam hic comparamus *statum* virginitatis cum *statu* conjugali, non cum sacramento Matrimonii; aliunde quamvis Matrimonii sacramentum gratias *ex opere operato* conferat, non exinde sequitur illud esse virginitate melius : hujusmodi enim gratiæ dantur propter pericula et onera conjugii, quæ in virginali statu desunt; præterea, loco gratiarum, quas conjuges sacramento Matrimonii accipiunt, virgines multo majores obtinere valent propter ferventes actus amoris et devotionis quos, teste Apostolo, longe facilius eliciunt quam nupti.

Neque dici oportet cælibatum intra fines *boni privati* sese continere, proindeque minus utilem esse quam statum matrimonialem. Multum enim ad commune societatis bonum confert tum per modum exempli refrænantis indomitas passiones, ex quibus sanctitas matrimonii periclitatur; tum hominem continentem efficiendo aptissimum ad opera caritatis exercenda, videlicet pauperum, orphanorum ac infirmorum curam, aut parvulorum educationem etc.; tum etiam in memoriam revocando patriam illam cœlestem, ubi neque nubent neque nubentur.

Nec dicatur, cum Protestantibus multis, continentiam esse *moraliter impossibilem*, ideoque eos qui virginitatem vovent, in laqueum diaboli incidere; nam continentiam diu servare valde difficile est quidem, imo moraliter impossibile iis qui media a Christo proposita respuunt, non autem iis qui periculosas occasiones fugiunt, carnis mortificationi, studio vel labori operam dant, simulque orationi assidue vacant, ac sacramenta, præsertim Eucharistiam, frequenter recipiunt; his enim mediis concupiscentia efficaciter frænatur. Quod candide agnoscebat protestans *Leibnitz*[1] : "Clerici et religiosi firmiter habeant persuasum, quod, ad continentiam servandam, vix opus est aliâ re, quam devitare otiositatem et periculosas occasiones, et habere voluntatem firmam, cujus gratiam Deus non

[1] Systema theolog. n. 66. Quod jam animadverterant *S. Gregor. Naz.*, Orat. 31; *SS. Chrysost.* et *Hieronymus* in cap. XIX *Matt.*; *S. August.* l. VI Confess. cap. XI; cfr. *M. Rossel*, op. cit. t. I, n. 398 sq.

denegat postulanti eam ferventi studio". Revera inter ipsos Protestantes nonne sunt vidui et viduæ innuptæque virgines, quibus obligatio diu continentiam servandi incumbit? Numquid præsumere licet hos omnes vitio deditos esse? Si non liceat, cur catholici sacerdotes vel alii qui propter Deum virginitatem vovent, tanquam incontinentiæ rei insimulantur?

Art. II. De essentia sacramenti Matrimonii.

Ad hanc quæstionem clarius declarandam, dicemus 1° de *inseparabilitate* sacramenti a contractu; 2° de *ministro* hujus sacramenti; 3° de *materiâ* et *formâ;* 4° per modum consectarii, de *Ecclesiæ potestate* circa matrimonium.

I. De inseparabilitate sacramenti a contractu[1].

20. *Status quæstionis.* Duplici modo Christus sacramentum matrimonii instituere potuit, vel addendo contractui naturali aliquod signum externum gratiæ productivum v. g. sacerdotalem benedictionem, vel evehendo ipsum contractum matrimonialem ad dignitatem sacramenti. Jamvero sæc. XVII, *Marcus Ant. de Dominis*[2], Spalatensis Episcopus, postea hæreticus, et *J. Launoy*[3], necnon nostris temporibus *J. Nuytz*, professor Taurinensis, docuerunt sacramentum ita supervenire matrimonii contractui jam constituto, ut ab eo separari possit, proindeque impedimenta dirimentia a principibus statui posse, quum contractus matrimonii sit ex naturâ suâ civilis. Quam doctrinam libenter amplexi sunt *Politici*, ut sic facilius circa matrimonium leges ferre valerent.

Quidam catholici, ut *M. Canus*[4], putârunt contractum esse quidem materiam sacramenti, sed benedictionem sacerdotalem esse formam, ita ut si benedictio omittitur, existat matrimonium ut contractus, non autem ut sacramentum. Pauci alii, post *Vasquez*[5], agnoverunt quidem contractum

[1] *S. Thom.* Sup. q. 42, a. 1 ad 1; a. 3 ad 2; *Bellarminus*, de Matrim. c. 7-8; *Billuart*, diss. I, a. 5; *Carrière*, p. I, sect. 3, c. I, a. 1; *Perrone*, sect. I, c. 6; *Palmieri*, th. 10; *Pesch*, n. 718 sq.; *Billot*, th. 37.

[2] De Republ. christianâ, l. III et V, c. 2.

[3] De regiâ in matrimon. potestate, t. I, p. 2, c. 4.

[4] De Locis theol. l. VIII, c. 5.

[5] De Sacram. disp. 138, c. 5, n. 63-64.

esse totum et integrum sacramentum, sed tenuerunt contrahentes posse *suâ intentione* efficere ut contractus naturalis sine sacramento existat.

Doctrina autem catholica est ipsum contractum matrimonialem fuisse ad sacramenti dignitatem evectum, ita ut inter *baptizatos* dari non possit matrimonii contractus quin uno eodemque tempore sit sacramentum.

21. *Thesis :* **Inter Christianos matrimonii contractus et Matrimonii sacramentum tam intime connectuntur, ut nullum dari possit matrimonii contractus quin sit pariter sacramentum.** Certum est.

(A) *Script.* innuitur; etenim ex verbis S. Pauli ad *Ephesios* supra laudatis, Patrum additâ interpretatione, illud ipsum matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est quod Deus ab initio instituerat; atqui quod Deus ab initio instituerat nihil aliud est nisi contractus ipse matrimonialis; ergo contractus ipse, non autem alter ritus accessorius, vere fuit ad dignitatem sacramenti evectus. Revera nullus ritus, nulla oratio, nulla materia aut forma in Scripturâ determinatur, præter ipsum matrimonialem contractum; ergo omne matrimonium inter Christianos legitime celebratum, est sacramentum ; et vice versâ, si non adsit sacramentum, nec erit vere contractus matrimonialis.

22. (B) *Tradit.* (a) Patres non directe quidem hanc quæstionem expenderunt, sed ita de matrimonio christiano locuti sunt, ut exinde erui possit contractum ipsum fuisse ad dignitatem sacramenti evectum. Scholastici omnes qui ante sæc. XVI floruerunt id apertius declararunt, docentes, post *S. Thomam* [1], verba quibus consensus seu contractus matrimonialis exprimitur, esse formam sacramenti, vel post *S. Bonaventuram* [2] sacramentum Matrimonii pro materiâ habere personas legitimas, et pro *formâ consensum :* quod quidem importat consensum, seu contractum matrimonialem ad essentiam sacramenti pertinere, nec ab eo divelli posse.

(b) Id etiam infertur ex variis Ecclesiæ documentis. Imprimis *Decretum pro Armenis* hæc habet : " Causa efficiens

[1] Suppl. q. 42, a. 1 ad 1. — [2] In IV, dist. 28, a. 1, q. 5.

matrimonii regulariter est *mutuus consensus* per verba de præsenti expressus". Unde sic: hic certo agitur de Matrimonio ut *sacramento*, quum Decretum sit instructio de sacramentis; atqui declaratur causam efficientem, proindeque essentiam hujus sacramenti esse mutuum consensum, seu matrimonialem contractum; ergo contractus a sacramento separari nequit. Idem ex *Tridentino* erui potest: docet enim [1] matrimonia clandestina *rata* et *vera* fuisse matrimonia, quamdiu Ecclesia eadem irrita non fecerit; quod quidem importat ea fuisse verum sacramentum, nam, juxta *Innocentium III* [2] matrimonium "*verum* et *ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii sacramentum". Atqui in matrimoniis clandestinis nihil invenitur nisi contractus matrimonialis; ergo talis contractus vere constituit sacramentum, nec ab eo separari potest.

(c) Tandem res extra omne dubium posita est ex disertis declarationibus *Pii IX* et *Leonis XIII*. Prior, in Allocutione ad Cardinales habitâ (27 sept. 1852), legem reprobans, quâ matrimonium ut contractus civilis tantum habebatur, hanc rationem præfatæ condemnationis reddit: "Cum nemo ex Catholicis ignoret aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea *inter fideles dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum;* atque idcirco *quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris conjunctionem*, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, *nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum* ab Ecclesiâ tantopere damnatum: ac proinde *a conjugali fœdere sacramentum separari nunquam posse;* et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere". Posterior autem in Encycl. *Arcanum* (10 Febr. 1880), ubi doctrinam catholicam de christiano matrimonio præclare exponit, hæc habet: "Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis prædicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungent... Etenim

[1] Sess. IV, de Reformat. c. 1.
[2] *Decretal.* l. IV, tit. 19, c. 7, ap. *Denzing.* n. 351.

non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem;* atque ideo *non posse contractum verum* et *legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure... Itaque apparet omne inter Christianos justum conjugium *in se* et *per se* esse sacramentum: *nihilque magis abhorrere a veritate*, quam esse sacramentum decus *quoddam adjunctum*, aut proprietatem *allapsam extrinsecus*, quæ *a contractu disjungi* ac disparari hominum arbitratu queat".

Thesis etiam ex iis quæ de ministro, necnon materiâ et formâ disputabimus, confirmabitur: si enim ministri sunt contrahentes, si materia et forma in ipso consensu consistunt, ut ex dicendis patebit, sacramentum essentialiter in ipso contractu situm est nec ab eo disjungi potest.

Hinc, etiamsi baptizati contrahentes omnino nescirent contractum matrimonialem esse sacramentum, conficiunt tamen sacramentum eo ipso quod intendunt maritaliter contrahere. Si autem bene edocti, nollent, propter suam impietatem, facere sacramentum, distinguendum est: si eorum intentio prædominans sit conjugium inire, contractum simul et sacramentum conficiunt; si autem eorum intentio tam prava sit, ut concubinatum seligere malint quam Matrimonii sacramentum, horum unio concubinaria, non autem maritalis est.

II. De ministro Matrimonii[1].

23. *Melchior Canus* primus esse videtur qui docuerit non ipsos contrahentes, sed Sacerdotem qui eos in matrimonio jungit, ministros esse sacramenti[2]; cujus opinionem amplexi sunt multi theologi, inter quos *Sylvius*, *Drouin*,

[1] *S. Thom.* Supp. q. 45, a. 5; q. 46, a. 2; *Bellarminus*, c. 6; *Drouin*, lib. X, q. II; *Billuart*, diss. I, a. 6; *Carrière*, pars I, sect. 2, c. 2; *Perrone*, sect. I, c. 2; *de Augustinis*, a. 3; *Palmieri*, th. XI.

[2] De Loc. theolog., l. VIII, c. 5. Melchior Canus suam sententiam tribuit *Gulielmo Parisiensi*, *Petro Paludano*, imo *S. Thomæ*, sed immerito, ut late ostendit *Perrone*, l. c. p. 48 sq.

Tournely aliique; hodie vero antiqua sententia, quæ tot sæculis viguerat, iterum prævalet, et ex Ecclesiæ praxi declarationibusque nobis certa esse videtur.

24. *Thesis*: **Ministri sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes, non autem Sacerdos nuptiis benedicens.** Certum est.

(A) *Ex antiquis Ritualibus.* Ut recte enim animadvertit *Martene*[1], vir in antiquis ritibus optime versatus, ita matrimonium olim celebrabatur: sponsi sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiæ; deinde, datis sibi mutuo dextris, præstabant consensum, "in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud illos erant illa verba parochi *Ego vos conjungo*, in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam hujus sacramenti constituunt", quæ tamen desiderantur in plerisque Ritualibus antiquis. Jamvero si essentia sacramenti matrimonii in solo consensu conjugum, non in benedictione sacerdotis, consistit, ipsi contrahentes qui consensum præbent sibi administrant sacramentum.

(B) *Auctoritate theologorum.* Veteres Scholastici id aperte declarârunt; ita *S. Thomas* scribit[2]: "Consensus expressus per verba de præsenti, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit, quia hæc duo sunt de *essentiâ sacramenti*; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat". Ibidem (ad 2) addit: "Et ideo Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentiâ sacramenti". Jamvero certo requireretur, si Sacerdos esset minister matrimonii. Idem docuerunt *S. Bonaventura*[3], aliique theologi usque ad sæc. XVI. Jamvero impossibile est erravisse Ecclesiam docentem in re tam gravi per plura sæcula. Ergo.

(C) *Ecclesiæ praxi et declarationibus.* (a) *Tridentinum* declaravit *rata et vera* fuisse matrimonia clandestina, i. e. absque præsentiâ Sacerdotis contracta, quamdiu Ecclesia

[1] De Antiquis Eccl. Rit. p. II, c. 9, a. 1.
[2] Suppl. q. 45, a. 5.
[3] In IV Sent. dist. 28, q. 5.

ea irrita non fecit[1]. Atqui ex usu loquendi ecclesiastico matrimonium *ratum* idem est ac *sacramentum* matrimonii; ait enim *Innocentius III* (l. c.): "Etsi matrimonium verum inter infideles existat, *non* tamen est *ratum;* inter fideles autem *verum et ratum* existit: quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum efficit conjugii sacramentum*, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret". Ergo, juxta *Tridentinum*, matrimonia sine sacerdotis præsentiâ et benedictione celebrata, possunt esse *rata*, i. e. verum sacramentum. Ergo sacerdotes non sunt ministri hujus sacramenti, sed contrahentes.

(b) Aliunde, proposito dubio utrum matrimonia tempore gallicæ perturbationis peracta, absque Sacerdotis præsentiâ, revalidanda essent benedictione Sacerdotis, Congregatio pro negotiis Ecclesiæ gallicanæ deputata, respondit (22 Apr. 1792) "fideles hortandos esse ut cum Sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit hujusmodi *benedictionem ad validitatem minime pertinere*". Porro si R. Pontifex serio dubitâsset de validitate sacramenti matrimonii absque Sacerdote contracti, quorsum talis admonitio?

25. (D) *Rat. theol.* Ex dictis in præcedente thesi, contractus matrimonialis inseparabilis est ab ipso sacramento, proindeque illi vere conficiunt sacramentum qui simul contractum perficiunt; atqui ipsi contrahentes, non autem Sacerdos, contractum matrimonialem perficiunt, ut patet; ergo ipsi contrahentes sacramentum conficiunt, seu aliis verbis sacramenti sunt ministri.

26. (E) *Principia ad solvendas difficultates.* Quum nimis tædiosum sit varia argumenta ab adversariis allata singulatim confutare, sufficiat nonnulla exponere principia, ex quibus solvi valeant.

(a) Argumenta *a pari* ex aliis sacramentis desumpta, parum aut nihil valent, quum unumquodque sacramentum suam

[1] "Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, *rata et vera* esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant"... (Sess. XXIV de Ref. Matrim. c. 1).

propriam materiam, suos quoque ministros habeat. Frustra igitur dicunt adversarii regulariter solos Sacerdotes sacramentorum esse ministros, proindeque matrimonii; negatur enim paritas, quum matrimonium sit contractus, legesque contractus sequatur; sed insuper nonne baptismus, a laico ministratus, validus est? cur ergo matrimonium, a laicis ministratum, invalidum esset?

(b) Alius est *minister sacramenti* et alius *minister solemnitatis;* proinde, si in documentis ecclesiasticis agatur de Sacerdote ut ministro matrimonii, ex contextu determinandum est utrum quæstio fiat de ministro *conficiente*, vel solum *confirmante* sacramentum benedictione speciali.

(c) Matrimonia, sine præsentiâ Sacerdotis celebrata, illicita, aut aliquando illegitima dicebantur, quia contra leges Ecclesiæ contrahebantur, sed ex hoc minime sequitur eadem invalida fuisse. Iterum quidam benedictioni sacerdotali tribuunt virtutem *sacramentalem*, sed, inspecto contextu, sensus est hujusmodi benedictionem esse quoddam sacramentale. Nonnunquam asseritur matrimonium, absque illâ benedictione, non esse veri nominis sacramentum, quia contrahentes, legem Ecclesiæ violantes, gratiam sacramenti non recipiebant. Horum principiorum ope, præcipuæ difficultates solvi queunt: si quæ autem supersint auctoritates contra nostram thesim, vim decisionum Ecclesiæ infringere non possunt.

III. De materiâ et formâ[1].

27. Materiam sacramenti Matrimonii esse ipsum contractum omnes theologi tenent. Nonnulli autem, cum *Melchiore Cano*, putârunt formam in benedictione Sacerdotis reponendam esse: quæ quidem opinio ex jam dictis confutata manet. Doctrina igitur communis et certa est materiam et formam sacramenti in ipso matrimoniali contractu sitam esse. Hoc autem diverso modo explicatur.

(A) Quidam, cum *Navarro*, dixerunt consensum internum esse materiam, formam autem consistere in signis externis quæ consensum exprimunt; quod admitti nequit, nam ma-

[1] *S. Thom.* Supp. q. 45, a. 5; *Bellarminus*, c. 6; *Drouin*, l. X, q. 3; *Billuart*, diss. I. a. 7; *Carrière*, p. I, sect. 2. c. 3; *de Augustinis*, a. 4; *Billot*, th. 37, Corol. I, p. 344.

teria debet esse aliquo modo sensibilis, independenter a formâ; atqui consensus mere internus nullo modo sensibilis est.

(B) Alii tenuerunt, cum *Vasquez*, corpora contrahentium seu dominium in ea esse materiam, formam autem verbis consensum significantibus constitui. Admittimus quidem dominium in corpora esse materiam *remotam*, circa quam versatur sacramentum, sed negamus illud esse materiam *proximam;* nam tale dominium nullomodo gratiam significat, jamvero materia proxima sacramenti aliquomodo gratiam ab eo productam significare debet.

(C) Communis igitur sententia est materiam *remotam* esse jus in corpora in ordine ad actus conjugales, materiam *proximam* esse consensum, quatenus reciprocam corporum traditionem exprimit, formam autem esse eumdem consensum, quatenus mutuam eorum acceptationem significat. (a) Quod imprimis declaravit *Benedictus XIV*[1]: "Legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti Matrimonii; mutua nempe ac legitima corporum traditio verbis ac nutibus interiorem assensum exprimentibus, materia, et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio forma". (b) Ratione confirmatur: illud enim per modum materiæ se habet quod est determinabile, et per modum formæ quod est determinans; atqui corporum mutua traditio est quid *determinabile* tantum, quum sit solum inchoatio contractûs, et in suspenso maneat, donec accedat acceptatio; corporum autem acceptatio est quid *determinans*, quum contractum compleat eumque efficacem reddat; ergo.

Objicitur quidem contractum matrimonialem non esse materiam et formam hujus sacramenti, quia gratiam minime significat. Sed immerito; nam hujusmodi contractus significat unionem Christi cum Ecclesiâ, quæ est veluti fons ac causa gratiæ huic sacramento propriæ, proindeque ipsam gratiam quibus conjuges ipsi sanctificantur; sed insuper consensus ille directe etiam repræsentat spiritualem illam animorum unionem quæ est una e præcipuis gratiis huic sacramento annexis.

Corollaria.

28. Ex tribus thesibus supra expositis, jam erui possunt quædam corollaria.

[1] Decret. Ep. ad Archiep. Goanum, 19 mart. 1758.

(A) Matrimonium est contractus sui generis, speciales characteres præ se ferens; siquidem est: (a) *naturalis*, quatenus naturali hominum inclinatione fundatur, et ad bonum naturæ ordinatur, scil. humani generis propagationem et educationem; sed aliis contractibus multum præstat tum quia a Deo fuit institutus, tum quia versatur non circa res materiales, sed circa ipsas personas contrahentes, earumque affectus, tum quia non potest dissolvi contrahentium consensu sed ex naturâ suâ est indissolubilis, ut infra ostendetur; (b) *sacer* et *sacramentalis*, quum significet unionem Christi cum Ecclesiâ et ad dignitatem sacramenti evectus fuerit; (c) *ecclesiasticus*, quatenus ad bonum Ecclesiæ ordinatur, et in multis legibus Ecclesiæ regitur; (d) *civilis*, utpote tendens ad bonum reipublicæ, et in quibusdam accessoriis potestati civili obnoxius.

29. (B) Matrimonium inter *Infideles* non est sacramentum, quum Baptismus sit janua omnium sacramentorum, ita ut nullum a non baptizatis valide recipi valeat. Attamen eorum connubia valida sunt ut contractus naturalis: " Etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est ratum ", ait *Innocentius III* (l. c.). *Hæretici* autem, qui valide baptizati sunt, et legitime contrahunt, sacramentum Matrimonii valide accipiunt, etiamsi ignorent vel negent hujus sacramenti existentiam. Dummodo enim generalem intentionem nubendi habeant juxta leges a Christo institutas, contractum naturalem Matrimonii valide conficiunt, et, quum inter baptizatos hic a sacramento sejungi nequeat, vere etiam recipiunt sacramentum.

30. Hujus rei occasione duæ quæstiones inter theologos agitantur: (a) *Prior* est utrum matrimonium a non baptizatis contractum fiat sacramentum, si uterque conjux postea baptizatus fuerit. Quidam negant, inter quos *Vasquez*, *Salmanticenses*, *Carrière* [1], etc., quia consensus matrimonialis jam valide datus, non potest renovari: res enim semel donata non potest de novo valide donari, quum non sit amplius sub potestate donatoris. Alii autem communius et probabilius

[1] *Salmantic.*, c. 3, n. 82; *Collet*, c. II, n. 278; *Carrière*, n. 150.

affirmant cum *Sanchez*, *Bellarmino*, *Perrone* aliisque [1]; licet enim non ponatur novus contractus simpliciter, efficitur tamen novus contractus moraliter a priori distinctus, quum infideles conversi consentiant ut matrimonium antea contractum fiat indissolubile et unionem Christi cum Ecclesiâ repræsentet; nil obstat igitur quin consensus sic renovatus explicite vel implicite, sit materia et forma sacramenti, gratiamque conferat. Imo non requiritur renovatio contractûs, sed sufficit prior consensus in infidelitate datus. Nam sola ratio cur hic contractus non fuerit simul sacramentum, est quia contrahentibus christianus character deerat; statim igitur ac Baptismi characterem recipiunt, obex removetur, ac nil impedit quin contractus sit simul sacramentum. Quod aliunde Apostoli auctoritate firmatur; nam in epistolâ ubi de Matrimonii sacramento agit, Ephesios alloquitur recenter conversos, quorum plerique ante susceptum Baptisma matrimonium contraxerant, et supponit tamen eosdem esse sacramento Matrimonii sanctificatos.

31. (b) *Posterior* est utrum matrimonium *fidelis cum infideli* sit sacramentum. Supponitur utique tale matrimonium fuisse ab Ecclesiâ permissum : secus, invalidum esset. Hoc autem posito, multi negant, ut *Sanchez*, *Billuart*, *Theologi Wirceburg.*[2], quia matrimonium est contractus, et sicut ad unum contractum requiruntur essentialiter duo habiles ad contrahendum, ita ad sacramentum requiruntur duo habiles ad consensum sacramentalem præstandum ; atqui in casu de quo agitur unus tantum contrahentium habilis est ad sacramentum. — Alii autem, et quidem nostro judicio probabilius, affirmant matrimonium hujusmodi esse sacramentum in parte fideli ; ita *Salmanticenses*, *Tournely*, *Perrone* [3] etc. Etenim fidelis qui, ex dispensatione Ecclesiæ, cum infideli matrimonium init, verum contractum matrimonialem conficit, et aliunde ipse capax est gratiæ; atqui omnis matrimonialis contractus a baptizato confectus ad digni-

[1] *Sanchez*, l. II, disp. IX, n. 5 ; *Wirceburgenses*, n. 285 ; *Benedictus XIV*, de Synodo diœces. l. VIII, c. 13, n. 8 ; *de Augustinis*, a. 5.

[2] *Sanchez*, l. II, disp. VIII, n. 2 ; *Billuart*, d. I, a. 5, pet. 7 ; *Wirceburg.* n. 288.

[3] *Salmantic.* cap. III, n. 82; *Tournely*, q. II, a. 2, ed. Veneta 1739 p. 45.

tatem sacramenti fuit evectus ; ergo in casu præsenti contractus est vere sacramentum. Nec dicatur sacramentum non posse *claudicare*, seu esse validum in uno, in altero autem invalidum ; hoc enim gratis prorsus asseritur, et, quamvis fateamur rem a Dei voluntate pendere, *ex se* tamen nil prohibet quin unum idemque sacramentum sit validum in uno, qui nullo impedimento laborat, invalidum autem in altero qui sacramenti est incapax ; revera absolutio duobus simul data valida esse potest pro eo qui est recte dispositus, invalida autem pro eo qui contritione caret. Addi etiam potest durissimum fuisse Christianis mulieribus, quæ prioribus sæculis ethnicos in matrimonium ducere debebant, privari gratiâ sacramentali ipsis tam necessariâ.

IV. De potestate leges ferendi circa matrimonium [1].

32. Quum matrimonii contractus ad dignitatem sacramenti fuerit evectus, eo ipso Ecclesiæ potestati subjicitur. Hanc tamen Ecclesiæ auctoritatem negârunt non solum *Novatores*, qui matrimonium tenebant *sacramentum non esse*, sed etiam *M. A. de Dominis*, *Launoy*, *Regalistæ* non pauci, necnon *Jansenistæ* qui Synodo Pistoriensi (1786) adfuerunt : isti siquidem docere non erubuerunt potestatem leges ferendi circa christianum matrimonium, præsertim ad dirimenda matrimonia, pertinere ad solos principes sæculares, non vero ad Ecclesiam, nisi forte ex principum indulgentiâ. Præterea catholici auctores non pauci, præsertim in Galliâ, putârunt potestatem impedimenta dirimentia statuendi non solum Ecclesiæ, sed etiam principibus competere, quia matrimonium est contractus tum civilis tum ecclesiasticus. Quæ tamen opinio hodie, post repetitas S. Sedis declarationes, admitti nequit. Quid Ecclesia, quid potestas civilis de matrimonio possit decernere sequentes propositiones declarabunt.

[1] *S. Thom.*, Quodlibet. V, a. 15; *Bellarminus*, c. 32; *Sanchez*, l. VII, disp. III ; *Drouin*, l. IX, q. VI, c. 1 ; *Billuart*, diss. VI, a. 2-3 ; *Carrière*, p. III, sect. II, c. 2, n. 520 sq. cum emendationibus in 6a ed. Compendii insertis, n. 130 sq. ; *Perrone*, l. II ; *Palmieri*, th. 28 sq. ; *de Angelis*, Prælect. juris can., tom. III, p. I, p. 24 sq. ; *Cavagnis*, Instit. juris publ. 3a ed. l. V, n. 184 sq. ; *Billot*, th. 47-48.

33. *Thesis 1ª:* **Ecclesia potestatem habet statuendi jure proprio impedimenta matrimonium dirimentia, et judicandi causas matrimoniales quæ matrimonii vinculum respiciunt.** *De fide* est ex *Trident.:* "Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errâsse, A. S. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, A. S." (sess. XXIV, can. 4, 12.) Jamvero hujusmodi canones dogmatici sunt, quidquid in contrarium pauci dixerint; hic enim agitur de re non disciplinari, sed ad fidem spectante, scil. de ipsâ potestate Ecclesiæ et de ejus infallibilitate in exercitio hujus juris. Præterea hanc potestatem Ecclesiæ inesse jure proprio, non autem ex concessione Principum, colligitur ex damnatione propositionis Synodi Pistoriensis, in quâ oppositus error propugnabatur: talis enim propositio ut *Tridentino contraria* et ex *hæreticali principio* profecta, reprobata fuit [1].

34. (A) *Praxi Ecclesiæ.* Siquidem Ecclesia eâ potestate gaudet, quâ frequenter a primis sæculis usa est; atqui historice constat, jam a sæc. IV, Ecclesiam jure suo statuisse impedimenta dirimentia, et, datâ occasione, de causis matrimonialibus quoad ipsum vinculum judicâsse: (a) Imprimis antiquissima est Ecclesiæ lex, vi cujus matrimonia virginum quæ solemniter suam virginitatem Deo voverant, non solum illicita sed etiam invalida habita sunt; ita v. g. *Gelasius I* [2] scribit: "Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum *incesta fœdera* et sacrilega miscere"; jamvero incesta fœdera sane validum connubium vocari nequeunt. Porro hujusmodi lex ex nullo civili Codice desumpta est; ergo ab ipsâ Ecclesiâ jure proprio lata fuit. (b) Item Concil. *Neocæsariense* (314) can. 2 statuit: "Femina, si duobus fratribus nupserit, extrudatur usque ad mortem. Sed in morte, propter humanitatem, si dixerit quod, ubi convaluerit, *solvet matrimonium*, habebit pœnitentiam"; quibus verbis supponitur matrimonium de quo agitur tanquam nullum habitum fuisse. Jamvero hoc impedimentum a lege civili non fuit

[1] Ap. *Denzing.* n. 1422-23. — [2] Ep. ad Episcopos Lucaniæ c. 20.

mutuatum, quum hæc nonnisi an. 355 idem statuerit[1]. (c) Synodus *Matisconensis* (585), can. 16, declaravit irrita esse matrimonia a viduis clericorum contracta : "uxor subdiaconi, exorcistæ vel acolythi, mortuo illo, secundo se non audeat sociare matrimonio"; quod in nullâ civili lege reperitur. (d) Tandem in *Tridentino* Oratores Regis Galliarum petierunt ut matrimonia clandestina, et connubia sine parentum consensu contracta, irrita declararentur : prius fuit concessum, posterius autem negatum ; quod quidem luculenter probat auctoritatem Ecclesiæ in condiendis impedimentis fuisse penitus agnitam, et quidem a jure principum independentem. Quod argumentum sic breviter et nervose contrahit *Leo XIII (Arcanum)* : "Quæ (Ecclesia) potestatem in conjugia Christianorum, omni cum tempore tum loco, exercuit, atque ita exercuit, ut illam *propriam* ejus esse appareret, nec hominum concessu quæsitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam ... Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultûs, consanguinitatis, criminis, publicæ honestatis in conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi, Milevitano II[2] aliisque, fuerint ab Ecclesiæ præsulibus constituta, quæ a decretis jure imperatorio sancitis longe sæpe distarent. Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus (*Novel.* 137) fateri non dubitarunt, in iis rebus, quæ nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere. Et de connubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum, id sibi sumpsisse ex Ecclesiæ permissu atque auctoritate".

35. (B) *Rat. Theol.* Matrimonium inter Christianos celebratum est sacramentum, et, ex dictis, contractus tam arcte cum sacramento connectitur, ut unus sine altero existere nequeat; atqui sacramentum est quid omnino sacrum,

[1] *Cod. Theod.* l. III, tit. 12, *Etsi licitum.*

[2] *D'Aguirre*, Conc. Hisp. tom. I, can. 13, 15-17 ; *Harduin.* Act. Concil. tom. I, can. 11, 16-17.

quod civilis auctoritatis potestatem transcendit, solique Ecclesiæ potestati subjacet. Nec dicant adversarii matrimonium esse contractum naturalem, et quâ talem civili auctoritati obnoxium; Christus enim, hunc contractum ad dignitatem sacramenti elevando, eum sacrum reddidit et ab auctoritate civili subtraxit, quippe quæ circa res sacras nihil valet : "igitur cum matrimonium sit suâ vi, suâ naturâ, suâ sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divinâ auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet magisterium" (*Leo XIII*, l. c.)

Neque objici valet Ecclesiam nihil immutare posse circa sacramentorum substantiam, nec proinde impedimenta apponere, quæ sacramentum invalidum efficiant. Ecclesia siquidem nihil potest circa ritum sacramentalem *formaliter* sumptum, prout a Christo fuit determinatus; sed multa potest circa ritum sacramentalem *materialiter* sumptum, quatenus fuit a Christo Ecclesiæ determinationi relictus. Porro Christus, matrimonialem contractum ad dignitatem sacramenti evehendo, non ita determinavit conditiones ad ejus validitatem necessarias, ut nullus maneat locus ampliori determinationi per leges ecclesiasticas. Ecclesia igitur has conditiones determinare potest, ad promovendum christianæ reipublicæ bonum, neque in hoc substantiam sacramenti mutat, sed id solum facit ut contractus religiosus, qui alias fuisset legitimus, non sit amplius validus, nec proinde materia sufficiens sacramenti Matrimonii.

36. *Thesis 2ª :* **Potestas civilis non potest leges statuere ad matrimonii vinculum respicientes, sed solum circa effectus temporales et separabiles contractus.** *Certum est.* Ad quod intelligendum, notare juvat effectus matrimonii temporales duplicis esse generis, alios ab ipso contractu inseparabiles, v. g. mutua jura et officia conjugum quoad torum et habitationem, prolis legitimitatem; alios autem ab ipsâ substantiâ contractus separabiles, v. g. dotem, donationes propter nuptias, hæreditariam successionem etc.

37. (A) *Prius* probatur (a) *Ecclesiæ praxi;* Ecclesia enim nunquam hanc potestatem in principibus agnovit, sed e contra nullam vim habere censuit leges civiles circa matrimonii vinculum; ita *Gregorius M.* conjugia consobrinorum a principibus permissa reprobavit; *Benedictus XIV*[1],

[1] Litt. 9 febr. 1749 ad Card. Eboracensem.

loquendo de lege, quâ Theodosius prohibuerat matrimonia Judæorum cum Christianis, ait : " Hæc lex, utpote a laico principe condita, nullam habere vim in matrimoniis debet"; item *Urbanus VIII* ac *Pius VII* [1] declarârunt legem civilem, irritantem matrimonia sine consensu parentum inita, in foro conscientiæ vim non habere.

(b) *Auctoritate RR. Pontificum ;* sufficiat verba referre *Pii VI* [2] : " Dogma est fidei ut matrimonium quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud, post Christi adventum, evaserit unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis... Hinc fit ut ad *solam Ecclesiam*, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre". Ibidem illos confutat qui dicunt canonem Tridentinum (*supra* n. 33) non dicere *solos* judices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales : " Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur ; spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquat".

(c) *Rat. theol.* Matrimonium enim, ut recte ait *Pius VI*, l. cit., non est contractus mere civilis aut naturalis, sed unum ex septem sacramentis ; atqui sola Ecclesia, vi potestatis ipsi divinitus concreditæ, de sacramentis leges ferre valet ; ergo. Nec dicatur in societatibus hodiernis, quæ sunt mixtæ religionis, potestatem civilem leges condere debere circa ipsam essentiam matrimonii, ut sic pro omnibus civibus uniformitas servetur. Nam, ad hanc uniformitatem servandam, sufficit ut Status *conditiones et effectus civiles*, ex contractu matrimoniali orientes, determinet, nec requiritur ut ipsum matrimoniale vinculum attingat. Imo ipsa conscientiæ libertas postulat, ut in societatibus mixtis nulla lex feratur de ipso vinculo matrimoniali : quum enim non eadem sint hâc de re variarum spiritualium societatum statuta, ex

[1] Litt. 27 jun. 1805 ad Napoleonem.
[2] Brev. ad Episc. Motulensem 16 Sept. 1788.

quâcumque civili lege circa vinculum fieret, ut nonnulli cives tanquam invalidum tenerentur habere matrimonium quod secundum suam conscientiam validum est, vel vice versa. Unum igitur remanet, videlicet ut Status solummodo civiles contractûs matrimonialis effectus respiciat.

38. (B) *Posterius* declaratur et probatur, videlicet potestas civilis potest leges statuere circa *effectus temporales ac separabiles matrimonii*, v. g. dotes, hereditates ac generatim possessiones bonorum temporalium quæ e maritali contractu sequuntur. (a) Potest prohibere, non quidem sub pœnâ nullitatis, sed sub aliis pœnis, v. g. mulctis pecuniariis, amissione jurium civilium, ne matrimonia fiant nisi servatis conditionibus quas bonum publicum exigit, v. g. ne minores contrahant absque parentum consensu, ne milites uxorem ducant nisi de veniâ auctoritatis militaris etc. (b) Valet etiam connubiis a se vetitis denegare recognitionem nonnullorum effectuum civilium, v. g. recognitionem dotis, juris succedendi in privilegiis patris, ubi talia agnoscuntur privilegia etc. (c) Jus pariter habet *registrandi* matrimonia atque considerandi hanc registrationem ut legalem probationem existentiæ supradicti matrimonii, quamvis ex æquitate receptum sit hanc probationem per æquipollentem suppleri posse, si legalis deficiat. Ratio cur Status hæc omnia statuere possit, est quia ex unâ parte hæc non afficiunt substantiam contractus, sed sunt ipsi accessoria, et ex alterâ potestas civilis determinare potest circa res hujusmodi quidquid bonum publicum requirit; minime enim negari potest ea omnia quæ enumeravimus ad bonum societatis posse conferre.

Disputatur tamen inter theologos utrum Status denegare possit filiis genitis ex matrimoniis in se validis, sed lege civili prohibitis, civilem legitimitatem et jus successionis in paternam hereditatem intestatam. Ratio dubitandi est quia hæc duo jura sunt partim a naturâ, partim a jure civili. Omnes tamen agnoscunt denegationem horum jurium insipientem et crudelem esse, quum sint aliæ pœnæ magis efficaces ad ea conjugia impedienda, nec expediat punire in filiis delicta parentum [1].

[1] Cf. *de Angelis*, op. cit. p. 43 sq.; *Palmieri*, th. 31.

Corollarium de jure auctoritatis civilis in matrimonium infidelium.

39. Nonnulli theologi putant Statum non habere potestatem leges ferendi de matrimoniis infidelium, quia hæc, licet sint merus contractus, aliquid religiosi præ se ferunt, et aliunde valde timendum est ne Status, si ipsi concedatur hujusmodi potestas, justos limites transgrediatur atque familiæ religionisque sanctuarium invadat[1].

Communis tamen sententia tenet hanc potestatem principi sæculari competere, ita ut possit ad bonum commune impedimenta dirimentia statuere. (a) Hoc enim aperte declaratum est a *S. C. de Propagandâ Fide* in Instructione quæ anno 1821 edita fuit[2]: "Licet inter infideles verum sit matrimonium, illud tamen ad naturæ et communitatis officium referri tantummodo potest, ac proinde a jure naturali et civili plane est moderandum. *Sequitur hinc principes sæculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet appositio impedimentis, quæ juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad civiles effectus, sed etiam quoad conjugale vinculum penitus rescindant*". Quod etiam confirmatum est a pluribus decisionibus *S. C. P. F.* et *S. Officii.*

(b) Ea enim omnia determinare possunt principes quæ ad commune bonum civilis societatis pertinent, dummodo res de quâ agitur, utpote sacra, ab eorum auctoritate subtracta non fuerit. Atqui maxime interest societatis civilis ut certa existat norma auctoritate publicâ constituta, secundum quam matrimonia rite contrahantur; lege enim naturæ hoc satis non fuit determinatum in certis adjunctis. Aliunde matrimonium paganorum, licet in quibusdam regionibus aliquo ritu religioso accidentaliter consecretur, non est per se aliquid sacrum, neque a Christo auctoritati Ecclesiæ fuit subjectum, quum Ecclesia nullum jus sibi vindicet directum in hujusmodi matrimonia. Ergo potestas civilis hâc de re leges ferre valet. Nec sane jus Principum denegari potest, quia eo abuti possunt; secus enim, quot jura intacta manerent? Nec sapientiores esse debemus quam ipsæ Romanæ Congregationes.

Art. III. De proprietatibus matrimonii.

Duæ sunt potissimum christiani matrimonii proprietates, *unitas* et *indissolubilitas.*

---

[1] Ita *Perrone*, De Matrim. II, 439 sq.; *Feije*, de Impedimentis, n. 67.

[2] Ap. *Collectanea*, n. 1447, cum notâ. Cfr. *Resemans*, De competentiâ civili in vinculum conjugale infidelium, Romæ, 1887; *Cavagnis*, l. c. n. 185; *Gasparri*, op. cit. n. 287 sq.; *Sasse*, II, p. 470.

§ I. De matrimonii unitate.

40. Unitas matrimonii consistit in conjugali unione unius viri cum unâ muliere. Huic opponuntur *polyandria* et *polygamia*. Prior est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; posterior est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus.

Polyandria simultanea, seu conjugalis unio unius uxoris cum pluribus viris simul, juxta omnes, juri naturali saltem secundario repugnat; adversatur enim præcipuis matrimonii finibus: (a) *procreationi* prolis, nam mulieris fecunditas, licet per carnale commercium cum pluribus viris non omnino destruatur, maxime tamen minuitur; (b) *educationi* prolis, quia incertum reddit patrem, proindeque incertam ejus obligationem filios educandi; (c) *subjectioni* naturali quâ mulier viro subdi debet; nemo enim potest pluribus simul dominis servire. Dicendum igitur superest de polygamiâ tum simultaneâ tum successivâ. (*S. Th.*, Sup. q. 65, a. 1 ad 8).

I. De polygamiâ simultaneâ[1].

41. *Lutherus* docuit simultaneam polygamiam, etiam sub N. Lege, licitam esse (in Gencs. c. 16), et, assentientibus P. Melanchtone et M. Bucero, Philippo Hessiæ Landgravio benigne indulsit ut, vivente adhuc legitimâ uxore, aliam duceret, Margaritam de Saal. Eumdem errorem propugnârunt *Anabaptistæ*, nostroque sæculo *Mormones*[2], qui novissime tamen declarârunt se polygamiæ valedixisse, ut sic Status legibus sese submitterent. Ex adverso autem *Calvinus* contendebat simultaneam polygamiam, etiam sub V. Testamento, illicitam fuisse, ideoque veteres Patriarchas, qui

[1] *S. Thom.* Supp. q. 65, a. 1-2; *Bellarm.* c. 10-11; *Drouin*, l. IX, q. III, c. 1; *Billuart*, diss. V, a. 1; *Perrone*, l. III, c. 1, a. 2-4; *Carrière*, p. II, sect. 2, c. 1; *de Augustinis*, a. 7; *Palmieri*, th. 13 sq.; *Billot*, th. 40; *Watkins*, Holy Matrim. ch. IX, p. 591 sq.

[2] De *Mormonibus*, qui seipsos vocant "The Church of Jesus Christ of Latter-Day Saints" vide *Book of Doctrine and Covenant* (1880), *Book of Mormon*, (1881); *Encyclop. Britan.* with American Supplement; *H. Lyon*, A Study of the Sects, p. 187 sq.

plures simul uxores habebant, adulterii reos fuisse. Quam ut confutarent calumniam, nonnulli theologi dixerunt polygamiam juri naturali non esse oppositam, nec ante legem evangelicam fuisse jure divino prohibitam. Quid sentiamus sequens declarabit propositio.

42. *Thesis :* **Polygamia simultanea, institutioni primævæ contraria, sed Patriarchis post diluvium permissa, a Christo prohibita est, et legis naturæ secunda riis præceptis adversatur.**

(A) *Polygamia simultanea primævæ matrimonii institutioni contraria est.* Ita communius. Etenim (a) quando Deus hominem creavit, unum fecit virum et unam mulierem [1] ; jamvero, ut recte observat *Chrysostomus* [2], si Dominus voluisset ut vir unus pluribus uxoribus jungeretur, quum unum hominem fecit, multas fecisset mulieres. Postea vero Adamus, videns Evam, exclamavit : " Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit *uxori suæ;* et erunt *duo* in carne *unâ* " (24) ; ibi autem, ut ait *Innocent. III* [3], " non dixit tres vel plures, sed duo ; nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori " ; quæ quidem polygamiam excludunt. (b) Hinc, ante diluvium, solus Lamech dicitur duas uxores habuisse, et propterea a Patribus severe reprehenditur ; sic *Nicolaus I* scribit [4] : " *Adulterii* autem flagitium, quod Lamech omnium *primus* in duabus uxoribus perpetravit, nonnisi sanguine Christi abolitum exstiterit "... (c) Propterea *Innocent. III* (l. cit.) ait : " Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum " ; quæ quidem verba manifeste supponunt lege primitivâ prohibitam fuisse polygamiam.

43. (B) *Polygamia tamen, post diluvium, patriarchis et Judæis sub lege mosaicâ permissa fuit, imo valde probabiliter ipsis Gentilibus.* (a) Patriarchæ enim, qui Dei amicitiâ fruebantur, ut Abraham, Jacob, aliique, leguntur plures habuisse uxores, nec propterea reprehenduntur, sed potius ut viri pietate insignes exhibentur. (b) Lex mosaica supponit

[1] *Gen.* II, 7, 22. — [2] Hom. 62, al. 63 in Matt., n. 1.
[3] Cap. *Gaudemus* de Divort.
[4] Ad Consulta Bulgar., n. 51 ap. *Harduin*, Act. Concil. t. V, p. 371.

pariter uxorum pluralitatem licitam esse, quum statuat æquiparandos esse filios ex utrâque uxore natos [1]. Revera Elcana [2], David [3], Joas [4], aliique viri plures habuerunt uxores, et dum David graviter castigatur propter adulterium cum Bethsabee uxore Uriæ, nunquam reprehenditur propter alias uxores quas duxerat. Nec dicatur quasdam ex his uxoribus *concubinas* vocari ideoque non fuisse legitimas; nam in Scripturâ aliquando legitimæ uxores dicuntur concubinæ et vice versâ; sic Agar et Cethura nunc uxores, tunc concubinæ dicuntur [5]. Siquidem apud Antiquos, duo genera uxorum distinguebantur: aliæ ducebantur non solum ad procreationem prolis, sed etiam ad societatem omnium bonorum et domûs gubernationem, et hæ *matresfamilias* vocabantur; aliæ autem solum ad generationem prolis, et hæ uxores secundariæ seu concubinæ dicebantur. (c) Ratio autem cur polygamia, post diluvium, permissa fuit, erat multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Nam, ut ait *S. Thomas* (*l. c.* a. 2), " Semper principalior finis magis observandus est quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire ".

Communiter a theologis traditur dispensationem a lege primitivâ de unitate matrimonii nonnisi post diluvium datam fuisse: nil tamen certi hâc de re definiri potest. Nec necesse fuit ut dispensatio in scriptis exprimeretur; nam lex de unitate uxoris, ut animadvertit *S. Thomas* (*l. cit.*), non fuerat verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, et ideo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principaliter patribus sanctis facta est, et per eorum exemplum ad alios derivata. Exinde etiam colligi potest cum *Bellarmino* aliisque contra *Sanchez*, eamdem dispensationem datam esse Gentilibus; quum enim tempore patriarcharum concessa fuerit, nulla est ratio cur ad solos Judæos limitata fuerit, eo magis quia difficilius erat paganis quam Israelitis perfectam matrimonii unitatem servare. Hinc

[1] *Deut.* XXI, 15. — [2] *I Reg.* I, 2. — [3] *II Reg.* II, 2.
[4] *II Parap.*, XXIV. 3 sq. — [5] *Gen.* XVI. XXV.

Esther conjuncta est Assuero jam uxorem habenti nec propterea reprehenditur; ita pariter Abimelech, qui uxorem habebat, Saram ducere voluit, nec vituperatus est nisi quia uxorem alterius tulerat.

44. (C) *Polygamia simultanea jure divino sub N. Lege prohibita fuit;* de fide est ex *Trident.* : "Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, A. S." (sess. XXIV, can. 2.)
(a) Christus enim matrimonium ad primam suam institutionem revocavit: interrogatus enim an liceret uxorem repudiare, respondit non licere, hancque addidit rationem: "Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhærebit *uxori suæ*, et erunt *duo* in carne unâ: itaque jam non sunt duo, sed una caro" [1]. Atqui primæva matrimonii institutio polygamiam excludebat ex jam dictis, et ex verbis ipsius Christi: "erunt *duo* in carne unâ". Confirmatur aliis Domini verbis: "Qui dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur" [2]; nam ideo mœchatur dimittens uxorem et alteram ducens, quia prior non desinit uxor esse; atqui quando non est dimissa, a fortiori remanet uxor; ergo qui alteram ducit vere mœchatur. Hinc S. Paulus quoties de matrimonio loquitur, illud supponit esse unius viri cum unâ uxore, et ait: "Mulier vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro" [3]; porro, ex eodem Apostolo [4], paria sunt conjugum jura: "Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier"; ergo nec vir potest, vivente uxore, aliam ducere.
(b) Idem probatur unanimi Patrum testimonio constantique Ecclesiæ praxi. Ita *S. Augustinus* [5] scribit in Ecclesiâ præceptum esse "ut nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. Quod si quisquam fecerit... lege Evangelii reus est adulterii". Hinc RR. Pontifices unitatis matrimonii strenui vindices semper exstiterunt, etiam contra Principum lasciviam: ita, sæc. IX., *Nicolaus I*

[1] *Matt.* XIX, 3 sq. — [2] *Luc.* XVI, 18; *Matt.* XIX, 9. — [3] *Rom.* VII, 3.
[4] *I Cor.* VII, 2 sq. — [5] De Nuptiis, l. I, c. 10, n. 11.

Lotharium regem, duarum simul uxorum sponsum, palam reprehendit, Episcoposque, qui in Conc. Metensi primi matrimonii vinculum dissolverant deposuit.

Duo tamen facta in contrarium allegantur : prius est *Socratis* qui refert[1] Valentinianum imperatorem duas simul uxores habuisse, et statuisse ut idem cuilibet volenti liceret. Sed testimonium hujusmodi communiter ab eruditis rejicitur, tum quia nonnulla in hac narratione falsa sunt, tum quia Ammianus Marcellus, licet Valentiniano satis infensus illum laudat[2] quod " omni pudicitiæ cultu domi castus et foris esset ". Aliunde factum hujusmodi, etiamsi verum, nihil probaret contra unanimem omnium sæculorum traditionem. Posterius est responsum *Gregorii II*[3] declarantis licere viro aliam uxorem ducere, quia hæc, ob infirmitatem corporis, debitum reddere non valebat. Verum dubitatur pariter de hujus responsi genuinitate, quod sedulo in archivis romanis quæsitum fuit, nec tamen inventum ; si autem authenticum esset, forsan intelligi posset de impotentiâ quæ matrimonium invalidum facit. Ceteroquin correctores Romani de hoc decreto notârunt : " Illud Gregorii sacris canonibus, imo evangelicæ et apostolicæ doctrinæ penitus invenitur adversum " ; nil igitur exinde contra constantem Ecclesiæ doctrinam praximve colligi potest.

45. (**D**) *Polygamia simultanea juri naturali non primario, sed secundario adversatur.* Ita communiter. Res enim ita se habet, si polygamia, licet primarium matrimonii finem salvans, secundariis finibus nocet ; atqui polygamia (**a**) neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit *primum* matrimonii finem, quum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, et educandis filiis exinde natis ; (**b**) *secundarios* autem fines non totaliter tollit quidem, sed multum impedit : etenim non facile potest esse *pax* in familiâ, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum : unaquæque videlicet ad se viri affectum trahere conabitur, et si vir non omnes æquali amore prosequatur (quod vix fieri potest),

[1] Histor. l. IV, c. 31. — [2] Lib. XXX, circa finem.
[3] Epist. 13 ad S. Bonif. ap. *Labbe*, t. VI, col. 1448.

inde orientur jurgia, paci inimica. Timendum est pariter ne maritus, in prædilectæ uxoris filios præcipue intentus, ceteros negligat. Tandem tertius matrimonii finis, scil. remedium concupiscentiæ, haud raro frustrabitur, quum unus vir non possit simul pluribus uxoribus satisfacere. Pluralitas igitur uxorum non primario, sed secundario juri naturali adversatur (*S. Th.* l. c. a. 1.).

II. De polygamiâ successivâ.

46. Polygamiam successivam, seu secundas et ulteriores nuptias tanquam jure divino illicitas damnaverunt olim *Montanistæ*, quibus adhæsit *Tertullianus* (De Monogamiâ), necnon *Novatiani*. Nonnulli Patres, præsertim Græci, de secundis et præsertim tertiis ulterioribusque nuptiis nimis dure locuti sunt. Imo apud Græcos, jam a sæc. X, *jure ecclesiastico*, trigamia plerumque, tetragamia semper invalida censetur.

47. *Thesis :* **Polygamia successiva, licet minus Ecclesiæ probata, jure divino est licita, nec unquam in Ecclesiâ latinâ fuit universim prohibita.** Certum est [1].

(A) *Script.* S. Paulus diserte affirmat iteratas nuptias, mortuo priore conjuge, licitas esse : " Mulier, si mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro " [2] ; " Dico autem non nuptis et viduis : bonum est si sic permanserint sicut et ego. Quod si se non continent, nubant ; melius est enim nubere quam uri " [3]. Imo alibi [4] juniores viduas hortatur ut iterum nubant : " Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ ". Ex quibus patet, juxta mentem Apostoli, melius esse quidem in statu virginitatis vel viduitatis manere, sed tamen nuptias virginibus et viduis licere, imo aliquando expedire ad refrænandam concupiscentiam.

48. (B) *Tradit.* (a) Præfatum Apostoli textum explicans, S. Augustinus scribit [5] : " De tertiis et de quartis et

[1] *S. Thom.* Supp. q. 63; *Drouin*, l. IX, q. III, c. 2; *Billuart*, diss. V, a. 1, § 3 ; *Carrière*, n. 203 sq.; *Perrone*, l. III, sect. I, c. 2; *de Augustinis*, l. cit.; *Palmieri*, th. 12. — [2] *Rom.* VII, 3. — [3] *I Cor.* VII, 8.
[4] *I Tim.* V, 14. — [5] De bono viduit. c. 12.

de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare... Quis enim sum, qui putem definiendum, quod nec Apostolum video definivisse? Ait enim : mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit. Non dixit *primus*, aut *secundus*, aut *tertius* aut *quartus;* sed, mulier, inquit, alligata est, quamdiu vir ejus vivit : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est ; cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit [1]. Quid huic sententiæ, quantum ad hanc rem attinet, addi vel detrahi possit, ignoro ". Fatemur equidem nonnullos Patres, præsertim Græcos, tertias vel ulteriores nuptias improbavisse : sic autem agendo, non ipsas repetitas nuptias in se damnabant, sed potius affectum illorum, qui non contenti primis vel secundis nuptiis, non ex intentione prolem suscipiendi, sed explendæ libidinis causâ, tertium aut quartum matrimonium inire volebant [2].

(b) Doctrinam Ecclesiæ hâc de re sic enuntiat *Eugenius IV* [3] " Declaramus non solum secundas, sed tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod impedimentum non obstat, licite contrahi posse. Commendatiores tamen dicimus, si ulterius a conjugiis abstinentes, in castitate permanserint ".

(C) *Rat. theol.* Inspectâ solum naturâ rerum, nil prohibet quin iteratæ nuptiæ liceant ; nam ex unâ parte primum vinculum, mortuo altero conjugum, solutum fuit ; et ex alterâ novus consensus matrimonialis inter partes aliunde habiles præstari potest ; imo quandoque ipsa natura suadet ut sive ad procreationem prolis, sive ad incontinentiam vitandam, novum ineatur fœdus.

§ II. De matrimonii indissolubilitate.

49. Matrimonii indissolubilitati opponitur divortium, quod triplex distingui solet : divortium *quoad vinculum*, seu *plenum*, quo matrimonialis unio ita solvitur ut novæ possint iniri nuptiæ ; divortium *quoad torum*, seu separatio a toro,

[1] I *Cor.* VII, 39-40.

[2] Quoad præcipuos textus Patrum, qui repetitas nuptias damnare videntur, cf. *Drouin* et *Perrone*, l. cit.

[3] Decret. pro Jacobitis.

ubi, manente conjugali nexu, conjuges a debito conjugali reddendo immunes sunt; divortium *quoad habitationem*, quo conjuges ab obligatione simul cohabitandi liberantur. Hic de divortio proprie dicto, seu quoad vinculum, tantum agimus, quum Canonistæ et Moralistæ satis de separatione *a toro et mensâ* disputent.

Triplex pariter matrimonium distingui solet: *legitimum*, quod inter duos infideles initur, salvis legibus tum divinis tum humanis; *ratum*, seu receptum, quod inter fideles celebratur juxta leges divinas et ecclesiasticas, ideoque vere est sacramentum; *consummatum*, quod copulâ carnali perfectâ, ex se ad generationem aptâ, completur. Quibus positis dicemus: 1° de indissolubilitate matrimonialis vinculi ex *jure divino*; 2° de eâdem indissolubilitate ex *jure naturali*; 3° de casibus in quibus vinculum solvi potest etiam sub lege evangelicâ.

I. De indissolubilitate matrimonii ex jure divino[1].

Inter Christianos communiter agnoscitur matrimonium ab initio fuisse indissolubile, tempore autem legis mosaicæ sub certis conditionibus dissolvi potuisse, sed ad primævam indissolubilitatem a Christo revocatum fuisse. Attamen *Græci schismatici* et *Protestantes* docent matrimonium, etiam quoad vinculum, solvi posse per adulterium aut etiam, juxta multos, post obstinatam desertionem alterutrius conjugis[2].

---

[1] *S. Thom.* Supp. q. 67; *Sanchez*, l. X, disp. I; *Drouin*, l. IX, q. IV, c. 1; *Bellarminus*, c. 16; *Billuart*, diss. V, a. 2, Digressio histor.; *Carrière*, n. 228 sq.; *Perrone*, l. III, sect. 2, c. 1-4; *de Augustinis*, a. 8; *Palmieri*, th. 17-22; *T. Woolsey*, Divorce and Divorce Legislation, 1882, c. 1; *J. Cauvière*, Le Lien conjugal et le Divorce, Paris, 1890; Congrès scient. internat. 1894, Sc. jurid. p. 133 sq.

[2] Quoad doctrinam Græcorum hâc de re, vide *Jos. Selinger*, Divorce *a vinculo* in the schismatical churches ap. *Amer. Eccles. Review*, apr. 1892, p. 264 sq. Protestantium autem doctrinam sic exhibet Confessio fidei *Westmonasteriensis* (cap. XXIV, 5-6): "Quod si adulterium post conjugium admittatur, licebit parti innocenti divortium lege postulare ac obtinere; atque quidem post factum divortium conjugio alteri sociari, perinde ac si mortua esset persona illa quæ conjugii fidem violabat... Nihilominus tamen extra adulterium ac desertionem ita obstinatam, ut cui nullo remedio, nec ab Ecclesiâ nec a

50. *Thesis 1ª:* **Matrimonium ex primæva Dei institutione indissolubile fuit, sed sub lege mosaicâ per libellum repudii dissolvi poterat, etiam in foro conscientiæ, sub certis quibusdam conditionibus.** Ita communiter.

51. (A) *Prius* probatur; (a) interrogantibus enim Pharisæis utrum liceat homini uxorem dimittere quâcumque ex causâ, Christus respondet Deum ipsum auctorem esse matrimonii, neque homini licere hanc unionem dissolvere: "Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet". Illis autem objicientibus libellum repudii a Moyse fuisse permissum, Dominus addit: "Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic"[1]. Quæ quidem verba manifeste supponunt ab initio non ita matrimonium institutum fuisse ut viro licentia daretur repudiandi uxorem. (b) Quod a *Tridentino* (sess. XXIV) confirmatur: "matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea"...

52. (B) *Posterius* constat; legitur siquidem in *Deut.*[2]: "Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo suâ. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo suâ, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem"... Jamvero his verbis vel conceditur, vel jam concessa supponitur facultas divortii quoad vinculum; nam uxor dimissa exhibetur ut alteri viro nubens, et insuper Sacerdotes prohibentur mulierem repudiatam ducere[3]: ex quo eruitur hoc aliis fuisse permissum. (a) Disputatur vero inter Patres et theologos utrum hujusmodi concessio non solum in foro externo, sed etiam in *foro interno* valeret. Probabilior nobis videtur opinio affirmans hanc fuisse veram permissionem in foro conscientiæ validam; nam qui uxorem dimis-

Magistratu civili subveniri possit, sufficiens causa nulla esse potest conjugii vinculum dissolvendi". (Ap. *Schaff*, Creeds, vol. III, p. 656.)

[1] *Matt.* XIX, 3 sq. — [2] *Deut.* XXIV, 1 sq. — [3] *Levit.* XXI, 7.

sam ducit, vocatur *maritus* et potest ipse dare libellum repudii : quod jus soli legitimo competebat marito ; præterea prior maritus prohibetur uxorem dimissam denuo recipere ; porro, si vinculum non vere solutum fuisset, cur ista prohibitio ? insuper, si permissio hujusmodi non valuisset in conscientiâ, lex multis adulteriis occasionem præbuisset ; iniquissima fuisset mulierum conditio, quum, post acceptum repudii libellum, perpetuo continentiam observare debuissent ; tandem Judæi omnes hanc interpretationem amplexi sunt, et licet duæ scholæ, *Schammai* scil. et *Hillel*, de causis propter quas divortium concedi possit disputarent, in hoc tamen consentiebant quod quandoque liceret.

(b) Nonnisi sub certis quibusdam *conditionibus* concedebatur facultas divortii ; imprimis non uxori, sed tantum viro competebat; imo viro non permittebatur quando, ante matrimonium, cum uxore commercium carnale habuerat, vel eam injuste accusaverat quod non esset virgo [1]. Præterea non quâlibet de causâ vir uxorem dimittere poterat, sed solum propter aliquam *fœditatem* (*'ervat dâbar*) quæ vox designabat aliquid turpe et inhonestum. Nec eam dimittere permittebatur sine *libello repudii scripto*, per quod non solum providebatur statui uxoris, sed difficilius evadebat divortium. Tandem, quando mulier sic repudiata novum inierat matrimonium, a priori marito non poterat denuo in uxorem recipi : quo fiebat ut vir magis caute ageret. Hisce variis formalitatibus legislator sacer satis ostendebat divortia esse quid minus perfectum, eaque intra certos limites coarctabat. Ratio autem cur Deus talem facultatem dederit his verbis Christi indicatur "ad *duritiam cordis*", seu, ut explicat *S. Thomas* (a. 3) "propter majus malum cohibendum, scil. uxoricidium, ad quod Judæi proni erant propter corruptionem irascibilis".

53. *Thesis 2ª :* **Matrimonium fidelium, ratum et consummatum, non potest, sub lege evangelicâ, quoad vinculum dissolvi, etiam propter adulterium.** Certum est et fidei proximum contra Græcos et Protestantes ex *Trid.* (sess. XXIV, can. 7) : "Si quis dixerit Ecclesiam errare,

[1] *Deut.* XXII, 19, 29.

cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi ; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere ; mœcharique eum qui, dimissâ adulterâ, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit ; A. S." Canon *directe* dirigitur contra Protestantes, qui Ecclesiam Catholicam erroris hâc de re accusabant ; proindeque *de fide est* Ecclesiam non errare dum docet, propter adulterium, matrimoniale vinculum dissolvi non posse ; *indirecte* tantum contra Græcos, quia Concilium noluit eorum opinionem ut hæreticam damnare [1], proptereaque talem formulam adhibuit quæ in tuto ponit doctrinam Ecclesiæ, quin hæc tanquam de fide proponatur ; nam aliud est definire *Ecclesiam non errare cum docet*, aliud dicere *id quod docet esse de fide :* Ecclesia enim docere potest veritates quæ sunt certæ, licet non sint de fide.

Diximus in propositione matrimonium *fidelium* ratum et *consummatum*, quia si agatur de matrimonio infidelium, vel de matrimonio fidelium rato tantum et non consummato, exceptiones adesse possunt, ut infra declarabitur.

54. (A) *Script.* (a) Tribus in locis Christus aperte declarat adulterium committi ab eo qui dimissam uxorem ducit : "Ego autem dico vobis : quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari : et *qui dimissam* duxerit, adulterat" [2] ; "Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur" [3]. Atqui, si matrimonium posset dissolvi quoad vinculum, adulterium minime committeretur ab eo qui dimissam uxorem duceret.

(b) Idem clare eruitur ex verbis Apostoli [4] : "Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus,

[1] Juxta *Pallavicini* (Hist. Concil. Trid. l. XXII, c. 4, n. 27) canon prius ita fuerat confectus ut etiam Græcos anathemate percuteret; sed, postulantibus Venetis oratoribus, reformatus est qualis nunc exstat, ne novum obstaculum Græcorum unioni apponeretur.

[2] *Matt.* V, 32. — [3] *Luc.* XVI, 18; cf. *Marc.* X, 11-12.

[4] *I Cor.* VII, 10.

uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, *manere innuptam*, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat". Porro hæc verba prorsus generalia sunt et manifeste supponunt uxorem dimissam, ob quamcumque causam, non posse iterum nubere.

(c) Objiciuntur quidem verba Domini : "Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur" [1] ; ex quibus tum Græci tum Protestantes colligunt in casu fornicationis, seu adulterii, matrimoniale vinculum solvi posse. Fatemur equidem hujusmodi textum, si solus sumatur, absque contextu et locis parallelis, obscurum esse ; sed, inspectis contextu et parallelis locis, de divortio quoad vinculum intelligi non posse, sed de solâ dimissione sine solutione vinculi. Quod *ex contextu* apparet. Pharisæi enim Christum interrogabant de solâ dimissione ; quum enim inter se disputarent utrum liceret dimittere uxorem propter quamlibet causam, vel propter adulterium tantum, Christus respondet ob solam fornicationem uxorem dimitti posse (in perpetuum) et quia abolere volebat divortium a vinculo addit non licere, etiam in hoc casu, dimissam uxorem ducere sub pœnâ adulterii. Aliis verbis, verba "*nisi ob fornicationem*" propositionem *incidentem* constituunt, quæ ad præcedentia verba "*dimiserit uxorem*" refertur, non autem ad sequentia "*et aliam duxerit*", ita ut sensus sit : quicumque dimiserit uxorem suam (quod quidem non licet nisi ob fornicationem), et aliam duxerit, mœchatur. Proinde fornicatio, seu adulterium est quidem sufficiens ratio cur uxor dimittatur, i. e. separatio fiat *a mensâ et toro*, sed non cur novum fœdus ineatur [2]. Revera paulo ante dixerat : "quod Deus conjunxit, homo non separet", et declaraverat libellum repudii non amplius concedi sub N. Lege, his verbis

[1] *Matt.* XIX, 9; cfr. *Fillion*, Evang. sel. S. Matthieu, in h. loc.

[2] Quod analogiâ illustrari potest. Supponatur lex quædam sic concipi : "Quicumque filium suum percusserit, nisi ob grave delictum, eumque occiderit, punietur" ; sane propositio incidens in hoc casu priorem tantum sententiæ partem afficit, non posteriorem; neque licebit concludere patrem posse, ob gravia delicta, filium occidere. Cfr. *René de Kerallain*, Revue gén. du droit. 1884, p. 481.

satis ostendens matrimoniale vinculum nullo in casu solvi.— Accedunt *loca parallela* jam citata, in quibus sine ullâ restrictione asseritur eum qui dimittit uxorem et aliam ducit, adulterium committere, et iterum eum qui dimissam uxorem nubit, mœchari. Jamvero principium est inconcussum obscura loca per alia clariora intelligenda esse [1]. Tandem omne dubium, si quod remaneret, catholicâ traditione tollitur.

55. (B) *Tradit.* Tria tempora in historiâ hujus dogmatis distinguere licet. (a) Certum est Patres, tribus prioribus sæculis, ore unanimi docere matrimonium christianum esse indissolubile, etiam in casu adulterii. Pauca sufficiat referre testimonia [2]. *Hermas* siquidem hæc habet de ratione agendi erga mulierem adulteram [3]: "Quid ergo si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: *dimittat illam vir, et vir per se maneat.* Quod si dimiserit mulierem suam, *et aliam duxerit*, et ipse *mœchatur*". Eodem sensu scripserunt *S. Justinus* [4], *Athenagoras* [5], *Clemens Alex.* [6] aliique multi. (b) A quarto sæculo ad decretum *Gratiani* (1115) distinguendum est inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Occidentalem. In Oriente nonnulli scriptores, nimis facile assentientes legibus civilibus, quæ divortium propter adulterium, longam mariti absentiam aliasque causas permittunt, primum timide, postea vero audacius divortium tolerandum esse docuerunt, dissimulantibus posteaque etiam probantibus episcopis, præsertim post consummatum schisma [7]. Quos abusus non semel improbavit S. Sedes, et in *C. Florentino*, ubi agebatur de unione cum Romanâ Ecclesiâ, *Eugenius IV* in decreto ad Armenos doctrinam de matrimonii firmitate iterum declaravit: "Quamvis autem ex causâ

[1] Quod nonnulli Protestantes intellexerunt, v. g. *E. J. Phelps*, Forum, Dec. 1889, p. 359.

[2] Rem penitus discussam vide apud *Perrone*, l. III, c. 3; *Roskovany*, op. cit. De Indissolubilit. matrimonii, c. IV, Doctrina Ecclesiæ § 101 sq. Cfr. *A. Esmein*, Le Mariage en Droit Canonique, Paris, 1891; *Watkins*, op. cit. p. 198 sq.

[3] Pastor, lib. II, Mandat. 4. — [4] Apol. I, n. 15; Apol. II, n. 2.

[5] Leg. pro christ. n. 32. — [6] Stromat. l. II, c. 23.

[7] Cfr. *Perrone*, op. cit. t. III, p. 359-376; *Watkins*, op. cit. p. 346-362.

fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit". Græci pro tempore huic declarationi assensum præbuerunt, nec, quando de unione agebatur, inter causas dissensionis hanc commemoraverunt; sed, paulo post, ad suam praxim reversi sunt. Hodie etiam nonnulli Orientales, qui catholicam fidem amplexi sunt, quamvis speculative doctrinam nostram admittunt, in praxi divortium propter adulterium tolerant.

In Ecclesiâ autem Latinâ, quæ imperatoribus, præsertim in rebus fidei ac morum, fortiter restitit, firmitas matrimonialis vinculi feliciter servata est. Quamvis enim jus civile divortium permitteret, Patres ejus vim et auctoritatem admittere noluerunt, *S. Hieronymo* assentientes, qui scribebat, Ep. 77 ad Ocean. n. 3 : "Aliæ sunt leges Cæsarum et aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit... Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur". Quod præsertim obtinuit in Italiâ, ubi Romani Pontifices matrimonii indissolubilitati tam sedulo invigilarunt, ut etiam Protestantes fateantur Ecclesiam hâc de re nullomodo vacillavisse [1]. In Galliâ autem, Hiberniâ et Angliâ pauca fuerunt particularia concilia quæ, regum ac civilium legum auctoritati plus æquo faventia, aliquas divortii causas admiserunt, ut adulterium incestuosum, lepram incurabilem, ingressum unius conjugis in religionem [2]. Sed cetera concilia provincialia omnem di-

[1] Ita *Watkins*, op. cit. p. 380, qui tamen addit unicum Pontificem, *Gregorium II*, unicam exceptionem in casu particulari admisisse ; de hoc casu jam diximus supra, n. 44; hic addere sufficiat alibi, in *Instructione matrimoniorum* (an. 722), eumdem Gregorium aperte mentem suam exponere de perfectâ matrimonii indissolubilitate, ut videre est apud *Mansi*, t. XII, p. 259.

[2] Ita *Synodus Vermeriensis* (753) et Conc. *Compediense* (756) sub Pippino rege habitum, ap. *Harduin.* t. III, p. 1990 sq., 2005 sq.; Synodus secunda *S. Patricii*, ap. *Mansi*, t. VI, p. 526, quæ, licet S. Patricio adscribi non possit, est tamen valde antiqua; *Pœnitentiale Theodori* ap. *Haddan and Stubbs*, Councils, vol. III, p. 188. — Nonnulli theologi præfatos canones in catholicum sensum intelligere conati sunt, sed incassum, ut cuicumque eosdem attente legenti patebit; nec mirum est pauca errâsse particularia concilia, quum sola Ecclesia

vortii causam rejecerunt atque vinculi firmitatem contra plebis mores dissolutos ac principum vexationes constanter propugnaverunt, ita ut paucæ exceptiones superius allegatæ potius generalem regulam firment.

(c) Tandem, a tempore *Gratiani*, nullæ variationes, etiam in particularibus Conciliis, inveniri possunt. Auctoritas enim *Decreti* ubique accepta fuit; jamvero de indissolubilitate matrimonii hæc habet: "Vinculum conjugii fornicatione dissolvi non potest. Nullâ ratione dissolvitur conjugium quod semel initum probatur. Mœchatur qui a viro dimissam ducere præsumit". Nec sane nimis laudari potest indomita firmitas *Ecclesiæ*, quæ perpetuitati conjugiorum tuendæ semper intenta fuit, leges civiles de divortio palam reprobans, Protestantium hæresim de repudiis anathemate percellens, principibus potentissimis resistens, dum divortia a se facta ab Ecclesiâ approbari minaciter peterent. "Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Cælestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exsultantem". (*Leo XIII*, Arcanum).

II. De indissolubilitate matrimonii ex jure naturali[1].

56. 1° *Status quæstionis.* Plerique ethnici philosophi matrimonium jure naturali dissolubile esse censuerunt, divortiaque apud plerasque Gentes plus minusve floruerunt;

universalis, per Concilium œcumenicum aut per R. Pontificem loquens, sit infallibilis. Cfr. *Perrone*, op. cit. p. 323-359; *Watkins*, op. cit. p. 362-437.

[1] *S. Thom.* Supp. q. 67, a. 1-2; C. Gent. l. III, c. 123; *Bellarm.* c. 16; *de Rastignac*, Accord de la révélation et de la raison contre le divorce, 1790; *Barruel*, Lettres sur le divorce, 1789; *de Bonald*, Du Divorce considéré au XIXe s., 1801; *Hume's* Essays, XIX; *Carrière*, n. 213 sq.; *Perrone*, lib. III, sect. II, c. 1, a. 1; *Palmieri*, th. 16, 23; *Woolsey*, Divorce and Divorce Legislation, 1882, c. VI; *Monsabré*, Carême 1887, 86-87e Confér. *anglice* Confer. on Marriage, II-III

attamen huic praxi quædam ignominiosa in communi existimatio inusta fuit, nec reprehensione caruit Spurius Carvilius, qui primus Romanorum refertur uxorem suam, sterilitatis causâ, dimisisse, ut aliam duceret. Christiana autem religio divortia abolere curavit, ut jam probavimus. Sed *Protestantes* divortiis iterum viam aperuerunt, docendo ea in nonnullis casibus licita esse; et *Rationalistæ* permulti docuerunt vinculi matrimonialis solutionem non solum licitam, sed etiam in multis casibus utilem et laudabilem esse; inter quos *Hennet* in Galliis, *Werkmeister et Braun* in Germaniâ, *Bentham* in Angliâ, *Ferrari* in Italiâ aliique; hinc *Politici* in variis Statibus leges condiderunt quibus divortia propter varias causas permissa sunt [1]. Expedit igitur ut expona-

[1] Quoad divortiorum frequentiam in *Statibus Fœderatis*, hæc animadvertantur : "Ex speciali relatione de numero matrimoniorum et divortiorum a Carroll D. Wright mense februario Congressui oblata, hæc sane plena tristitiâ excerpimus :

DIVORTIA IN STATIBUS UNIONIS IN ANNOS DISTRIBUTA.

1867. . .	9,937	1874. . .	13,389	1881. . .	20,762
1868. . .	10,150	1875. . .	14,212	1882. . .	22,112
1869. . .	10,939	1876. . .	14,800	1883. . .	23,198
1870. . .	10,962	1877. . .	15,687	1884. . .	22,994
1871. . .	11,586	1878. . .	16,089	1885. . .	23,472
1872. . .	12,390	1879. . .	17,083	1886. . .	25,535
1873. . .	13,156	1880. . .	19,663		

Ex hujusmodi tabella eruitur in Statibus Unionis viginti annorum spatio, ab anno 1867 ad annum 1886, divortia 328,716 fuisse. Horum, 122,121 in prima hujus periodi medietate, et 206,595 in secunda supputantur. Numerus ergo divortiorum sexaginta novem ad centum crevit. Incolarum vero frequentia ab anno 1870 ad annum 1880 pro ratione tantum triginta ad centum aucta est. Anno 1870, 10,962 divortia, anno vero 1880, 19,663 numerata sunt; et, sicuti ex tabella constat, anno 1886 bis cum dimidio plus quam anno 1867 fuere. Quam pestem, divortium nempe, rapide per terras nostras grassari, et ipsos nationis fontes veneno inficere, hæ notæ dolenter ostendunt". (*Cardinal Gibbons*, Our Christian Heritage, p. 487-488.) Præterea ex omnibus privatis documentis quæ legere potuimus, ab anno 1886 divortiorum numerus multum crevit. — In *Galliâ* etiam divortia multiplicabantur; anno 1896 computabantur 7,051, an. 1897, 7,460 : et ita in omnibus regionibus ubi lex civilis divortium permittit.

mus quid de indissolubilitate matrimonii recta ratio doceat.

57. Jamvero certum est divortium permissum simpliciter arbitrio conjugum, ex quocumque motivo, juri naturali repugnare, quum educatio prolis quamdam stabilem conjugum societatem requirat. Sed si quæstio sit de divortio ab auctoritate publicâ, propter graves rationes concesso, nonnulli theologi, ut *Sanchez*, *Bellarminus*, *Swartz*[1] negant illud prohiberi solo jure naturali; alii ex adverso, ut *Abulensis*, *Scotus*, *S. Ligorius*[2] affirmant; alii tandem cum *Perrone* distinguunt, statuuntque matrimonii indissolubilitatem non pertinere ad jus naturale *primarium*, sed ex *secundario* jure profluere. Quæ quidem ultima sententia nobis amplectenda videtur. Nam (a) ex unâ parte matrimonii primarius finis, videlicet prolis procreatio et educatio, etiamsi conjugale vinculum aliquando solvatur, stricte loquendo obtineri potest; imo in nonnullis casibus, v. g. quando uxor est sterilis vel perpetuo morbo laborat, qui matrimonii usum prohibet, primarius ille finis per divortium melius obtinetur; (b) ex alterâ autem parte, tot sunt prava consectaria ex divortio promanantia, ut juri naturali secundario contrarium merito dicatur, prout modo declarabitur.

58. 2° *Thesis*: **Indissolubilitas matrimonii, præsertim consummati, juri naturali secundario innititur, proindeque divortium, propter prava consectaria quæ inducit, prorsus rejiciendum est.**

Id enim juri naturali secundario adversatur quod finibus matrimonii plus minusve adversatur, scil. repugnat æqualitati contractus matrimonialis, conjugum unioni et felicitati, prolis educationi et bono societatis; atqui ita est de divortio.

59. (A) Repugnat *perfectæ contractus æqualitati*; nam ut perfecta servaretur æqualitas, necesse esset ut, divortio occurrente, unus conjugum in pejori non esset conditione ac

[1] *Sanchez*, l. II, disp. XIII; *Bellarm.* c. IV, n. 2; *Swartz*, Instit. juris publici, part. II, tit. I, n. 3 sq.

[2] *S. Alphonsus*, Theol. moralis, l. VI, n. 256 cum auctoribus ibi allegatis.

alter; atqui hoc moraliter est impossibile; vir enim nihil aut parum dignitatis suæ amisit, et facile novum fœdus inire potest, dum mulier, quæ per plurimos annos nupta fuit, postquam a viro dimittitur, plerumque a suâ dignitate excidit, tanquam flos marcescens despicitur, et vix sperare potest ut novum matrimonium contrahere possit. Aliunde, ut ait *S. Thomas* [1], "femina indiget mare non solum propter generationem, sicut in aliis animalibus, sed etiam propter gubernationem, quia mas est et ratione perfectior, et virtute fortior; mulier vero ad viri societatem assumitur propter necessitatem generationis: cessante igitur fecunditate mulieris et decore, impeditur ne ab alio assumatur. Si quis igitur mulierem assumens tempore juventutis, quo et decor et fecunditas ei adsunt, eam dimittere posset postquam ætate provecta fuerit, damnum inferret mulieri contra naturalem æquitatem".

60. (B) Obstat pariter *unioni et felicitati conjugum*: (a) Favet enim conjugiis disparibus et nimis festinanter initis; nam, si fas sit matrimoniale vinculum post aliquod tempus rumpere, multi corde levi, absque diligenti et maturâ consideratione, matrimonialem statum ingredientur [2], dum majori curâ et nonnisi re diligenter perpensâ conjugia instituentur, si cognoscitur ex conjugis electione felicitatem aut infelicitatem *perpetuam* pendere. Jamvero nihil magis unioni conjugum nocet quam illa connubia quibus sponsi animo, dispositionibus et conditione dispares, cæco impellente amore seu potius passione, simul conjunguntur.
(b) *Mutuum amorem restringit;* in eo siquidem præcipue consistit conjugum felicitas ut *amore perpetuo* intime uniantur, et sint cor unum et anima una, sicut sunt una caro; hinc, naturâ duce, sibi invicem spondent *amorem æternum*, et in illo amore miseriarum levamen felicitatemque inveniunt;

[1] C. Gent. lib. III, c. 123; *Monsabré*, op. cit. 87e Conf. p. 114, *anglice* p. 78.

[2] "Plures de plebe nuptias contrahunt, hoc probabiliter secum reputantes, si felicitatem in hac unione non assequantur, in sua fore facultate ipsam solvere, iterumque fortunam experiri. Et revera sermones hujusmodi a nonnullis suæ parœciæ juvenibus habitos fuisse, a quodam ministro mihi renuntiatum fuit". *Woolsey*, protestans, op. cit. p. 277.

nam ubi amatur, non laboratur, aut si laboratur, ipse labor amatur. Atqui illa intima animorum conjunctio vix cum divortii facultate subsistere potest; verus enim amor perpetuus esse vult, et statim ac amicum infidelem fore probabiliter suspicamur, jam cessamus eum singulariter diligere. Quis igitur intime conjugi adhærebit, qui post aliquos annos, et forsan post aliquos menses, ab eo separari exspectat? Nonne hujusmodi suspiciones hanc perfectam amicitiam destruent vel retardabunt? Merito igitur cum *S. Thomâ* (l. c.) dici potest: " Amicitia quanto major est, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et mulierem maxima amicitia esse videtur; adunantur enim non solum in actu carnalis copulæ, quæ etiam inter bestias quamdam suavem societatem facit, sed etiam ad totius domesticæ conversationis consortium; unde, in signum hujus, homo propter uxorem, etiam patrem et matrem dimittit, ut dicitur (*Gen.* II, 24). Conveniens igitur est quod matrimonium sit omnino indissolubile "[1].

(c) *Leves discordias adauget*, propter spem felicitatis in alio connubio inveniendæ. Siquidem societatis domesticæ maxime interest ut conjuges multa sibi condonent, alter alterius defectus patienter ferant, imo mutuis obsequiis se invicem præveniant. Porro, si matrimonium sit indissolubile, timent conjuges ne per discordias gravissimum et intolerabile fiat jugum quod excutere non valent, magis patienter

[1] Nec dicatur non licere homini votis perpetuis se obstringere, quum sit naturâ inconstans et mutabilis; nam, ut recte ait *Paul Janet* (La Famille, p. 300), " Si officii vinculo amor adstringatur, ita ut perpetuam fidem promittere teneatur, amoris naturæ familia non adversatur, immo indulget. Adeo amoris natura perpetuitatem postulat, ut nihil amans auderet exposcere, quin perpetuitatem promitteret. Jurejurando fidem in æternum firmare, eamdemque tum quoque cum ficte loquitur, simulare, primi sunt amoris actus, qui si deficiant, operam perderet. — Cordis jura et votorum perpetuitatem objiciunt. Amoris jura ad conjugum unionem adstringendam, minime ad dissolvendam libenter agnoscimus. Libertati fidelitatem opponamus; atque ita præclariorem dignitatem, fulgidioremque gloriam cor sibi vindicavit, quam si fas esset, alteri prout libuerit adhærere, et amoris objectum continue permutare... Fateor vero nonnisi ob gravia argumenta, indissolubili vinculo cor esse vinciendum. Hæc duo irrefutabilia mihi videntur: uxoris dignitas filiorumque bonum ".

mutuos sibi condonant defectus, et, ut ait poeta, *fit levius patientiâ quidquid corrigere est nefas;* ex adverso autem spes divortii ad dissensiones, jurgia et adulteria provocat; qui enim cogitat de novo meliorique conjuge inveniendo, extraneo amore cito captus erit, et, ut matrimonium sibi onerosum disrumpat, contumeliis, vituperationibus, verberibus, adulteriis indulgebit, ita ut, teste experientiâ, divortium sit maximorum criminum occasio et causa [1]. Nec dicatur adulterium esse tam turpe et nefarium, ut saltem propter illud crimen solvi debeat matrimonii vinculum; nam, si res ita se habeat, haud raro adulteria committentur eo fine ut divortium obtineatur, ut jurisperiti experientiâ nôrunt [2]; expedit igitur ad bonum publicum ut vel conjuges pacifice cohabitent, vel separentur quoad torum et habitationem, absque spe novas nuptias ineundi.

61. (C) Divortium *perfectæ prolis educationi nocet;* infans enim utriusque parentis auxilio indiget non solum tempore quo nascitur, sed per multos annos; initio quidem a matre enutritur, sed pater debet simul matri necessaria vitæ suppeditare; crescentibus filiis, ad eorum educationem desiderantur non solum matris suavis amor et provida cura, sed

[1] "Quot futilia jurgia, quot tædia facili oblivione conterunt qui communi tantum pollent prudentiâ, hac potissimum ratione ducti quod necessario vita conjunctim agenda sibi sit perpetuo! Minusculæ illæ dissentiones in summam invidiam cessissent, facili divortii spe ad supremum gradum perductæ. Itaque perpendendum nobis est nihil periculo plenius quam duos ita intime copulare, ut vir et uxor copulantur inter se, quin hanc unionem perfectam et indissolubilem reddamus. Minima separationis probabilitas dissensionum et suspicionum fons evaderet uberrimus, uxor de suo statu minus tuta separationis consilium animo quotidie agitabit, et vir sibi tantum consulens majorique fretus potestate in majus discrimen unionem adduceret". (*Hume*, Essay XIX).

[2] "Omnibus compertum est desiderium ab eo statu qui gravis factus sit sese eximendi, plures homines et nonnullas fœminas ad eam vitæ rationem adducere quæ divortium pariat, aut saltem suadeat, illud, si contingat, conjugibus ingratum non fore. Virum aliquando adulteratum fuisse, divortii obtinendi causa, ex pluribus de divortio latis judiciis, cancellarius Kent merito adnotavit. Apud alias gentes matrimonii historia nos admonet eo scelestos augeri mores quo plures præsto sunt divortii causæ, quæ nedum prohibeant, immo viam divortio parant". (*E. Phelps*, Forum, Dec. 1889, p. 363; cf. *Woolsey*, op. cit. p. 261 sq).

etiam patris severa auctoritas eximiaque prudentia. Porro ad hoc requiritur perpetua conjugum unio; nam antequam omnium infantium perfecta fuerit educatio, plerumque parentes non amplius erunt ad novum matrimonium habiles; præterea, si novum ineant fœdus, filii vel patri vel matri adhærebunt: si *prius*, tenero matris amore carebunt, multaque ex invidiâ novercæ patientur, quæ, propriis natis intenta, illos negliget vel etiam variis modis affliget; si *posterius*, paterni amoris fruitione privabuntur eo tempore quo ejus curâ magis indigebunt, et multa forsan patientur ex parte secundi mariti, qui timet ne proprii filii negligantur; ergo in quâlibet hypothesi, eorum educatio imperfecta erit.

62. (D) Tandem divortium *bono societatis adversatur;* (a) *pacem familiarum disturbat*; matrimoniis enim familiæ inter se coadunantur, lites et inimicitiæ exstinguuntur, concordiæ vincula inter varia societatis membra efformantur; ex adverso autem, ex divortio divisiones oriuntur, odia et vindictæ inter duas vel plures familias per multos annos vigent, et si multiplicentur, pax ipsa societatis turbatur. (b) *Mores corrumpit;* nam facultas divortii paulatim matrimonium vertit in concubinatum: datâ enim hominis inconstantiâ, conjugale vinculum non semel, sed ter, quater aut etiam pluries abrumpi potest, eo magis quia inconstantia repetitis actibus crescit; quod jam evenisse historiâ constat: *Seneca* enim de his uxoribus loquitur quæ "non consulum numero, sed maritorum annos suos computant" [1]; et *Juvenalis* [2] ait: "Sic fiunt octo mariti, quinque per autumnos: titulo res digna sepulcri". Jamvero quid sunt matrimonia per duos aut tres annos tantum duratura, nisi palliatus concubinatus? Nec dicere juvat per divortium minui discordias et separationes; nam indubitatis factis constat has increvisse ubi divortia permissa sunt, et quotidie invalescere. Præterea lex hujusmodi occasionem præbet multis criminibus, præsertim vero adulterio, quod a nonnullis committitur vel permittitur eo fine ut facilius conjugale vinculum coram tribunalibus solvi possit. Jamvero quis est qui non videat hisce omnibus mores paulatim corrumpi?

[1] De Beneficiis, l. III, c. 16. — [2] Sat. VI, v. 229.

Quæ quidem omnia sic dilucide exponit *Leo XIII* (Encycl. *Arcanum*); "At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causâ fiunt maritalia fœdera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur, dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile perspicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quæ a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitæ privatæ et publicæ consuetudines aditum januamque patefaciunt. Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus exundans"[1].

63. Hisce positis, via facilior aperitur ad solvendas adversariorum difficultates: hi siquidem vivide describunt infortunia conjugum, qui amplius sese non diligunt, sed rixis et contentionibus sunt dediti, et exclamant melius esse ut hi ab invicem separentur novumque fœdus ineant quam ut perpetuo vitam miserabilem ducant[2]. Sed hæc est fallacia; nam bonum publicum totius societatis sane bono privatorum est anteponendum; atqui, ex dictis, bonum publicum postulat ne via aperiatur pravis consectariis quæ ex divortio consequuntur; quamvis igitur quidam privati aliquando multa pati debeant propter contractûs indissolubilitatem, non ideo lex mutanda est, quæ familiarum paci, societatis bono, et plerorumque conjugum felicitati multum inservit; lege enim abrogatâ, multi alii cives majora incommoda experirentur, ex dictis. Prudentia igitur postulat ut alia remedia adhibeantur, scil. vel christiana patientia, vel secessio temporanea: tempus enim multa vulnera sanat, et

[1] Quæ salubria monita renovavit S. Pontifex in Encycl. *Longinqui* ad Episcopos Fœderatarum Americæ civitatum, 6 jan. 1895.

[2] Quorum argumenta nuper recoxit *Ingersoll*, N. American Review, novembr. 1889, p. 529 sq.

sæpe longa patientia animorum dissensiones minuit vel penitus tollit, præsertim si virtute religionis juvetur: "quæ efficit ut vitia, si quæ sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitæ labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur" (Encyc. *Arcanum.*)

III. De casibus in quibus solvi potest matrimonium.

Matrimonium fidelium ratum et consummatum ex dictis nullâ auctoritate humanâ solvi potest; sed matrimonium ab infidelibus contractum, quum non sit sacramentum, eamdem firmitatem non habet; item matrimonium fidelium ratum quidem, sed non consummatum, duplici modo solvi potest; de quibus nunc breviter disserendum.

64. *Thesis 1ª:* **Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi potest quoad vinculum, si, uno ad fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine Creatoris injuriâ aut damno spirituali fidelis**[1]. Certum est ex declaratione *Innocentii III*[2]: "Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemiâ divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: si infidelis discedit, discedat..."

65. (A) *Script.* Paulus enim, post promulgatam legem generalem indissolubilitatis matrimonii, hæc addit: "Nam ceteris ego dico, non Dominus[3]. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimit-

[1] *Sanchez*, l. VII, disp. 74; *Drouin*, l. IX, q. IV, c. 1, § 3, dic. 2; *Billuart*, Diss. V. a. 2, § 2; *Benedictus XIV*, De Synodo, l. VI, c. 4, n. 3; *J. Leplat*, Collectio variarum dissertationum casum Apostoli illustrantium; *Carrière*, n. 256 sq.; *Perrone*, l. II, sect. 1, c. 7, a. 2; *Palmieri*, th. 26-27; *Egger*, n. 670; *Watkins*, p. 438 sq.

[2] *Decretal.* l. IV, tit. 19, c. 7.

[3] Probabilius hæc verba non ad sequentem, sed ad præcedentem sententiam referuntur, ubi Apostolus de viduis et virginibus dixerat, et sensus est ea quæ de virginitate servandâ scripsit non esse præceptum, sed consilium. Cf. *Corluy*, Spicilegium, vol. II, p. 489.

tat eam... Quod si infidelis discedit, *discedat : non enim servituti subjectus* est frater aut soror in hujusmodi "[1]... Jamvero his verbis Apostolus concedit facultatem solvendi vinculum matrimoniale pro casibus in thesi expressis ; etenim (a) hic fideli converso Paulus concedit speciale privilegium, et quidem pro determinatis circumstantiis ; atqui, si ageretur solum de separatione *a toro et mensâ*, non autem de solutione vinculi, non daretur speciale privilegium, quum separatio sit commune remedium in simili casu ; aliunde nullâ declaratione opus erat ut conjux fidelis a cohabitatione liberetur, quum ex hypothesi impossibilis sit ; ergo agitur de solutione vinculi ; (b) additur partem fidelem non esse amplius *subjectam servituti ;* jamvero servitus hujusmodi, discessione partis infidelis jam peractâ, nihil aliud esse potest nisi ipsum vinculum matrimoniale, quod revera Apostolus infra (27) *ligamen* vocat ; confirmatur ex eo quod sermo hujusmodi dirigitur ad neo-conversos, apud quos vigebat dissolutio matrimonii, non autem simplex separatio, quique proinde voce *discedat* solutionem vinculi naturaliter intelligebant ; (c) tandem crescit vis argumenti, si animadvertitur antithesis quam Paulus instituit inter conjugia *fidelium* de quibus dicit (11) quod si vir discesserit, mulierem *innuptam* manere debere, et *infidelium* connubia, de quibus scribit : "*quod si infidelis discedit, discedat" ;* hâc enim oppositione satis ostendit in ultimo casu agi de verâ solutione vinculi [2]. Fatemur tamen argumentum non esse apodicticum, nisi accedat auctoritas praxis Ecclesiæ.

66. (B) *Auctoritate et praxi Ecclesiæ :* (a) Patres quidem plerique de hoc siluerunt, quia ipsis hâc de re scribendi non se dabat opportunitas ; nonnulli tamen, ut *Ambrosius*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, aliique ita locuti sunt ut doctrinam supra expositam tenuisse videantur [3]. (b) *Innocentius III* (1160-1216) rem aperte declaravit, et ab ejus tempore, hæc

[1] *I Cor.* VII, 12-15.

[2] Apostolus directe non loquitur nisi de casu quo infidelis nolit cum conjuge converso habitare, sed duo postremi casus in primo includuntur : ille enim *moraliter discedit*, qui non vult cohabitare nisi cum Creatoris injuriâ, aut pertrahendo fidelem conjugem ad peccatum.

[3] Quorum testimonia vide apud *Carrière*, n. 258, not. 1.

praxis communis evasit in omnibus ecclesiis apud gentes recens conversas institutis. Jamvero praxis hujusmodi cum dogmate indissolubilitatis matrimonii connectitur, et cum bonis moribus; multoties a R. Pontificibus approbata fuit, qui regulas tradiderunt in eo casu a Missionariis servandas; ergo invictum est veritatis argumentum, quum Ecclesia errare non possit in re tanti momenti.

67. *Controversia.* Quærunt insuper theologi quo jure matrimonium infidelium in præfato casu solvatur.

(A) Nonnulli quidem, ut *Navarrus*, *Sanchez*, *Palmieri*[1] arbitrati sunt id fieri *auctoritate S. Pontificis:* si enim, inquiunt, R. Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum, quod est sacramentum, potest etiam *a fortiori* dissolvere matrimonium consummatum infidelium, quod minus habet firmitatis. Præterea R. Pontifices hanc potestatem sibi assuerunt, videlicet *Pius V* (*Romani* Pontificis) et *Gregorius XIII (Sæpe contingit);* hic enim quorumdam locorum Ordinariis facultatem concessit dispensandi ut quilibet fidelis, "etiam superstite conjuge infideli et ejus consensu minime requisito, responso non exspectato, matrimonia cum quovis fideli, alias tamen rite, contrahere et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint, remanere licite valeant".

68. (B) Communior tamen opinio, cum *Benedicto XIV*[2] tenet matrimonium consummatum infidelium solvi *jure divino*, prout a S. Paulo exponitur. Nam valde dubium est saltem principium illud, quod scilicet matrimonium inter infideles consummatum minus sit firmum quam matrimonium inter fideles ratum: quamvis enim non sit sacramentum, est tamen verus contractus matrimonialis; porro omnis contractus hujusmodi a Christo ad pristinam indissolubilitatem revocatus fuit. Nec contrarium argui potest ex Litteris *Pii V* et *Gregorii XIII*, quæ duplici modo explicantur: (a) juxta quosdam, intelliguntur non de potestate solvendi matrimonium extra casum Paulinum, sed solum dispensa-

[1] *Navarrus*, consil. 3, lib. III, n. 12 sq., tit. de Conversione infidelium; *Sanchez*, lib. II, disp. XVII; *Palmieri*, th. 26.

[2] *Benedict. XIV*, De Synodo, l. VI, c. IV, n. 3; lib. XIII, c. 21; cf. de *Angelis*, op. cit. l. IV, tit. 19, p. 327 sq.

tione ab interpellatione faciendâ; nam in Brevi Pii V legitur : "maxime, quia difficillimum foret primum conjugem invenire"; in Litteris autem Gregorii XIII : "Dummodo constet etiam summario et extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitime non posse, aut maritum intra tempus eidem monitioni præfixum suam voluntatem non significasse". Quæ omnia sane ostendunt ibi agi de dispensatione ab interpellatione, præfatosque Pontifices hanc concessisse non extra privilegium Paulinum, sed tanquam juris divini interpretes. (b) Juxta alios autem, privilegium Paulinum fundatur quidem jure divino, sed dispensatio a duobus Pontificibus commemoratis concessa omnino differt a privilegio Paulino; nam Gregorius XIII, concessit facultatem solvendi matrimonia in infidelitate contracta, etiam casu quo conjux absens baptismo regeneratus fuerat[1]: "Quæ quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et *ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversos fuisse*, nihilominus rescindi nunquam debere". Porro privilegium Paulinum ad hunc casum certe non extenditur. Ergo dicendum est Pontificem hanc specialem dispensationem concessisse, non virtute Paulini privilegii, sed vi *ministerialis potestatis* quâ solvere potest antiqua neophytorum matrimonia nondum, post conversionem unius conjugis, consummata; quæ potestas similis est ei quâ solvitur matrimonium ratum et non consummatum infra, n. 70 sq.; siquidem matrimonium, de quo agitur, fuerat quidem consummatum in infidelitate, non autem a tempore quo ratum fuerat conversione utriusque conjugis.

---

[1] Quod præsertim contigit tempore quo servi ab Africâ ad Americam deferebantur; multi ex eis siquidem jam matrimonium contraxerant ac violenter a conjuge separati fuerant quando ad fidem convertebantur, interpellatio impossibilis erat, quum ubi esset alter conjux penitus ignotum esset; quandoque etiam contingebat ut alter conjux, in Africâ relictus, ad veram fidem converteretur. Quo in casu privilegio Paulino locus non erat. Porro S. Pontifex permisit ut hujusmodi servi novum matrimonium contraherent, proindeque auctoritate suâ prius matrimonium solvit. Cfr. *Gury-Ballerini*, not. ad n. 759, p. 736 cd. 4a; *Billot*, th. 44.

69. *Corollaria.* (A) Vinculum conjugale non solvitur eo instanti quo unus conjugum ad fidem convertitur vel baptizatur; nam, ut ait *Innocent. III* (l. cit), "per sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur"; tunc tantum solvitur, cum conjux conversus, renuente altero pacifice cohabitare, novum inivit matrimonium. Hoc enim aperte supponit *Innocent. III* (l. cit.): "quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur (uxor scil. quæ prius renuerat cohabitare), antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur"; manet igitur prius vinculum donec novum fœdus contrahatur. Constat etiam ex decisione *S. C. Conc.* 1680 et 1726, quam refert et approbat *Benedictus XIV*, l. cit. Ratio est quia privilegium est in gratiam solius conversi, ne cælebs manere cogatur: satis est igitur ut prius vinculum solvatur eo instanti quo novum efformatur. Statim vero ac pars catholica matrimonium inivit, alter conjux, sive in infidelitate maneat, sive convertatur, aliud conjugium inire potest [1].

(B) Ex dictis in thesi, triplici de causâ conjux conversus ad alias nuptias transire potest: (a) si infidelis renuat cum eo habitare; si tamen infidelis discedat propter adulterium fidelis post baptismum commissum, non datur locus privilegio; (b) si velit habitare, sed non sine injuriâ Creatoris, v. g. concubinas retinendo, filios minores pagane educando; (c) si vult fidelem ad peccatum mortale trahere contra fidem vel mores: in his enim casibus non vult pacifice cohabitare. Potest autem conversus hoc privilegio uti non solum statim post Baptismum sed etiam post plures annos, si infidelis, qui prius pacifice cohabitare consenserat, mutato consilio, id amplius facere nolit. (*S. O.* 5. aug. 1579.)

(C) Ut sciatur utrum infidelis velit converti vel saltem pacifice cohabitare, *interpellatio* quædam post Baptismum fieri debet et quidem circa duo: utrum infidelis converti velit, an saltem pacifice cohabitare? secus enim subsequens

[1] Dicimus *pars catholica*, ut certa ab incertis secernamus. Probabilius tamen putamus privilegium Paulinum extendi non solum ad eos qui fidem catholicam, sed etiam ad eos qui sectam hæreticam vel schismaticam amplectuntur, dummodo valide baptizentur. Ita *Palmieri*, th. 27.

matrimonium invalidum erit, ita *S. C. P. F.* 5 mart. 1816. Attamen si interpellatio sit moraliter impossibilis, vel valde difficilis, solus Pontifex ab eâ dispensare valet. Insuper in nonnullis casibus a rigore interpellationis dispensat, permittendo ut solum quæratur ab infideli utrum converti velit, quin addatur utrum velit pacifice cohabitare : quod fit ne fidelis exponatur periculo perversionis, quod aliquando imminet, etiam post promissionem pacificæ cohabitationis.

(D) Si fidelis, obtentâ dispensatione, matrimonium cum infideli inierit, non potest uti privilegio Paulino, quia sponte sese tali periculo exposuit, nec proinde conqueri potest. Item si alteruter conjugum in hæresim vel apostasiam labatur, non potest fidelis conjux ad secundas nuptias convolare, ut expresse declaratur ab *Innocentio III* (l. cit.), quia matrimonium a fidelibus contractum et consummatum nullâ auctoritate humanâ solvi potest.

70. *Thesis 2ª :* **Matrimonium fidelium ratum, et non consummatum, solvitur per solemnem alterius conjugum professionem in religione approbatâ, vel per dispensationem a S. Pontifice gravi de causâ concessam**[1].

71. (A) Prima pars definita est a *Tridentino* (sess. XXIV, can. 6) : "Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, A. S." Probatur insuper (a) ex disertis declarationibus *Alexandri III* (1180), et *Innocentii III* (1210) qui scribit : " Nos nolentes a *prædecessorum* nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, relicto inconsulto, ad religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari"; ex quo patet hanc doctrinam ante sæc. XII fuisse receptam, quum S. Pontifex ad suos prædecessores appellet. (b) Ex praxi Ecclesiæ ; certum est enim, jam a sæc. XII, hanc

[1] *S. Thom.*, Sup. q. 61 ; *Sanchez*, l. II, disp. 18-23 ; *Drouin*, q. IV, c. 3, § 1 ; *Billuart*, diss. V, a. 2, § 4 ; *Carrière*, n. 302 sq. ; *Perrone*, l. III, sect. 2, cap. 6, a. 1 ; *Palmieri*, th. 25 ; *de Augustinis*, th. 10.

praxim communiter in Ecclesiâ viguisse, approbantibus Episcopis et R. Pontificibus ; jamvero quod frequentatur in universâ Ecclesiâ, et ad fidem moresque pertinet, erroneum esse nequit.

Notandum est tamen matrimonium ratum solvi tantum eo tempore quo emittitur *solemnis* professio, non autem quo quis religionem ingreditur ; insuper non solvitur per votum simplex castitatis, neque per ordinis sacri susceptionem, vel vota emissa in Congregatione a S. Sede non approbata. Duo menses a jure conjugibus conceduntur ad deliberandum de ingressu religionis; quo tempore non tenentur ad reddendum debitum. Si, durante bimestri, mulier invita per vim a viro carnaliter cognita fuerit, potest nihilominus Ordinem religiosum ingredi, sed probabilius vir non potest ad secundas convolare nuptias, quia matrimonium jam fuit consummatum. Præterito bimestri, privilegium religionem ingrediendi integrum manet, quamdiu matrimonium non est consummatum, etiamsi culpabiliter copula denegata fuerit.

72. (B) *Posterius*, licet a nonnullis antea negatum hodie certum evasit Ecclesiæ praxi ; constat enim, jam a tempore *Martini V* (1417), potestatem dissolvendi matrimonia rata, propter graves rationes, fuisse a multis Pontificibus exercitam [1] et etiam diebus nostris exerceri, ut constat ex *Actis S. Sedis*, ubi quolibet anno nonnullæ hujusmodi dispensationes a matrimonio rato concessæ leguntur. Jamvero dicere nefas est R. Pontifices hanc potestatem usurpâsse, præsertim quum sic agendo injuriam sacramento irrogâssent, et adulteria permisissent [2]. Concludendum est igitur cum *Benedicto XIV* (Quæst. can. 479) : " Nullam de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo

[1] Cfr. *S. Antoninus*, in Sum. theol. p. III, tit. I; *Navarrus*, Enchir. c. 22; *Perrone*, vol. III, p. 471 ed. 1861.

[2] "Sane si hæc potestas deesset, per hujusmodi dissolutionem matrimonii rati Ecclesia causa esset ut contra id quod per se honestum est ageretur, cum sic dissoluti alias contrahunt nuptias, quæ reapse non forent nisi concubinatus; atqui Deus, etsi permittere possit ut hic vel ille Pontifex secundum suam privatam opinionem agens aliquid minus honestum admittat in suo regimine, attamen permittere nequit ut universa Ecclesia seu Pontifex agens secundum Ecclesiæ sensum sit harum turpitudinum promotor". (*Palmieri*, l. c.)

quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas, et in praxi sit recepta, ut notorium est ".

Ad exercitium hujus potestatis, duo requiruntur : juridica probatio de non-consummatione matrimonii; et causa legitima, qualis est probabilis nullitas matrimonii, moralis impossibilitas pro conjugibus simul cohabitandi, timor futuri scandali et adulterii ex parte saltem unius conjugum etc.

73. (C) Disputatur inter theologos *quo jure* matrimonium ratum professione religiosâ solvatur, jure scil. naturali divino, vel ecclesiastico ? (a) Quidam, cum *Bellarmino*, putârunt id fieri *jure divino naturali ;* nam jure naturæ, de statu minus perfecto ad perfectiorem transire licet, si absque alterius detrimento id fieri possit ; atqui status religionis perfectior est statu conjugii, nec aliunde damnum infertur proli, quæ non existit, vel alterutri conjugum, quum uterque sit in pari conditione ; ergo. Quæ tamen opinio communiter rejicitur ; nam falsum est licitum esse ex lege naturæ perfectiorem inire statum, quum obligatio jam suscepta huic statui adversatur; quamvis enim Episcopatus sit status matrimonio perfectior, non licet illum suscipere, invito conjuge, nec ejus susceptione solvitur matrimonium ratum. (b) Alii, post *Suarez*, tenent id fieri *jure ecclesiastico ;* nam Ecclesia potest, gravi de causâ, matrimonium ratum solvere, ut ex probatis constat ; jamvero eâ potestate usa est quoad professionem religiosam ; quod quidem ex eo constat quod ipsa solemnitates religiosæ professionis determinaverit, ipsaque statuerit matrimonium solvi per vota solemnia non autem per vota simplicia. Hæc tamen opinio non bene cum canone Tridentino supra citato conciliatur; si enim *de fide est* matrimonium per professionem religiosam solvi, hæc veritas debuit a Christo revelari, proindeque dissolutio fit jure divino, non simpliciter ecclesiastico [1].

[1] Nec dicere juvat canonem Tridentinum esse *disciplinarem*, non dogmaticum ; nam veritas a Concilio proposita non est quod Ecclesia potestatem habeat dirimendi matrimonium ratum, sed quod revera per professionem religiosam dirimatur matrimonium : quæ quidem veritas est ex se dogmatica, et semper vera esse debet; jamvero si jure eccle-

(c) Hinc tertia est opinio asserens, cum *Benedicto XIV*[1], dissolutionem fieri *jure divino*, quatenus legi indissolubilitatis Christus exceptionem apposuit in gratiam status religiosi, quemadmodum vidimus unam appositam matrimonio infidelium. Sic enim intelligitur quomodo *Tridentinum* rem definire potuerit tanquam de fide, quomodo pariter Pontifices qui primi de hoc privilegio locuti sunt, praxim jam plane stabilitam supposuerint, nec ullæ reclamationes tunc ortæ fuerint. Objiciunt quidem adversarii solemnitatem religiosæ professionis ab ipsâ Ecclesiâ institutam fuisse; sed difficultas evanescit, si admittatur matrimonium in hoc casu solvi *jure partim divino, partim ecclesiastico.* Res sic concipi potest : Christus in communi tantum determinavit matrimonium solvi posse per statum religiosum, Ecclesiæ potestatem relinquendo determinandi *in specie* conditiones quæ statum religiosum constituant, proindeque matrimonium ratum dirimant ; sic enim intelligitur quomodo, ita statuente Ecclesiâ, vota solemnia non autem simplicia hunc producant effectum. (d) Quarta tandem opinio tenet matrimonium solvi *jure divino implicito*, seu *per ministerialem illam potestatem*, quâ Ecclesia dispensat a voto, juramento, aliisque impedimentis, propter gravem necessitatem. Videlicet in amplissimâ potestate clavium a Christo collatâ comprehenditur ministerialis seu instrumentalis facultas dispensandi a quibusdam obligationibus jure divino inductis, quando spiritualis animarum utilitas id requirit. Jamvero obligatio quæ resultat ex vinculo matrimonii rati et non consummati, licet oriatur ex jure divino, non ita perfecta est ut nullomodo solvi possit, gravi interveniente causâ. Quæ sententia sat probabilis est, et sufficienter explicat cur matrimonium hujusmodi non solum per professionem religiosam, sed etiam per dispensationem Pontificis solvi possit, licet nil hâc de re explicite in Scripturâ aut primævâ Traditione inveniatur[2].

siastico tale privilegium concessum fuisset, eâdem auctoritate tolli posset, et jam falsum evaderet quod in canone declaratur. Cf. *Palmieri*, l. c.

[1] *Benedict. XIV*, quæst. can. et moral., q. 546.

[2] Ad fusiorem hujus opinionis expositionem vide *Billot*, th. 44-45.

74. *Objicitur* quidem his exceptionibus perimi indissolubilitatem matrimonii; sed immerito; nam hic agitur tantum de matrimonio rato, proindeque mala quæ ex divortio consequuntur ex parte conjugum et prolis hic non verificantur; insuper dissolutio fit non auctoritate privatâ, sed a Romano Pontifice post longam inquisitionem, si de casu particulari sit quæstio, et nonnisi gravibus de causis; si agatur autem de casu solemnis professionis pauca incommoda quæ forsan exinde sequuntur, compensantur per excellentius bonum vitæ religiosæ, nec aliunde timendum est multos fore qui voluptatibus renuntient ut religionis austeritates amplectantur. Non periclitatur ergo his paucis exceptionibus matrimonii indissolubilitas.

Art. IV. De effectibus sacramenti [1].

75. Quum Matrimonium sit unum ex sacramentis N. Legis, gratiam habitualem producit *ex opere operato*, ut diserte definitum est a *Trident.* (sess. XXIV, can. 1) : "Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum ... *neque gratiam conferre*, A. S."

Gratia autem, quam confert, non est prima sed *secunda*, quum, teste *Tridentino*, institutum fuerit non ad peccata remittenda, sed ad sanctificandos conjuges. Iterum gratia huic sacramento propria consistit in jure ad accipiendas, tempore opportuno, gratias actuales christianis conjugibus ad sua officia rite adimplenda necessarias : 1° ad christianam prolis procreationem et educationem ; 2° ad mutuum amorem et vitæ consortium ; 3° ad concupiscentiam coercendam.

76. 1° *Ad christianam prolis procreationem et educationem ;* hic est enim præcipuus matrimonii finis : sicut enim Christus non alio fine Ecclesiæ conjunctus est, quam ut ex divino hujusmodi connubio nascerentur filii Dei adoptivi, ita sponsi uniri debent ut filios generent sancteque educent, qui non solum terrestri patriæ utiles esse valeant, sed etiam optimi Ecclesiæ cives, regnique cœlestis candidati. Porro ad hoc requiritur gratia specialis, quæ per matrimonii sacramentum confertur : homines enim, peccato originali

[1] *Drouin*, l. X, q. 4; *L. Habert*, Theol. dogm. et moralis, de matrim. c. 5; *Carrière*, n. 58 sq.; *Bonal*, n. 84.

vitiati, suam voluptatem potiusquam prolis bonum naturaliter quærunt ; sed, gratiæ sacramentalis ope, mentes suas altius erigunt, et cum pio Tobiâ dicere valent : " Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam conjugem, sed solâ posteritatis dilectione, in quâ benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum "[1]. Nec minor requiritur gratia ad filios sancte educandos ; nam, ut ait *Leo XIII* (*Arcanum*) : " In liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est : *Patres, educate illos in disciplinâ et correptione Domini*[2]. Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia ; ea tamen conjugibus bonis, *ob virtutem quæ sacramento percipitur*, non modo tolerabilia fiunt, *verum etiam jucunda* ".

77. 2° *Ad castum amorem fovendum ;* siquidem sæpius nuptias perturbat conjugum discordia, quando unusquisque proprias sequitur inclinationes : vir, potestate suâ abutendo, uxorem non ut adjutorium simile sibi respicit, sed potius ut famulam quam male pertractat ; uxor vice suâ maritum contemnit, eique subjici recusat ; inde innumerabiles nascuntur rixæ, quæ familiæ pacem evertunt, vitamque miserabilem utrique conjugi reddunt. Huic autem malo occurrit Matrimonii sacramentum, vi cujus vir uxorem suam diligit sicut Christus Ecclesiam, et uxor viro subdita est sicut Ecclesia Christo, amboque alacrius mutuas infirmitates perferunt et sibi mutuo condonant : " Eos scilicet ipsos, ait *Leo XIII* (l. cit.), necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiæ princeps, et caput mulieris ; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hâc quæ paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina caritas esto perpetuo moderatrix officii ". Porro sacramentalis gratia hæc omnia operatur in iis qui sunt recte dispositi.

[1] *Tob.* VIII, 9. — [2] *Ephes.* VI, 4.

78. 3° *Ad concupiscentiam moderandam;* qui enim corruptæ naturæ propensionibus habenas laxant, nuptiale torum omni immunditiâ deturpant, nec unâ uxore contenti, ad multas inclinantur, et, si polygamia prohibeatur, ad divortium recurrunt, omnique libidinis generi indulgent, prout de paganis refertur. Huic autem vitio medetur gratia sacramenti, quâ adjuti christiani conjuges præcipites libidinis impetus cohibere valent, et caste juribus suis utuntur, non tam voluptatis quam prolis desiderio ; eâdem gratiâ fit ut sibi invicem ita perpetuo adhæreant ut neuter adulterinos foveat amores : sicut enim " Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro eâ ut illum sanctificaret " [1], ita vir christianus casto amore uxorem prosequitur, et uxor virum, ita ut ex illâ mutuâ dilectione sanctiores evadant.

79. Attamen ut Matrimonii sacramentum præfatos operetur effectus, recipi debet cum rectâ intentione et statu gratiæ. Satagant igitur pastores ut tum privatim tum publice adolescentes hortentur ut non sine propriis dispositionibus accedant ad sacramentum, ex quo tantos fructus percipere valeant pro toto vitæ cursu tam necessarios.

80. Hanc brevem doctrinæ catholicæ expositionem de Matrimonio christiano melius concludere non possumus quam referendo hæc *Leonis XIII* verba (l. cit.) : " Quantum contentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei vestræ commendatas, integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et cœlestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christi fidelibus servari per omnes ætates jussit. Præcipuas curas in id insumite, ut populi abundent præceptis sapientiæ christianæ, semperque memoriâ teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hâc lege prorsus ut sit unius ad unam : Christum vero novi Fœderis auctorem illud ipsum ex officio naturæ in sacramenta transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et judicialem Ecclesiæ suæ attribuisse potestatem ".

[1] *Ephes.* V, 25-26.

De Deo Remuneratore.

Auctores consulendi.

Inter **Patres** : *sæc. II*, **Athenagoras**, de Resurrectione mortuorum ; *sæc. III*, **Tertullianus**, Liber de Resurrectione Carnis; **S. Hippolytus**, Demonstratio de Christo et Anti-Christo; Liber adversus Græcos, ubi de futuro hominis statu disserit ; *sæc. IV*, **S. Methodius**, Liber de Resurrectione contra Origenem ; **S. Cyrillus Hierosol.**, Catech. XV, XVIII ; **S. Gregorius Nyss.**, Tr. de Animâ et Resurrectione ; **S. Ambrosius**, Libri V de Fide, lib. II, c. 11-14, ubi graphice describitur extremum judicium ; Libri II, de Excessu fratris sui, ubi de corporum resurrectione ; **S. Zeno**, Tr. de Resurrectione; **S. Ephrem**, Sermones polemici 14, 46, 52; Paræneses 76, seu hortat. ad pœnitentiam, ubi vivide describuntur mors, judicium, infernus : Sermones XII de Paradiso Eden, ubi etiam de paradiso cœlesti; **S. Chrysostomus**, Homil. V de Lazaro ; Homil. in Ep. ad Thessalonic. ; Sermones duo de Consolatione mortis ; Homil. de Resurrectione mortuorum ; *sæc. VI*, **S. Cæsarius Arelat.**, Sermones de judicio divino et pœnit. ; *sæc. VIII*, **S. Joa. Damascenus**, Expos. Orthod. fidei, lib. IV, c. 26-27 ; *sæc. XI*, **S. Petrus Damianus**. Hymnus de gloriâ Paradisi.

Inter **theologos** : *Sæc. XII*, **Petr. Lombardus**, Sententiarum lib. IV, circa finem, ejusque Commentatores; *sæc. XIII*, **S. Thomas Aq.** O. P., Supplem., q. 69-81 ; Cont. Gentil. lib. IV, c. 79-97, ejusque Commentatores, præsertim *Cajetanus* et *Ferrariensis ;* **S. Bonaventura**, O. M., Comment. in lib. IV Sentent. ; **Ægidius Romanus**, O. Aug., De divinâ influentiâ in Beatos; De prædestinatione, præscientiâ, paradiso et inferno ; *sæc. XIV*, **Fr. Mayron**, O. M., De Ultimo judicio ; *sæc. XV*, **Nic. Cusa**, De Novissimo die lib. I ; **Dionysius Carthus.**, De quatuor Novissimis ; **Alph. Tostat**, Libellus de statu animarum post mortem ; **Marsil. Ficinus**, De caritate. De immortalitate animorum ac æternâ felicitate ; *sæc. XVI*, **Gulielmus Mercier**, De sacramentis, irregularitatibus, indulgentiis, purgatorio et extremo judicio. — *Sæc. XVII*, **Th. Malvenda**, O. P., De Antichristo libri 11, Romæ, 1601 ; **Jac. Gretser**, S. J., Dissertationes duæ de subterraneis animarum receptaculis et de statu Beatorum ;

Suarez, S. J., De Angelis, lib. VIII; **Petavius**, S. J., De Angelis, lib. III; **Bellarminus**, S. J., Controv. de Purgatorio, de Sanctorum Beatitudine; Opusc. de æternâ felicitate Sanctorum; **Lessius**, S. J., De Summo Bono et æternâ beatitudine, Antuerpiæ, 1616; **Did. Ruiz**, S. J., De visione et nominibus Dei; **P. de Fonseca**, S. J., Disputationes de animæ et corporis beatitudine, Coimbricæ, 1609; **Fratres Walenburch**, Tract. generales de Controv. fidei, t. 2, ubi de Purgatorio; **Ger. de Cordemoy**, L'Eternité des Peines de l'Enfer, Paris, 1697; **Leo Allatius**, De utriusque Ecclesiæ perpetuâ in dogmate de Purgatorio consensione, Romæ, 1655. — *Sæc. XVIII*, **Franc. Maria Magdalena**, O. Carm., De Spiritu S., de Purgatorio et suffragiis, de statu animarum et corporum, Mediolani, 1743; **Muratori**, de Paradiso, Veronæ, 1738; **Pelletier**, Traité des Récompenses et des Peines éternelles, Paris, 1738; **Patuzzi**, O. P., De futuro impiorum statu, Veronæ, 1748; **B. Plazza**, Dissertatio anagogica theologica de Paradiso, Panormi, 1762. — *Sæc. XIX*, **J. J. Rossignol**, S. J., Des peines du Purgatoire, Taurini, 1808; **Anton. Barcellona**, La Felicità de' Santi, Panormi, 1801; **Carle**, Du dogme catholique sur l'Enfer, suivi de la diss. de M. Emery sur la mitigation des peines des damnés, 1842; **Perrone**, S. J. Prælectiones, De Deo Creatore; **Passaglia**, S. J., De Igne inferni; **Mazzella**, S. J., de Deo Creante; **Jungmann**, de Novissimis; **Kenrick**, de Vitâ futurâ; **Hurter**, S. J., De Deo Consummatore; **E. Méric**, L'autre vie, Paris, 1880; **Oxenham**, Catholic Eschatology; **Leonhard Atzberger**, Die christliche Eschatologie, 1890; Geschichte der christlichen Eschatologie; **Monsabré**, O. P., Carême 1888-1889; **Terrien**, S. J., La Grâce et la Gloire, t. II.

Inter **Protestantes**: **Richter**, Die Lehre von den letzen Dingen, Breslau, 1843-44; **Alger, W. R.**, The destiny of the soul, a critical History of a Future Life, 10th ed. Boston, 1880; **Lee, F. G.**, The christian doctrine of Prayer for the departed, London, 1875; **Hanna, Wm.**, The Resurrection of the Dead, Edinburgh, 1872; **Smyth, Newman, Dorner** on the Future State, 1883; **Pusey**, What is of faith as to everlasting punishment, London, 1888; **Lichtenberger**, op cit., verbo *Eschatologie*, t. IV, p. 486 sq.; **Salmond**, The Christian Doctrine of Immortality, 3a ed 1897, Edinburgh.

Ex Decreto unionis Græcorum in Bulla Eugenii IV "Lætentur cœli" (*Denzing.* n. 588.)

Item, si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari: et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scil. sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt;

illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius : illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Objectum et divisio Tractatus.

1. *Objectum.* Deus unus et trinus, qui nos creavit et sanctificavit, quique per Filium suum nos redemit, gratiamque in corda nostra diffudit præsertim per sacramenta, statim post mortem homines judicat, et ut justus *remunerator* unicuique reddit secundum opera sua : igitur tractatum de *Sacramentis* logico ordine sequitur *Tractatus de Deo Remuneratore*, qui sæpe sæpius vocatur etiam *Tr. de Novissimis*, vel *Eschatologia* (ἔσχατα, novissima); novissima enim hominis dicuntur ea quæ, secundum œconomiam divinæ providentiæ, ex hâc vitâ migrantibus obtingunt, sc. *mors*, *judicium*, *cœlum* vel *infernus*. Quanti momenti sit hâc de re disputare colligi potest ex his Scripturæ verbis : "In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis" [1].

2. *Divisio.* Ingredientes viam æternitatis vel sunt in statu peccati mortalis, et statim æternis *inferni* tormentis addicuntur ; vel sunt in *statu gratiæ*, nec tamen perfecte mundati, quo casu in *purgatorium* descendunt ; si vero nihil ipsis luendum superest, statim *cœlum* ingrediuntur Hinc sequens partitio :

PROLEGOMENA	De morte. De judicio particulari.
ART. I. de inferno.	Existentia et æternitas. Natura et gradus pœnarum.
ART. II. de purgatorio.	Existentia. Natura pœnarum.
ART. III. de cœlo.	De gloriâ animæ. De gloriâ corporis.

[1] *Eccli.* VII, 40

Prolegomena.

3. 1° *De Morte.* (A) Mors corporalis, quæ est æternitatis janua, consistit in separatione animæ a corpore. Aliquando alia mors in Scripturâ commemoratur, sc. *mors animæ*, quæ in privatione gratiæ sanctificantis sita est, et *mors secunda* vocatur, si quis in hoc statu e vitâ exeat [1]; tunc enim vita gratiæ in perpetuum amissa fuit. In præsenti statu mors est pœna peccati: homo enim *inexterminabilis* creatus fuerat [2], sed "per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et *per peccatum mors*" [3].

4. (B) Mortem esse *omnibus hominibus communem* tum Scriptura tum experientia testantur: "Statutum est hominibus semel mori... sicut in Adam *omnes* moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur" [4]. Christus ipse, licet a peccato immunis, libere mori voluit, ut pro peccatis nostris satisfaceret, et nos a timore mortis liberaret, ut corporaliter moriendo similitudini peccati, daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato, tandem ut a mortuis resurgendo nobis spem resurgendi daret (*S. Th.* 3 p., q. 50, a. 1).

Duplex tamen dubium oritur quoad mortis universalitatem: (a) ex iis quæ de Henoch et Eliâ referuntur, quos mortuos non esse Scriptura declarat [5]; sed Patres et Theologi communiter tradunt eos in fine mundi esse morituros, innixi hoc *Apocalypsis* loco [6]: "Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt... Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso faciet adversus eos bellum, et vincet illos, et occidet eos". Notandum est tamen hunc locum esse valde obscurum, et a nonnullis de tempore persecutionum intelligi; unde vix aliquid certi ex eo deduci potest. (b) Aliud dubium oritur ex his S. Pauli verbis: "Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi:

---

[1] *Apoc.* XX, 6, 14. — [2] *Sap.* II, 23. — [3] *Rom.* V, 12.

[4] *Hebr.* IX, 27; *I Cor.* XV, 22.

[5] *Gen.* V, 24; *4 Reg.* II, 11; *Hebr.*, XI, 5.

[6] *Apoc.* XI, 3-7. De Henoch et Eliæ præsenti statu et futurâ missione legi possunt *Suarez*, in 3 p. S. Thom. disp. 55, sect. 1; *Pereira*, l. III in Gen., quæst. 5; *Ribera*, in cap. XI Apocalypsis; *Sanctius*, in lib. IV Reg., ap. *Migne*, Script. Curs. XI, 44-58.

deinde *nos qui vivimus*, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera"[1]; nonnulli Patres, præsertim Græci, ex his verbis inferre non dubitaverunt eos qui, tempore secundi adventûs Domini adhuc vivent, non esse morituros; quod confirmant ex textu græco *I Cor.* XV, 51, ubi legitur: "Omnes quidem non moriemur, sed omnes immutabimur"; plerique tamen Theologi tenent ipsos esse morituros et statim resurrecturos; res incerta manet.

5. (C) *Tempus* mortis omnino *incertum est*, "ut dum illam prævidere non possumus, ait *S. Gregorius* (hom. XIII in Evang.), ad illam sine intermissione præparemur"; sic homines a peccandi libidine et impœnitentiâ refrænantur: "Vigilate, quia nescitis diem, neque horam"[2]. Mors enim statui viæ finem imponit, nec post mortem datur pœnitentiæ aut meriti locus, ut jam dictum est ubi de *Gratiâ* (n. 186), et melius constabit ubi de æternitate pœnarum inferni. Tota igitur vita christiani hominis præparatio ad mortem esse debet.

6. 2° *De judicio particulari.* (A) *Anima, statim post mortem, judicium subit, quo futura ejus sors determinatur.* Certum est contra quosdam antiquos hæreticos, ut *Tatianum et Vigilantium*, et quosdam modernos, ut *Lutherum et Calvinum*, qui docuerunt sortem animarum usque ad diem extremi judicii in incerto relinqui. Etenim (a) *Scriptura*, justos monere volens ne desponderent, felicitatem impiorum cernendo, eos sic alloquitur[3]: "In die bonorum, ne immemor sis malorum, et in die malorum ne immemor sis bonorum: quoniam *facile est coram Deo*, in *die obitus* retribuere unicuique secundum vias suas"; jamvero *facile est* hic non nudam possibilitatem exprimit, sed potius *factum*, quod nullam difficultatem patitur, ut ex communi Patrum interpretatione colligi potest. Confirmatur ex parabolâ de epulone divite: "Factum est ut moreretur mendicus, et

[1] *I Thessal.* IV, 16; cfr. *II Tim.* IV, 1. Vide *P. A. Delattre*, Revue Catholique, maio et junio 1881; *Corluy*, op. cit. vol. II, p. 332 sq.

[2] *Matt.* XXV, 13; cf. *Luc.* XII, 40.

[3] *Eccli*, XI, 27-28.

portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ ; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno "[1] ; atqui mendicus remunerari et dives puniri non potuit, nisi prius judicium intercesserit. Addi possunt verba S. Pauli[2] : "Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium " ; licet enim a nonnullis de extremo judicio intelligantur, communius accipiuntur de particulari judicio quod mortem excipit. (b) Accedit etiam auctoritas non solum *Patrum*, sed etiam *Conciliorum*, quæ *implicite* rem declarant, definiendo statim post mortem animas pro statu suo purgatorium, infernum vel cœlum ingredi : ita præsertim *Florentinum (Denzing.* 588) ; atqui hoc fieri nequit sine prævio judicio. (c) *S. Thomas* hujus rei rationem optime reddit : " Quilibet homo est singularis quædam persona, et est pars totius generis humani : unde et duplex ei judicium debetur, unum *singulare*, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea quæ in corpore gessit... aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius generis humani ". (*Sup.* q. 88, a. 1. ad 1).

7. (B) In omni judicio tria distinguere licet : causæ *discussionem*, sententiæ *prolationem*, ejusdem *executionem*. Jamvero in judicio particulari nulla erit discussio proprie dicta, quia Judex perfecte cognoscit omnes actiones nostras et intimas cogitationes : judicium igitur fiet per internam illuminationem et locutionem intellectualem, quâ anima clare percipiet sibi retribui secundum sua merita et demerita[3]. Sententia autem in ipsa mortis instanti, et in loco quo homo moritur, statim profertur a Deo, juxta communem sententiam, non autem a Christo homine, licet qui judicatur verisimiliter intelligat se ejus auctoritate judicari. Lata sententia mox exsecutioni mandatur, et anima infernum, purgatorium vel cœlum ingreditur.

---

1 *Luc.* XVI, 22. — 2 *Hebr.*, IX, 27.

3 Commemoratur aliquando *liber scriptus* in quo totum continetur ; quo libro intelligi debet lux divina, " quâ fiet ut cuique opera sua vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, ut accuset et excuset conscientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli judicentur ". (*S. Augustinus*, de Civit. Dei, l. XX, c. 14).

Art. I. De inferno.

8. Infernus (græce ᾅδης, hebraice *scheol*) *proprie* duo designat, sc. *statum* damnatorum, et *locum* in quo sunt; priori sensu est status eorum qui, in peccato mortali decedentes, in æternum puniuntur; posteriori sensu, est locus in quo damnati manent ad pœnas æternas luendas; communiter enim docent Theologi infernum esse locum, quum omnes creaturæ in aliquo loco determinato esse debeant. *Minus proprie* autem *infernus* apud auctores sacros et ecclesiasticos omnem locum cœlo inferiorem designat, proindeque purgatorium, limbum infantium, limbum Patrum (*S. Th.* 3 dist. 22. q. 2. a. 1): hic autem hanc vocem sensu proprio accipimus.

I. De existentiâ et æternitate pœnarum inferni[1].

9. *Errores.* (A) Æternitatem pœnarum inferni negârunt imprimis *Origenistæ*, qui docuerunt homines, etiam post mortem, liberum arbitrium retinere, et pœnitentiam agere posse, ita ut, post longa tempora, omnes reprobi, sive angeli sive homines, cœlum tandem sint ingressuri : finalem igitur omnium restaurationem advocârunt. Origenis errores tempore S. Augustini nonnulli amplexi sunt, qui *misericordes* sunt vocati.

(B) Inter *Protestantes*, *Sociniani* contenderunt impios vel statim post mortem, vel saltem post extremum judicium fore annihilandos; *Universalistæ*, qui duces agnoscunt *J. Kelly* et *J. Murray*, (XVIII s.), tenent, sicut Origenistæ, reprobos in alterâ vitâ pœnitere posse, et post varias probationes vitam æternam consecuturos esse[2]. Idem fere docent *Unitarii*[3], qui æternitatem pœnarum spectant ut Dei sa-

[1] *S. Thom.* Supp. q. 99; *Petavius*, op. cit. l. III, c. 6-8; *Patuzzi*, op. cit. l. III, c. 1 sq.; *Perrone*, op. cit. n. 726 sq.; *Mazzella*, op. cit. n. 1253 sq.; *Hettinger*, Apolog. du Christ, vol. IV, c. 15; *Pusey*, op. cit. p. 38 sq.; *Oxenham*, Eschatol. c. 3-6.

[2] "Credimus unum esse Deum, cujus natura caritas est, quique se manifestavit in Christo, per Spiritum gratiæ, ac ultimo totum genus humanum in sanctitate ac felicitate restaurabit". (*Profession of faith* 1803, art. II, apud *H. Lyon*, A study of the sects, p. 160).

[3] *Clarke*, Man. of unit. belief p. 62.

pientiæ, justitiæ ac misericordiæ, necnon Christi redemptioni injuriosam. Tandem *Congregationalistæ* multi[1], et in genere Protestantes *liberales* dicti, imo nonnulli Anglicani[2], de æternitate pœnarum dubitant, tenentque post mortem novam dari probationem iis omnibus qui Christum non sufficienter cognoverunt, vel etiam in angustis circumstantiis positi sunt, in quibus vix salvari poterant[3]. Non pauci addunt eos qui, in hâc novâ probatione, pœnitentiam agere et ad Christum se convertere noluerunt, ultimo esse annihilandos[4].

(C) *Rationalistæ* uno ore clamant pœnarum æternitatem Dei sapientiæ, justitiæ et misericordiæ repugnare, propterea que rejiciendam esse[5]. Hodierni *Spiritæ* contendunt omnes animas, post varias transmigrationes et successivas expiationes, æternam beatitudinem assecuturas esse.

10. *Thesis :* **Dæmones, et homines in statu peccati mortalis morientes, æternis suppliciis puniuntur.** *De fide est*, ex Symbolo Athanasiano : "Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam : qui vero mala, in ignem æternum".

11. 1° *Script.* (A) In *Vet. Test.* pauca solum invenire est testimonia de pœnarum æternitate ; celebre est *Isaiæ* vaticinium[6] : "Et egredientur, et videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me ; vermis eorum non morie-

[1] Cf. *Progressive Orthodoxy* by the editors of the Andover Review.

[2] *Farrar*, Eternal Hope ; Mercy and judgment ; cf. *Row*, Future retribution.

[3] Protestantium errores de vitâ futurâ breviter exponuntur apud *H. Lyon*, op. cit. 39, et fusius apud *Alger*, A critical history of a future life; *Shedd*, The doctrine of eternal punishment; *Martineau*, Seat of authority in religion, pp. 546-573, etc.

[4] Ita v. g. *E. White*, Life in Christ ; *Rothe*, Dogmatik, III, 133 sq.; *A. Sabatier*, l'Apôtre Paul, p. 343-44; quorum theorias exponit ac confutat *Salmond*, op. cit. p. 594 sq.

[5] Quorum errores exponit *P. de Bonniot*, Le Problème du Mal, l. VII, c. 1; cfr. *Monsabré*, Carême 1889, p. 293 sq.

[6] *Isa.* LXVI, 24. — Sæpe in medium profertur alius Isaiæ textus (XXXIII, 14) : "Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis?"; sed ex contextu evidens est hic agi de pœnis quibus Assyrii conterentur, et nonnisi sensu accommodatitio de inferno intelligi posse. Idem dic de multis textibus sæpe a prædicatoribus hâc de re usurpatis.

tur, et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem omni carni" (*hebr.* erunt abominationi omni carni). Multi interpretes non solum catholici, sed etiam protestantes, præfata verba directe de æternâ impiorum sorte intelligunt; nam ex contextu patet hic agi de extremo judicio (15-19), et de inæquali justorum et impiorum exitu; pauci autem interpretes qui directe hæc verba de destructione Jerusalem a Romanis audiunt, eadem ad supplicia damnatorum quâdam similitudine transferunt, quum revera Christus eis usus sit[1] ad damnatorum tormenta describenda. Atqui ibi perspicue asseritur malorum tormenta sine fine duratura: "vermis eorum non morietur" etc. Confirmatur ex *Daniele*, qui novissima tempora describens ac judicium, ait: "Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper"[2], *hebr.* in contemptum æternum; inspecto enim contextu, hic agitur de retributione æternâ.

12. (B) Ex *Novo Test.* multi textus afferri possunt, qui in triplicem classem dividuntur. (a) Imprimis pœnæ inferni diserte et explicite *æternæ* dicuntur: "Qui pœnas dabunt in interitu *æternas* a facie Domini"[3]; "Quibus procella tenebrarum servata est in *æternum*"[4]; "Discedite maledicti in ignem *æternum*, qui paratus est diabolo et angelis ejus"[5]. Quæ ultima verba specialem vim ex contextu habent. Ibi enim graphice describitur extremum judicium: judicis majestas: "Cum autem venerit Filius hominis in majestate suâ" (31); judicandorum multitudo: "Et congregabuntur ante eum omnes gentes" (32); separatio bonorum a malis: "Et separabit eos ab invicem"...; duplex sententia in bonos ac malos lata: "Venite, benedicti .... Discedite, maledicti...." (34-45); tandem sententiæ executio: "Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam". Porro ex his omnibus colligitur hic agi de sententiâ vere finali, a Supremo Judice latâ, a quâ proinde non datur appellatio et in quâ statuitur sors bonorum malorumve, non pro brevi vel longo temporis spatio, sed in æternum.

---

[1] *Marc.* IX, 45. — [2] *Dan.* XII, 2. — [3] *II Thessal.* I, 9. — [4] *Jud.*, 13. — [5] *Matt.*, XXV, 41.

Nec dici valet vocem *æternum* (gr. αἰώνιος) sæpe adhiberi sensu lato, ut longa, non autem perpetua exprimatur duratio; nam sensus obvius et proprius, qui *durationem sine fine* exprimit, accipi debet quotics neque in textu neque in contextu limitationis vestigium apparet; insuper in N. T. illa vox, quæ septuagies saltem occurrit, semper, exceptis forsan duobus casibus dubiis, æternitatem propriam designat[1]; hinc protestans *Schleusner*[2] dicit αἰωνιον in N. T. significare " omne quod est finis expers, maxime id quod est post hujus vitæ mundique decursum eventurum "; iterum *Bretschneider*[3] ait : " αἰωνιον in formulis Ζωή αἰων, Πῦρ αἰων.... sempiternum nunquam finiendum indicare, dubio caret, quum præmia æque ac pœnæ post resurrectionem sempiternæ quoque haberentur a Judæis ". Sed insuper, si *contextus* inspiciatur, nullum dubium remanere potest quoad textum *S. Matthæi;* nam, post verba citata, additur :

[1] " Meæ de pœnis æternis orationi notam in modum appendicis de vocis αἰώνιος usu apud classicos græcos adjeci, quam Rev. J. Riddel, cujus amicitia fruor, vir omnium tum Oxonii degentium hellenistarum peritissimus exaravit. Ex qua eruitur vocem illam ad *æternitatem significandam* sensu stricto adhiberi, id est sine fine existentiam qualis concipi potest cum tempus non erit amplius (*Apocal.* X, 6). In Novo Testamento septuaginta et una vicibus vox ista legitur; quadraginta quatuor vicibus de vita æterna prædicatur (*Matt.* XIX, 16, 29; XXV, 46; *Marc.* X, 17, 30; *Luc.* X, 25; XVIII, 18, 30; *Joan.*, viginti tribus vicibus, III, 15, 16, 36; IV, 14, 36; V, 24, 39 etc.; *Act.* XIII, 46, 48; *Rom.* II, 7; V, 21; VI, 22, 23; *Galat.* VI. 8; *I Tim.*, I, 16; VI, 12; *Tit.* I, 2; III, 7); tribus vicibus de Deo, de ejus spiritu et gloria prædicatur (*Rom.* XVI, 26; *Hebr.* IX, 15; *I Tim.* VI, 16); de regno Christi, de Redemptione, de Sanguine Testamenti (*II Petr.* I, 11; *Hebr.* IX, 12; XIII, 20); de Evangelio, de salute æterna, de nostro in cœlis habitaculo (*Apoc.* XIV, 16; *Hebr.* V, 9; *Luc.* XVI, 9); de gloria nobis in cœlo parata, tribus vicibus (*II Cor.* IV, 17, 18; *I Tim.* I, 16; *I Petr.* V, 10); de nostra hæreditate, de electorum gaudio, de nostra vitæ æternæ participatione (*Hebr.* IX, 15; *II Thess.* II, 15; *Philem.* 15); de igne æterno tribus vicibus (*Matt.* XVIII, 8; XXV, 41; *S. Jud.*, 7); de pœnis, de judicio, de consummatione finali quatuor vicibus (*Matth.* XXV, 46; *Marc.* III, 29; *II Thess.* I, 9; *Hebr.* VI, 2). Hæc itaque vox numquam in Novo Testamento futurum tempus designat, nisi de vita æterna, vel pœnis æternis agatur" (*Pusey*, op. cit. p. 38-39.)Cfr. *Oxenham*, op. cit. p. 136.

[2] Lexicon in N. Test. in h. voc. — [3] Lexic. Man.

"Ibunt hi in supplicium *æternum*, justi autem in vitam æternam" (46). Unde sic : ibi tormenta reproborum æterna dicuntur eodem sensu ac justorum præmia ; hoc enim exigit *parallelismus ;* atqui, juxta omnes, præmia justorum sunt sine fine duratura ; ergo. Hinc recte *S. Augustinus* [1] : " Christus in uno eodemque loco, in unâ eâdemque sententiâ dicit : *ibunt isti* etc.; si utrumque æternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi, par pari enim relata sunt. Hinc supplicium æternum, inde vita æterna. Dicere autem in hoc uno eodemque sensu vita æterna sine fine erit, supplicium æternum finem habebit, multum absurdum est". Tandem notari potest præfata verba a judice, pro tribunali sedente, solemniter esse proferenda ; porro judex, in talibus circumstantiis positus, proprie et stricte loqui debet, nisi decipere velit ; ergo.

13. (b) Quod etiam probatur ex iis textibus, in quibus asseritur pœnas inferni *nullum finem habituras :* " Si scandalizaverit te manus tua, abscide illam ; bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam [2], ubi vermis eorum *non moritur, et ignis non extinguitur*" [3] ; quæ comminatio ter repetitur cum maximâ emphasi. Similiter *S. Paulus* pluries de iniquis dicit : " An nescitis quia iniqui *regnum Dei non possidebunt?...* qui

[1] De Civit. Dei, XXI, 23.

[2] *Gehenna* vallem designabat prope Jerusalem, in qua jam a tempore Josiæ (IV *Reg.* XXIII, 10) comburebantur cadavera et alia hujusmodi : hinc, quum esset locus horrendus, ejus nomen ad designandum locum quo damnati torquentur, translatum est. (Cf. *Oxenh. op. cit.*, 155 sq.) Nec dicere juvat cum *Farrar* (Eternal Hope, p. 81), tempore Christi voce *gehenna* nihil aliud a Judæis intellectum fuisse nisi supplicium plus minusve diuturnum, non autem sempiternum; nam Judæi tempore Christi æterna esse damnatorum tormenta credebant, ut colligi potest ex variis libris ante Messiæ adventum scriptis (*Judith* XVI, 21 ; *Lib. Enoch*, c. 5 ; *IV Esdr.* apud *Pusey*, op. cit. p. 59), necnon ex eis qui paulo post a Rabbinis concinnati fuêre (*Pusey*, l. c. p. 71 sq.) Sed etiamsi Judæi hâc de re erravissent, Christus uti poterat vocabulo *gehenna* ad designandum locum eorum qui ad æterna supplicia damnantur, dummodo clare et aperte suam mentem manifestaret, prout revera manifestavit loc. citatis.

[3] *Marc.* IX, 42 sq. ; *Matt.* XVIII, 8 ; sq.

talia agunt regnum Dei non consequentur"[1]. Jamvero si remorsus conscientiæ vel ignis nunquam reprobos torquere cesset, si nunquam regnum Dei sint consecuturi, evidenter eorum tormenta æterna sint necesse est. Nec verba *S. Marci* de merâ annihilatione accipi possunt, ut attente ea legenti patet; nam agitur de pœnis positivis, (conscientiæ remorsu ac pœnâ ignis) quæ damnatorum continuatam supponunt existentiam[2]. Frustra objicitur græcam vocem ἀσβέστου non significare "inexstinguibilem"; sed solum "qui de facto non exstinguitur"; idem est sensus, nam si ignis revera non exstinguitur, de facto reproborum tormenta non cessabunt.

14. (c) Probatur tandem ex iis locis ubi damnatorum sicut et justorum status *immutabilis* dicitur, ita ut nullus pœnitentiæ locus detur; id innuit *Ecclesiastes*, homines exhortans ad recte agendum in præsenti vitâ[3] : "Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit". Christus clarius dixit : "Qui blasphemaverit in Spiritum S. non habebit remissionem in æternum, sed reus erit *æterni* delicti"[4]. Quæ quidem verba, cum contextu sumpta, nihil aliud significant nisi hominem, post mortem, in eodem statu manere ac in ipso instanti mortis : igitur si in peccato mortali mortuus fuerit, in æternum reus manebit, et in æternum punietur. Idem deducitur ex parabolâ divitis epulonis, ex quâ constat nullum posse de cœlo in infernum transire, aut vice versâ : "Et in his omnibus *inter nos et vos chaos magnum* firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare"[5].

15. Igitur pœnarum æternitas non in uno solum textu docetur, neque ab hâc vel illâ particulâ pendet, ut falso clamant adversarii, sed in multis textibus explicite et sub variis formis traditur, in aliis

---

[1] *I Cor.* VI, 9-10; *Galat.* V, 21.

[2] Quod confirmari potest iis textibus ubi declaratur damnatos torqueri die ac nocte, i. e. sine intermissione : "Et diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudo-propheta cruciabantur *die ac nocte in sæcula sæculorum*" (*Apoc.* XX, 9-10). Eamdem fore sortem eorum qui a diabolo seducti sunt colligi potest ex *Apoc.* XX, 15; XXI, 8.

[3] *Eccle.* XI, 3. — [4] *Marc.* III, 29; *Matt.* XII, 32.

[5] *Luc.* XVI, 26.

vero innumeris plus minusve implicite supponitur : de eâ proinde dubitari nequit.

Objicitur quidem in Scripturâ doceri *finalem omnium restitutionem*, vi cujus omnes, etiam damnati, tandem aliquando salvi fient : "Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra ; ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, quem oportet quidem cœlum suscipere usque in tempora *restitutionis omnium*[1]... Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit *Deus omnia in omnibus*"[2]. Fatemur equidem hæc loca aliquam obscuritatem præ se ferre, sed Universalistarum doctrinam minime probant : nam in priori loco, S. Petrus Israelitas hortatur ad pœnitentiam agendam, ut refrigerio frui possint, tempore judicii, quum omnia in statu pristino restituta fuerint, scil. quum justi, a peccatoribus per judicium separati, æternam requiem ingressi fuerint, ut colligi potest ex locis parallelis, v. g. *Apoc.* XXI, 1-5; in posteriori loco S. Paulus solum docet omnia subjicienda esse Filio, Filium autem Patri : hoc incisum "ut sit Deus omnia in omnibus", inspecto contextu, significat : ut Deus tanquam solus Dominus et Rex ab omnibus agnoscatur; quod quidem minime importat omnium salutem, nam et ipsi damnati Deo subjiciuntur, et ejus dominium agnoscere debent.

16. 2° *Tradit.*[3] (A) ex *Patribus*, v g. *S. Justino*[4] : "Quem (diabolum) in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius et hominibus qui eum sequuntur, *in æternum puniendos*, Christus ante significavit" ; *S. Irenæo*[5] : "Quibuscumque dixerit Dominus : Discedite a me... isti erunt *semper* damnati ; et quibuscumque dixerit : "Venite, benedicti, hi semper percipiunt regnum et proficiunt".

Origenes quidem, Platonicâ philosophiâ imbutus, contrarium docuit (*supra*, n. 9); ejusque auctoritate permoti, quidam ex ejus discipulis, ut *Pamphilius* et *Didymus* in eumdem errorem lapsi sunt; alii, ut *S. Gregorius Nyss.* et *S. Greg. Nazianz.*, obscura et forsan erronea hac de re scripserunt; *S. Hieronymus*, dum junior esset, eidem errori favisse videtur, sed postea eum strenue impugnavit. Alii vero Patres doctrinam de pœnarum æternitate diserte exposuerunt consensu moraliter unanimi.[6].

---

[1] *Act.* III, 20-21. — [2] *I Cor.* XV, 28.

[3] Hoc argumentum fusius evolutum videre est apud *Petavium*, de Angelis, l. III, c. 8; *Patuzzi*, *op. cit.* l. 3, c. 15; *Oxenham*, *op. cit.* cap. IV; *Pusey*, *op. cit.* 129-290.

[4] Apol. I, 28. — [5] C. hæres. l, IV, c. 28, n. 2. — [6] *Petavius*, l. c. c. 7; *Turmel* ap. *Revue d'Hist. et de Littérat. Relig.* t. 5, 1900, pp. 97, 200, 289 sq.

17. (B) Ex *martyrum* testimoniis, qui tyrannis horrenda minitantibus tormenta, nisi idolis sacrificarent, respondebant se temporales cruciatus subire malle quam æternos, se non temporaneum *sed æternum ignem* timere; nam "mortis æternæ mercedem, et inexplicabiles sine termino cruciatus apostatæ patientur"; hinc tormenta ipsis videbantur *unctiones* et *refrigeria* ad ignem inexstinguibilem comparata [1].

18. (C) *ex Conciliis, Constantinop. II* (553), in quo damnatus est error Origenis [2]; *Nicæno II* (787), ubi confirmata est Origenis condemnatio; *Later. IV* (1215): "Omnes cum suis resurgent corporibus... ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala: illi cum diabolo pœnam *perpetuam*, et isti cum Christo gloriam sempiternam"; *Trident.* (sess. VI, can. 25): "Si quis dixerit, justum in quolibet opere bono peccare...atque ideo pœnas *æternas* mereri, A. S.", ubi res non explicite definitur, quia a Novatoribus non negata fuerat, sed tamen manifeste supponitur.

19. 3° *Ratione.* (A) Existentia inferni, i. e. suppliciorum quibus impii in alterâ vitâ aliquo saltem tempore puniuntur, ratione certo demonstrari potest. Etenim Dei justitia requirit ut peccata dignis vindicentur pœnis: Deus enim, ut supremus *judex*, unicuique secundum opera sua reddere, et ut humanæ societatis *legislator* et *rector*, leges suas efficaci sanctione munire debet. Atqui in vitâ præsenti vitium æquam retributionem non accipit, ut experientiâ constat; nonnunquam enim justi affliguntur, malis autem res prospere cedunt; insuper mala, quæ vitium consequuntur, sæpe non superant emolumenta quæ ex peccatis oriuntur, nec majora sunt illis quæ boni, ad virtutem colendam tolerare debent; aliquando etiam mali non solum bonis hujus vitæ fruuntur, sed etiam sine remorsu et conscientiæ

[1] Cf. *Ruinart*, Acta Martyrum, ed. 2ª, pp. 27, 34, 76, 81, 157, 159, 168, 267, 268, 294, 295, 298 etc.; *Pusey*, op. cit. 155 sq.

[2] "Si quis fabulosam animarum præexistentiam, et, quæ ex illâ consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, A. S."(*Denzing.* n. 187.) De Origenis condemnatione vide *Pusey*, op. cit. p. 129 sq. Nonnulli tamen censent canones contra Origenem a Synodo C. P., sub Mennâ habitâ, confectos esse, et Origenem nonnisi modo generali in C.Constantinop. II damnatum fuisse Cf. *Hefele*, Histoire des Conciles, § 257 sq.

angoribus moriuntur ; ergo necesse est ut in alterâ vitâ dignis suppliciis puniantur.

20. (B) Ratio autem *æternitatem pœnarum* non potest *apodictice* demonstrare, sed solum probabilibus argumentis suadere : (a) ex parte *Dei.* Deus, quum sit supremus omnium Dominus, non potest impune contemni ab impio juxta illud : " Deus non irridetur " ; atqui Deus ab impio contemneretur, si pœnæ inferni non essent æternæ ; nam seclusâ æternitate pœnarum, peccator impœnitens vel annihilaretur, vel, post varias probationes et pœnas, æternam beatitudinem consequeretur; atqui annihilatio non est pœna sufficiens, quum a pluribus exoptetur, nec pœna proportionata variis gradibus culparum; aliunde secunda hypothesis magis etiam repugnat, quia si peccator impœnitens sciat se tandem aliquando beatitudinem consecuturum, nunquam de pœnitentiâ curabit, sed e contra Deum irridere poterit. Ergo remanet ut pœnæ inferni sint æternæ.

(b) Ex parte *peccati.* Peccatum mortale quamdam infinitatem habet quia Deo irrogat offensam *objective* saltem infinitam, ut in *Tr. de Verbo Incarn*, (n. 176) probatum est ; atqui peccatum aliquo modo infinitum debet puniri pœnâ aliquo modo infinitâ, et quum non possit esse infinita in intensitate, debet esse infinita in duratione (*S. Th.*, Sup. q. 99. a. 1). Attamen fatemur argumentum illud non esse cogens, quia malitia peccati subjective spectata est certe finita; jamvero pœna proportionari debet malitiæ subjective consideratæ.

(c) Ex parte *peccatoris.* Justitia exigit ut pœna tamdiu duret quamdiu culpa; atqui culpa peccatoris, qui moritur in finali impœnitentiâ, in æternum manet, quia post mortem nullus datur pœnitentiæ locus, nulla gratia conversionis ; hoc autem convenienter fit quia necesse est ut tandem aliquando probationis tempus finem accipiat, et omnino congruit ut finiatur ipso instanti mortis, quo veluti nova vita incipit, a priori omnino differens.

(d) Ex parte *societatis.* Deus, utpote supremus legislator et princeps societatis, debet legibus suis sanctionem sufficientem apponere; atqui quælibet sanctio mere temporalis insufficiens esset ; nam ardua est virtutis semita, et

aliunde natura est ad malum valde prona, ita ut nisi homo pœnas æternas timeret, sæpe sæpius a vitio deterreri non posset. Quod luculenter experientiâ confirmatur; nam, etiam stante timore pœnarum æternarum, multi sunt qui passionibus indulgent, et sibi persuadere conantur pœnas hujusmodi non esse æternas; quid igitur eveniret, si jam timore æterni supplicii non refrænarentur? Hoc intellexit *Lucretius* poeta dum dixit (de Nat. deorum I, 108):

Nam si certum finem esse viderent
Ærumnarum homines, aliquâ ratione valerent
Relligionibus atque minis obsistere vatum.
Nunc ratio nulla est, restandi nulla facultas,
Æternas quoniam pœnas in morte timendum est.

21. (**C**) Ratio tandem ostendere valet dogma de pœnis æternis cum divinis attributis non pugnare: (**a**) non cum *misericordiâ;* nam, licet Deus omnium misereatur, ejus tamen misericordia sapientiæ ordine regulatur, nec ad illos se extendit qui se misericordiæ fecerunt indignos, et sunt in malitiâ obstinati (*S. Th.*, l. c. a. 2, ad 1). Aliunde misericordia Dei, licet in se infinita, est in suâ manifestatione limitata, sicut cetera Dei attributa; jamvero Deus suam misericordiam erga peccatores jam satis exhibuit, illis gratias largiendo, dum adhuc in terrâ viverent. Tandem misericordia etiam in eis locum habet, inquantum citra condignum puniuntur, ut tenet *S. Thomas*, l. c.

(**b**) Nec cum *justitiâ.* Dicunt quidem Rationalistæ justitiam postulare ut inter pœnam et culpam debita sit proportio, proindeque pœnam æternam propter momentaneum scelus irrogari non posse. Respondetur autem pœnam proportionari quidem *gravitati* culpæ, non autem ejus *durationi;* recte enim animadvertit *S. Thomas*, (l. c. a. 1): "Non enim adulterium, quod in momento temporis perpetratur, momentaneâ pœnâ punitur, etiam secundum leges humanas. Sed duratio pœnæ respicit dispositionem peccantis. Quandoque enim ille qui peccat in aliquâ civitate, ex ipso peccato efficitur dignus ut totaliter a civium consortio repellatur vel per exsilium perpetuum, vel etiam per mortem... Et ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari"

Revera pœna mortis, vel perpetui exsilii, quæ aliquando a judicibus humanis juste infligitur, est æterna, in quantum fieri potest : non igitur repugnat Deum pœnâ æternâ grave peccatum punire, quod, ex dictis, quamdam infinitatem habet.

(c) Nec cum *sapientiâ;* objiciunt adversarii sapientem judicem nonnisi pœnas *medicinales* infligere, pœnam autem æternam minime emendationem rei procurare. Respondetur vero pœnas non solum ad emendationem rei, sed ad reparationem ordinis violati bonumque commune esse ordinandas [1]; jamvero pœna æterna ordinem a peccatoribus violatum reparat, dum æternaliter a Deo separat eos qui voluntarie et pertinaciter a Deo sese averterunt; communi bono favet dum peccatores a vitiis deterret, et ipsis impiis, antequam moriantur, valde utilis est, eos ad pœnitentiam urgendo : quot enim peccatores vias suas pessimas mutaverunt, cœlumque tandem aliquando ingressi sunt propter metum inferni! " Initium sapientiæ timor Domini " [2].

22. Difficultates autem, quæ ex magno damnatorum numero urgentur, ad rem non pertinent, quia fides nihil hâc de re docet (*De Deo Uno*, n. 153). Cæteroquin unusquisque a Deo judicatur secundum propriam conscientiam, nullusque, etiam inter paganos, æternis suppliciis condemnabitur, nisi sciens et volens contra conscientiæ dictamen deliquerit, et pertinaciter in suo peccato perseveraverit.

Exinde solvi potest difficultas quam *Farrar* [3] aliique urgent ex infaustâ conditione in quâ multi vixerunt et mortui sunt : ex quo concludunt *novam probationem* pro illis saltem necessariam esse qui Christum non cognoverunt, vel tot et tantis tentationibus irretiti fuerunt, ut vix a peccato immunes manere potuerint. Quæ quidem difficultas maxima est in systemate Protestantium, qui inter peccata gravia et levia essentialem differentiam non admittunt, nec ullum intermedium locum inter cœlum et infernum agnoscunt; sed, positâ doctrinâ catholicâ, valde minuitur aut penitus evanescit. Nam, ex unâ parte, illi solum mortalis peccati rei sunt qui scienter et volenter grave præceptum, et ut tale sibi notum, transgressi sunt; ex alterâ autem, omnibus dantur tempore opportuno, præsertim vero in articulo mortis, gratiæ quibus a peccatis suis pœnitere valeant, ita ut nemo ad pœnas æternas damnetur nisi pertinaciter

[1] *Newman*, Grammar of Assent, ed. 1887, p. 390-391. — [2] *Ps.* CX, 10.
[3] Eternal Hope, 1886, p. 102 sq.; Mercy and Judgment, c. XVI, p. 480 sq.

usque ad ultimum vitæ suspirium gravi peccato adhæserit, sicque a Deo fine ultimo sese libere separaverit. Ceteri omnes qui vel levia præcepta violaverunt, vel etiam gravia, quæ ut levia reputabant, aut sine sufficienti deliberatione libertateve leges aliunde sub gravi obligantes transgressi sunt, mortalis peccati formaliter rei non sunt, neque propterea æternas pœnas luent[1]. His autem positis, utquid nova probatio? Si detur omnibus, et ipsi justi peccare poterunt gloriamque amittere quam multis laboribus sibi acquisierant; si paucis tantum, cur uni potiusquam alteri? Præterea nonne multi, spe veniam in alterâ vitâ consequendi, exinde passionibus suis habenas dabunt, et, voluptati potiusquam officio adimplendo attendentes, divinas humanasque leges contemnent, et societati proximoque multa damna inferent? Dato etiam quod nova sit probatio post mortem, numquid illi qui voluptatibus per multos annos se totos permiserunt, statim interius mutati pœnitentiam agent? Si vero iterum peccaverint, numquid tertia aut quarta probatio eisdem concedetur? Hæc omnia, aliaque multa sane ostendunt quam sapienter Deus probationi finem cum præsenti vitæ termino imposuerit, ut jam probavimus (*de Gratiâ*, 186; *supra*, n. 6).

II. De naturâ et gradu pœnarum inferni[2].

Duplex distinguitur pœna in inferno, nempe pœna *damni* et pœna *sensûs* : prior est privatio visionis beatificæ, et pec-

[1] " Infernus, verus et formidabilis infernus nonnisi gravibus seu mortalibus culpis incurritur. Quid vero nomine peccati mortalis veniat, omnibus inter catholicos, compertum est; continetur scilicet in Dei totali rejectione, et consequenti gratiæ, quæ est animæ vita, amissione. Utrum hoc vel illud, in particulari, grave sit peccatum, haud semper dictu facile est... In hoc posita est difficultas ut sciamus utrumne particulares circumstantiæ cognitionis, advertentiæ et consensus eæ sint, ut actus, quo arcemur a Deo, ad animam in mortis spiritualis tenebras conjiciendam vim habeat. Si perpendimus permulta peccata ignorantiæ haud omnino culpabili deberi, vel subitis passionis motibus, qui rationis imperium minuunt, vel attentionis defectui, impedienti quominus hujus vel illius actus gravitatem metiamur ,aut nonnisi confuse ejus consectaria prævideamus; et si præ oculis habeantur ii cordis motus ad Deum, quos quamplures experiuntur illorum qui, licet peccatores, Deum ætate iuvenili cognoverunt, illico apparet neque immoderate loqui, neque multitudinem innumeram ad ignem inferni condemnare opus esse". (*Dublin Review*, janv. 1881, p. 133.) Cfr. *Oxenh.* op. cit. p. 22 sq.

[2] *S. Thom.* Supp. q. 97-99; C. Gent. cc. 90, 93; *Suarez*, de Angelis, l. VII, c. 4 sq.; *Petavius*, de Angelis, l. III, c. 4-5; *Patuzzi*, Diss. de sede inferni, Venet. 1763; *Jungmann*, de Novissimis, n. 27 sq.; *Hettinger*, op. cit., c. XV; *Mazzella*, n. 1274 sq.; *Hurter*, n. 796 sq.

catori infligitur eo quod sese averterit a Deo; posterior vero consistit in variis corporeis afflictationibus, quæ peccatori infliguntur eo quod ad creaturas et voluptates sese converterit. De utrâque seorsim dicemus.

23. 1° *Pœna damni.* (A) Pœna damni est privatio visionis beatificæ et omnium bonorum quæ illam consequuntur. Dicitur : (a) *Privatio visionis beatificæ;* nam homo ad videndum et possidendum Deum destinatur; jamvero reprobi sese avertendo a Deo per peccatum mortale, jus ad visionem beatificam amiserunt et in æternum a Deo separati manebunt, non solum ut fine supernaturali, sed etiam ut fine naturali, quia peccatum mortale est offensa Dei etiam in ordine naturali; (b) *et omnium bonorum;* nam reprobi, Deum amittendo, omnia bona quæ in Dei possessione includuntur, eo ipso amittunt, v. g. societatem Christi, B. M. Virginis, Angelorum et Sanctorum, ineffabiles delicias electis paratas a constitutione mundi... etc.

(B) *Pœnam damni existere in inferno de fide est;* nam *Florentinum*, postquam definivit animas justorum in cœlum mox recipi, et ipsum Deum trinum et unum clare intueri, addit : " Illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in *infernum* descendere, pœnis tamen disparibus *puniendas*"; quæ quidem verba, inspecto contextu, clare important damnatos cœlo, proindeque visione beatificâ privari.

Probatur etiam (a) *Scripturâ:* nam in die judicii Christus damnatos sic alloquetur : "*Discedite a me*, maledicti, in ignem æternum"; atqui illa verba clare exprimunt æternam separationem a Deo, et privationem bonorum quæ cum præsentiâ Dei connectuntur ; ergo.

(b) *Rat. Theol.* Homo, in peccato mortali decedens, est jam in statu separationis a Deo, cum peccatum mortale sit aversio a Deo et conversio ad creaturas; atqui, post mortem, nullus est pœnitentiæ locus, ex dictis; ergo peccator in æternum manet a Deo separatus, et merito quidem, quum libere et pertinaciter ad Deum reverti noluerit.

24. (C) Acerbitas illius pœnæ vix concipi potest in terrâ; attamen hæc duo notari possunt : (a) Anima nostra necessario tendit ad Deum tanquam finem suum ultimum; quod

quidem potissimum evenit post mortem, quando omnia temporalia quibus cor nostrum irreticbatur evanescunt, clareque perspicimus extra Deum nullam esse beatitudinem; attamen, non obstante illâ inclinatione ad Deum, tanquam ad finem ultimum, anima reprobi in æternum a Deo repellitur, sine ullâ spe eum unquam attingendi, juxta illud: "Discedite a me, maledicti... Nescio vos"[1]. Comparatione res illustretur: supponatur vir e patriâ suâ ejectus, omnibus bonis privatus, ab omnibus parentibus et amicis violenter separatus non solum pro centum et amplius annis, sed pro totâ æternitate, absque ullâ spe unquam ullum amicum, ullum gaudium inveniendi! eamdem et multo acerbiorem pœnam in æternum patietur impœnitens peccator.

(b) Iterum damnati *desperatione* torquebuntur; optime enim intelligent se *in æternum* esse damnatos, et quidem *propriâ culpâ;* unicum instans ad veram pœnitentiam sufficiebat, et tamen pœnitere noluerunt; ipsis gratia multoties oblata fuit, eamque pertinaciter despexerunt. Item felicitatem Beatorum videbunt, et invidiâ tabescent: "Peccator videbit et irascetur; dentibus fremet et tabescet; desiderium peccatorum peribit"[2]. Apud *Sap.*[3] graphice describitur horrendus reproborum status: "Videntes turbabuntur timore horribili..., dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustiâ spiritûs gementes... Nos insensati, vitam illorum (justorum) æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore... Ergo erravimus a viâ veritatis... Lassati sumus in viâ iniquitatis et perditionis etc." Hinc *S. Augustinus*[4]: "Perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, carere tam magnâ multitudine dulcedinis Dei, quam abscondit timentibus se, tam grandis est pœna, ut nulla ei possint tormenta, quæ novimus, comparari"; *S. Chrysostomus*[5] addit: "Hic enim est cruciatus omnium acerbissimus".

25. 2° *De pœnâ sensus.* (A) Præter pœnam damni, adest in inferno *pœna sensûs*, quâ corpus et sensus hominis aliquomodo affliguntur; dicitur enim in Evangelio[6]: "Ti-

[1] *Matt.* XXV, 12, 41. — [2] *Ps.* CXI, 10. — [3] *Sap.* V, 1-16.
[4] Enchirid. c. 112.
[5] Ad Theod. ep. I, n. 12. Hanc damni pœnam egregie declarat *J. H. Newman*, Callista, c. XIX. — [6] *Matt.* X, 28.

mete eum qui potest et animam et *corpus* perdere in gehennam". Aliunde corpus est veluti instrumentum animæ, et aliquo modo bonorum malorumve operum particeps: convenit igitur ut pariter sit aliquo sensu mercedis vel pœnæ particeps. Præterea, ut ait *S. Thom.*[1], "pœna debet proportionaliter culpæ respondere... In culpâ autem non solum avertitur mens ab ultimo fine, sed etiam indebite convertitur in alia quasi in fines. Non solum ergo puniendus est qui peccat per hoc quod excludatur a fine, sed etiam per hoc quod ex aliis rebus sentiat nocumentum". De naturâ autem pœnæ sensûs Ecclesia nihil definivit; si Scriptura perlegatur, infernus ibi exhibetur ut *carcer*, in quo reprobi tanquam captivi detinentur, ut *locus tenebrarum*, in quo adest stridor dentium, ut *stagnum ignis* et *sulphuris*, ut locus *tormentorum*[2]; ex quo inferre licet reproborum sortem sane lugendam esse; sed quæstio est præcise quo sensu illa verba interpretari debeant, utrum litteraliter, vel solum metaphorice.

26. (B) De nonnullis damnatorum pœnis recte ait *S. Thomas*[3]: "Nihil tamen prohibet quædam etiam quæ de damnatorum pœnis in Scripturis dicta corporaliter leguntur, *spiritualiter* accipi, et velut per similitudinem dicta: sicut dicitur[4]: *vermis* eorum non morietur; potest enim per vermem intelligi *conscientiæ remorsus*... Non enim est possibile quod corporeus vermis spiritualem corrodat substantiam, neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt. *Fletus* etiam et *stridor dentium* in spiritualibus substantiis non nisi *metaphorice* intelligi possunt; quamvis in corporibus damnatorum post resurrectionem nihil prohibeat corporaliter ea intelligi, ita tamen quod per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla resolutio fieri potest, sed solum dolor cordis, conturbatio oculorum et capitis, prout in fletibus esse solet".

27. (C) Quæstio expendi potest præsertim utrum *ignis* inferni, qui ut pœna sensûs præcipua recensetur, sit physicus

[1] C. Gent., lib. III, c. 146.
[2] *II Petr.* II, 4; *Matt.* XXII, 13; *Apoc.* XX, 14.
[3] C. Gent., lib. IV, c. 90. — [4] *Isa.* LXVI, 24.

et realis vel solum metaphoricus. (a) Jamvero doctrina communis Patrum et Theologorum est ignem illum esse *realem*. " *Certa* et *catholica* sententia est, ait *Suarez*[1], ignem qui paratus est diabolo et angelis ejus, ut in illo crucientur, verum ac proprium ignem corporeum esse ". *Perrone* eam doctrinam ut certam habet, ita ut in dubium absque temeritate vocari nequeat (n. 730). *Hurter* eam vocat *communem* sententiam, a quâ temerarium esset recedere. Hinc quum sacerdos Mantuensis postulaverit quomodo agendum sit cum pœnitentibus qui censent ignem inferni non esse realem sed metaphoricum, *S. Pœnitentiaria*, 30 Apr. 1890, respondit hujusmodi pœnitentes diligenter esse instruendos, et pertinaces non esse absolvendos; quæ quidem decisio doctrinalis non est, sed tamen cum reverentiâ accipienda. Confirmatur *Script.;* nam a sensu litterali non est recedendum, nisi contextus vel ratio naturalis id postulent; atqui in locis ubi agitur de igne inferni, contextus sensui litterali nedum obstet, illum potius requirit, quum in uno saltem casu vox " *ignis* " in sententiâ judiciali reperiatur, quæ omnem metaphoram prorsus excludit; aliunde non repugnat ut Deus creare possit ignem, qui, supernaturali quâdam accedente virtute, substantias spirituales torquere possit.

28. (b) Attamen nonnulli Patres, ut *S. Ambrosius*[2], *Theophylactus*[3], aliique quos citat *S. Hieronymus*[4], *S. Joannes Damas.*[5], insuper quidam theologi, ut *Catharinus*, putârunt illum ignem esse metaphoricum. Sic enim arguunt: sæpe sæpius Scriptura, dum beatitudinem æternam describit, metaphoras adhibet, ut melius intelligere possimus in quo consistat sors electorum; ergo idem dici potest de inferni descriptione, præsertim quum vox *ignis* sæpe in Scripturâ metaphorice usurpetur. Iterum omnes fatentur vocabulum " *vermis* " metaphorice accipiendum esse in hoc versiculo: " Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur " ; atqui, vi parallelismi, *ignis* eodem modo intelligi debet; ergo. — Respondent tamen communiter auctores

[1] De Angel., l. VIII, c. 12, n. 9.

[2] In *Luc.*, c. 7, 205-206. — [3] In *Marc.*, c. 9. — [4] In *Isa.* LXVI.

[5] De Fide Orthod., l. IV, c. 27. Quorum testimonia refert *Petavius*, op. cit., l. III, c. 5.

Scripturam traditione interpretandam esse; jamvero "vermis a paucis proprie accipitur, ignis vero fere ab omnibus, et a nemine significatio propria clare et diserte excluditur" [1]. Ergo a sententiâ communi recedere non licet, nisi nova solidaque argumenta in contrarium proferantur.

29. (D) Ignis inferni dicitur realis et corporeus, quatenus est agens materiale, quod non in mente solum sed revera existit, verumque instrumentum quo Deus reprobos punit; sed de ejus *naturâ*, vel de *modo* quo damnatos torquet nihil in Scripturâ revelatur: "Qui ignis, inquit *Augustinus* [2], cujusmodi, et in quâ mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit".

(a) Difficile est præsertim concipere quomodo ignis, qui paratus est diabolo et angelis ejus, spirituales substantias possit cruciare. *S. Augustinus* [3] dicit eas "*miris*, tamen *veris* modis affligi". *S. Thomas* (*l. cit.*) rem sic explicat: "Non igitur sic æstimandum est quod substantiæ incorporeæ ab igne corporeo pati possint, quod earum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur,..... substantiæ enim incorporeæ non habent naturam corporalem, ut possint a rebus corporeis immutari..... Neque etiam potest dici quod patiantur ab igne corporeo afflictionem ratione alicujus contrarietatis, sicut corpora post resurrectionem patientur, quia substantiæ incorporeæ organa sensuum non habent, neque potentiis sensitivis utuntur. Patiuntur igitur ab igne

[1] *Hurter*, n. 797.

[2] De Civit. Dei, l. XX, c. 16. — Illum ignem a terrestri igni in multis dissimilem esse indubium est: hic enim urit et comburit, ille autem urit quidem, sed non comburit; hinc *Min. Felix* ait (Octavius, n. 35): "Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit". Nonnulli putârunt ignem hujusmodi esse veluti febrim ex ipsius animæ desperatione orientem: "Spiritus enim reprobus, divisum se videns a summo bono, eique immutabiliter contrarium, ignem inde concipiet spiritualem, seu vermem qui mentem torquebit et depascetur morsibus sempiternis". (*Martinet*, Theol. Dogmat. t. III, p. 577-78). Addit tamen idem auctor, præter hanc intimam causam corporei ignis, aliam esse in perpetuo conflictu reproborum cum elementis, juxta illud: "Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos". (*Sap.* V, 21).

[3] De Civit. Dei, l. XXI, c. 10.

corporeo... per modum *alligationis* cujusdam... virtute divinâ spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt; et hoc ipsum est eis in afflictionem quod sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam". *Suarez*[1] autem probabile putat igni materiali insitam esse qualitatem *quamdam spiritualem et supernaturalem*, in suo ordine *doloriferam*, quâ spiritus affliguntur. Prior opinio nobis magis arridet, quia non sunt multiplicanda entia et miracula sine necessitate.

(b) Quoad *corpora*, ignis inferni ea neque dissolvit, neque consumit, licet ea cruciet modo nobis ignoto.

30. (E) Igitur in praxi, caute omnino de igne inferni loquendum est, et sedulo vitandæ sunt horribiles illæ descriptiones, sæpe sæpius a prædicatoribus usurpatæ, quæ, dum quosdam pios fideles terrent, causa sunt cur alii de inferni existentiâ dubitare incipiant, vel Deum ut crudelem tyrannum considerent. Ex altero autem capite imprudens et temerarium foret ex pulpito declarare nullum esse physicum ignem in inferno; in mentibus enim multorum fidelium idea inferni tam intime connectitur cum *ideâ ignis*, ut negatio ignis physici ipsum infernum tollere videretur. In prædicando, melius est igitur adhibere ipsa Christi verba prout in Evangelio referuntur, sine ullâ exaggeratione, quin expendatur *ex professo* quænam sit natura ignis inferni, vel quomodo reprobos cruciet.

31. 3° *De gradu pœnarum.* (A) *De inæqualitate.* Pœnæ damnatorum sunt quidem æquales ratione *durationis*, quum sint æternæ, sed ratione *acerbitatis* valde differunt. Probatur: (a) *Script.*: "Deus reddet unicuique secundum opera ejus"[2]; "Potentes autem potenter tormenta patientur"[3]; "Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum"[4]. (b) *Ratione.* Pœna culpæ proportionari debet; atqui culpæ sunt inæquales, sive numero, sive gravitate; ergo pœnæ inferni inæquales esse debent.

32. (B) *De mitigatione.* (a) Sunt Theologi qui nullam prorsus mitigationem in pœnis inferni admittant; quod probare conantur ex parabolâ divitis epulonis, ex quâ ap-

[1] De Angelis, l. VIII, c. 14, n. 47-48. — [2] *Rom.* II, 6. — [3] *Sap.* VI, 7.
[4] *Apoc.* XVIII, 7; cfr. *Matt.* X, 15.

paret etiam aquæ guttulam diviti in inferno patienti, denegatam fuisse. (b) Probabilius tamen admittitur quædam mitigatio pœnæ accidentalis, ex duplici capite : tum quia pœna peccatis venialibus debita, finem accipiet post aliquod tempus ; tum quia pœna temporalis, peccatis mortalibus jam remissis debita, pariter cessabit ; hoc enim videtur requiri ex ipsâ justitiâ; unde *S. Thomas* ait [1] : " Non est inconveniens quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur, usque ad diem judicii ". (c) Insuper a nonnullis Patribus et Theologis admissa fuit, non quidem ex justitiâ, sed ex misericordiâ divinâ, momentanea vel successiva mitigatio, quâ sors damnatorum, licet semper lugenda, quum semper a Deo separati sint remansuri, tolerabilior tamen fieri potest. Hæc opinio invenitur in hymno *Prudentii* [2] qui olim in multis ecclesiis tempore paschali canebatur, permittitur a *S. Augustino* [3], insinuatur a *S. Chrysostomo* [4], expresse docetur a *S. Joanne Damasceno* (de iis qui in fide dormierunt), in Conc. *Flor.* a *Marco Ephesino* nomine Græcorum, proposita fuit, nec condemnata [5]. Talis igitur opinio non est hæretica sed nullum habet fundamentum in Scripturâ; contraria sententia communior est [6], atque innititur Ecclesiæ praxi, quæ pro damnatis orare non consuevit, et communi fidelium sensui ; unde in praxi hæc amplectenda videtur.

---

[1] In IV dist. 23, q. 1, a. 1 ad 5.

[2] " Sunt et spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge *feriæ*
Illa nocte, sacer quâ rediit Deus
Stagnis ad superos ex acheronticis...
Marcent suppliciis tartara mitibus,
Exsultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus ".
(Cathem. hymn. V, 125).

[3] Enchirid. 110-112.

[4] Homil. 3 in Ep. ad Philip. 3-4.

[5] Quæ testimonia lege apud *Petavium*, l. cit. l. III, c. 8, n. 16 sq.; vel *Emery*, Dissertation sur la mitigation de la peine des damnés, Œuvres complètes, ed. *Migne*, 1857, p. 1358 sq.

[6] *S. Thomas* (Sup., q. 71, a. 5) *præsumptuosam* vocat opinionem mitigationi faventem, utpote Sanctorum dictis contrariam; plerique enim Patres Latini eam rejecerunt.

33. De *loco* inferni nil certi scire possumus, quum Scriptura et Traditio hâc de re sileant, et Theologi nonnisi conjecturas plus minusve probabiles facere valeant; recte igitur ait *S. Chrysostomus*[1] : "Ne igitur quæramus ubi sit, sed quomodo eam (gehennam) effugiamus".

Art. II. De Purgatorio.

34. Purgatorium est locus et status in quo animæ justorum, cum reatu peccati venialis, vel pœnæ temporalis debito decedentium, patiuntur, donec omnia debita soluta fuerint. Ratio propter quam ibi detinentur est ut ab omnibus maculis purgentur, quæ eas a cœli ingressu remorantur : illæ maculæ triplicis generis esse possunt : *peccata venialia* nondum remissa, quæ, juxta *S. Thomam* et *Suarezium*, in primo instanti separationis animæ a corpore, per ferventem dilectionis vel contritionis actum, statim remittuntur; *habitus pravi*, qui pariter statim post mortem per actus contrarios expelluntur; *pœna temporalis*, quæ successive tolletur non merendo aut satisfaciendo, quum tempus merendi jam terminetur, sed *satispatiendo*, vel suffragiorum ope.

I. Existentia purgatorii[2].

35. Doctrina catholica de purgatorio his verbis *Tridentini* continetur : "Cum Catholica Ecclesia, Spiritu sancto edocta, ex sacris Litteris, et antiquâ Patrum traditione, in S. Conciliis, et novissime in hâc œcumenicâ synodo docuerit *purgatorium esse*, animasque ibi detentas fidelium *suffragiis*, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari" (sess. XXV). Duo igitur sunt *de fide*, purgatorium esse et animas ibi detentas suffragiis nostris posse juvari ; quæ, quum sint intime connexa, simul demonstrabuntur.

---

[1] In Ep. ad Rom. n. 5.

[2] *S. Thom.*, Sent. IV, dist. 21, q. I, a. 1; *Bellarminus*, de Purgat, l. I; Perpétuité de la Foi, ed. *Migne*, vol. III, p. 1123 sq.; *Perrone*, op. cit. n. 683 sp.; Faith of Catholics, 1885, vol. III, p. 139 sq.; *Kenrick*, n. 31; *Jungmann*, op. cit. n. 79 sq. ; *Mazzella*, n. 1314 sq. ; Card. *Gibbons*, Faith of our Fathers, XV; *Oxenham*, op. cit. c. II; *Wiseman*, Lectures on principal doctr. XI.

36. Doctrinam hanc impugnârunt : (a) *Aerius*, s. IV, qui, teste Augustino, asseruit orare vel offerre pro mortuis non oportere ; (b) *Albigenses*, *Waldenses*, *Hussitæ ;* (c) præsertim vero *Novatores ; Lutherus* enim [1] ait : "Quapropter purgatorium, et quidquid ei solemnitatis, cultus, et quæstus adhæret, mera diaboli larva est. Pugnat enim cum primo articulo qui docet Christum solum, et non hominum opera, animas liberare". Nec minus vehementer *Calvinus* [2] declarat purgatorium "exitiale satanæ esse commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat". Hodierni vero Protestantes non pauci libenter statum veluti medium inter cœlum et infernum admittunt, in quo animæ ad cœlum ingrediendum præparantur, sed purgatorii nomen rejiciunt, et tenent animas in eo statu mereri et satisfacere posse [3].

37. *Thesis :* **Existit purgatorium, in quo justorum animæ nondum plene expiatæ, piacularibus pœnis mundantur, et fidelium suffragiis possunt juvari.** *De fide est, ex Trid.* supra citato.

1° *Scriptura* sola argumentum *decretorium* non præbet, sed solum probabile, quod tamen certum redditur ex communi Patrum interpretatione.

38. (A) In *Vet. Test.* præclarum est testimonium ex II *Machab.*[4] desumptum. Judas enim, vir prudens et fortis, patriarum legum restaurator et vindex, post victorias a se reportatas, "factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*, bene et religiose de resurrectione cogitans, (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat quod hi, *qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Sancta ergo et salubris est cogitatio *pro defunctis exorare*, ut a peccatis solvantur". Protestantes negant quidem hunc librum inspiratum esse,

---

[1] *Art. Smal.* p. II, c. 2. § 9. — [2] Instit. l. III, 25, § 6.

[3] Cf. *Farrar*, Mercy and judgment, cap. III; *A. Campbell*, The doctrines of a middle state ; *Hodge*, vol. III, p. 741.

[4] *II Machab.* XII, 43.

sed eumdem substantialiter esse fide dignum agnoscere coguntur. Ex hoc loco patet (a) tum Judæ et populo hebraico, tum auctori sacro persuasum fuisse mortuos orationibus et sacrificiis juvari posse; (b) purgatorium existere; nam ibi agitur de iis qui *cum pietate* dormierunt, i. e. in statu gratiæ, proptereaque non sunt in inferno, et tamen a peccatis liberari debent, proindeque cœlum non adhuc sunt ingressi.

39. (B) In *Novo Test.* pauci sunt textus ex quibus thesis nostra a Patribus deducitur; "Qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro"[1]; quomodocumque enim hæc verba intelligantur, ibi supponitur quædam peccata remitti posse in vitâ futurâ; aliunde certum est post mortem non remitti mortalia; ergo agitur de venialibus, vel de pœnâ mortali peccato debitâ. Citantur etiam verba *S. Pauli*[2]; sed difficilia sunt intellectu; multi tamen Patres ea intelligunt de igne Purgatorii, ita *S. Augustinus* distinguit ignem inferni ab "illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt", et hujus existentiam probat ex eisdem Apostoli verbis.[3]

40. 2° *Tradit.* (A) ex *Patribus.* (a) Diserte orationem commendant pro mortuis, et declarant tales orationes prodesse non damnatis, sed iis qui pie in Domino mortui sunt et aliquid luendum habent. Hæc praxis pro mortuis orandi est *antiquissima;* ait enim *Tertullianus*[4]: "Oblationes pro defunctis annuâ die facimus. Harum et aliarum disciplinarum si legem expostules, Scripturam nullam invenies; *traditio* tibi *propenditur auctrix, consuetudo confirmatrix*, et *fides conservatrix*". Eamdem fuisse *universalem* scribit *S. Augustinus*[5]: "Hoc enim a Patribus traditum *universa* observat Ecclesia". Ratio autem cur tales orationes defunctis prosint, in *Constit. apostol.* (VIII, 41) ita redditur: "Oremus pro fratribus nostris, qui *in Christo requieverunt*, ut Deus summæ erga homines caritatis, qui animam defuncti suscepit, *remittat ei omne peccatum*, et propitius ac bene-

[1] *Matt.* XII, 32. — [2] *I Cor.* III, 10-19. — [3] In Psalm. 37, ap. *Migne*, t. XXXVI, 397.
[4] De Coronâ, c. 4. — [5] Sermo 172, n. 2.

volus ei factus *collocet eum in regione vivorum*". Ex quibus evidenter colligitur preces illas pro animabus in purgatorio detentis offerri; non enim solet Ecclesia pro damnatis orare, licet nonnulli dixerint etiam eos aliquatenus his precibus sublevari (*supra*, n. 32); aliunde plerique Patres cum *Augustino*[1] docent iis solum prodesse orationes qui in statu gratiæ defuncti sunt: "Non omnino ambigendum est ita prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis hæc esse utilia post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis a suis hujusmodi pietatis impenduntur officia". (b) Insuper nonnulli explicite de purgatorio sermonem habent; ita *S. Gregorius Naz.* dicit[2]: "Non potest egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorii ignis abstulerit".

41. (B) Ex *inscriptionibus* quæ in Catacumbis inventæ sunt, in quibus hæc et similia leguntur: "Spiritum tuum Deus refrigeret; Ursula, accepta sis in Christo; Victoria refrigereris spiritus tuus in bono; Kalemire, Deus refrigeret spiritum tuum una cum sororis tuæ Hilare; æterna tibi lux, Timothea, in Christo. Domine, ne quando adumbretur spiritus Veneris, etc."[3]. Ex quibus constat primos Christianos pro mortuis orâsse, ut a suis temporalibus pœnis liberarentur, cœlumque citius ingredi possent.

42. (C) *Ex liturgiis* antiquissimis sive Orientalibus sive Occidentalibus; hæc in liturgiâ *Hierosolymitanâ* legimus: "Fac, Domine, ut oblatio nostra accepta sit ... in requiem animarum earum, quæ ante nos obierunt"; in lit. *S. Basilii*: "Memento, Domine, omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ, et refrigera". Quæ quidem omnia probant praxim pro animabus in purgatorio detentis ab Apostolis descendere: secus enim in omnibus liturgiis non inveniretur[4].

---

[1] Sermo 172, n. 2. ap. *Migne*, t. XXXVIII, 937. — [2] Orat. pro mortuis.

[3] Cf. *Northcote*, The Roman Catacombs, cap. VII; *Martigny*, Dict. des Antiq. chrét. voce *purgatoire*.

[4] Hinc *Farrar* ipse (Et. Hope, p. XVII) scribit: "Si hujusmodi doctrina (de Purgatorio) nihil aliud præ se refert quam quæ Concilium Tridentinum in Catechismo docuit, et si vox *ignis*, juxta Ecclesiæ

43. (D) Ex *Conciliis*, præsertim *Florent.* : " Definimus... si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas *pœnis purgatoriis post mortem purgari*, et ut a pœnis hujusmodi releventur, *prodesse eis fidelium vivorum suffragia*, missarum sc. sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia " (*Denz.* 588).

44. 3° *Rat. convenientiæ.* (a) Scriptura testatur nihil inquinatum ingredi cœlum [1] ; oculi enim Dei ita mundi sunt ut ad iniquitatem respicere nequeant [2] ; aliunde justitia exigere videtur ut nemini æterna beatitudo concedatur, nisi prius delicta sua perfecte expiaverit ; atqui de facto multi moriuntur antequam a peccatis suis venialibus liberati fuerint, aut pœnam temporalem pro mortalibus remissis debitam solverint, vel propter negligentiam aliquam, vel quia peccator morte prævenitur; nec tamen propter hoc meretur totaliter a cœlo excludi, quum hæc absque peccato gravi contingere possint ; ergo locus esse convenit ubi purgentur, antequam finale præmium consequantur [3]. (b) Convenit pariter ut divina Providentia tales pœnas statuat, quæ homines ad sua officia adimplenda impellant; atqui, nisi esset purgatorium in quo pro venialibus nondum remissis et mortalium reliquiis pœnas subire cogimur, homines levia peccata committerent, nec de condignâ satisfactione satis cogitarent ; ergo. (c) Addi potest hanc doctrinam *solatio plenam* esse : quis enim, culparum et imperfectionum suarum conscius, se statim post

---

græcæ et latinæ theologorum cujusvis temporis consensum, metaphorice sumi potest, nihil mihi videtur Scripturæ contrarium in Purgatorii doctrina deprehendi posse. Insuper pervetustæ fidei Ecclesiæ, simul et praxi prope universali pro defunctis exorandi, doctrina hæc optime cohæret ".

[1] *Apoc.* XXI, 27. — [2] *Habacuc*, I, 13.

[3] *S. Thom.* C. Gent., l. IV, c. 91. — Quod nonnulli Protestantes admittere coguntur : " Nonne omnes Protestantes qui *rationales* appellantur, idem sentiunt ac nos, homines scilicet plerosque, sicut ait Doctor *Johnson*, non adeo in vitiis ardescere ut pœnam luere æternam, neque adeo culpis vacare ut beatorum spirituum consortio perfrui mereantur; divinamque bonitatem maluisse aliquem intermedium locum iis assignare ubi quadam pœnarum mensura purificentur." (*Ch. Butler*, protestans, quem citat *Oxenham*, op. cit. p. 40.

mortem cœlum ingressurum sperare potest? Si nullus esset locus, in quo a levibus delictis purgari possimus, quis tam mundus esset horâ mortis ut ante Deum infinite sanctum se sistere auderet[1]? Nec dicatur Christum sufficienter pro omnibus delictis nostris satisfecisse; probavimus enim (de *Verbo Incarn.* 206) ejus satisfactiones adultis non applicari nisi ipsis cooperantibus; si igitur quidam de facto non sufficienter cum Christo satisfecerint, nulla alia spes ipsis remanet cœlum consequendi nisi purgatoriis pœnis in alterâ vitâ patienter toleratis.

II. De naturâ pœnarum purgatorii[2].

45. Nihil hâc de re ab Ecclesiâ definitum est; præ oculis tamen habenda sunt hæc *Tridentini* monita (sess. XXV): "Apud rudem vero plebem *difficiliores ac subtiliores* quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. *Incerta* item, vel quæ *specie falsi* laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad *curiositatem* quamdam, aut *superstitionem* spectant, vel turpe *lucrum* sapiunt, tanquam scandala, et fidelium offendicula prohibeant."

1° His positis, omnino constat animas in purgatorio detentas certas esse de suâ salute, nec amplius peccare posse. Constat ex damnatione harum Lutheri propositionum (38-39): "Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem non omnes, nec probatum est ullis aut rationibus aut scripturis ipsas esse extra statum merendi aut augendæ caritatis; animæ in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem et horrent pœnas" (*Denzing.* 662-663). Rejiciendæ sunt igitur privatæ revelationes, in quibus contrarium asseritur.

---

[1] Vide ea quæ scripsit *S. Catharina Genuensis* in opusculo de Purgatorio, et eximium opus Card. *Gibbons*, The faith of our Fathers XVI; necnon *Newman*, The Dream of Gerontius.

[2] *S. Thom.*, l. c., et insuper Sent. II, dist. 33, q. II, a. 1; *Bellarm.*, l. II; *Fratres Walenburch.*, Tr. de Controv. fidei, tome II, l. XIII. de Purgat. § 5; *Jungmann*, n. 95 sq.; *Mazzella*, n. 1336 sq.; *Hurter*, n. 825; *Monsabré*, Car. 1889. 97e Conf.

46. 2° *Certum* est pariter animas purgatorii *pœnam damni* sustinere, quatenus pro tempore a visione beatificâ exsulantur. Quæ pœna certe gravis est; nam (a) immensitatem boni, quo privantur, clare apprehendunt, et ardentissimo Deum vivendi desiderio flagrant; (b) vivide intelligunt id fieri ob suam culpam, quum facillimo negotio pro suis culpis tempore vitæ satisfacere potuissent; (c) dolent quod ingentes cœlestis gloriæ gradus, quos pœnitentiam agendo consequi potuissent suâ culpâ et tepore neglexerint [1].

47. 3° *Communiter* docetur in purgatorio esse pariter *pœnam sensus.* Apud *Græcos* generatim non admittitur animas igne reali, sed solum laboribus, doloribus et quâdam obscuritate cruciari. Apud *Latinos*, communior est sententia eas igne materiali torqueri; sed multi Scholastici, post S. Thomam, admittunt substantias incorporeas ab igne corporeo non posse alterari, sed solum *alligari.* Caveant igitur prædicatores ab exaggeratis descriptionibus flammarum purgatorii, ne videantur illud in infernum commutare!

4° De *gravitate* pœnarum purgatorii nil certi cognoscitur; *S. Thomas* (in IV dist. 21, q. 1, a. 1) putat pœnam *minimam* excedere maximam hujus vitæ pœnam; *S. Bonaventura* censet *maximam* quidem purgatorii pœnam acerbiorem esse hujus vitæ pœnis, non sic autem dicendum esse de minimâ purgatorii pœnâ (in IV dist. 20, a. 1, q. 2). Omnes tamen fatentur illas pœnas patienter ferri, tum propter resignationem in justum Dei judicium, tum propter spem æternam beatitudinem consequendi; quæ quidem spes, juxta multos, ingentem ipsis lætitiam affert [2].

48. 5° De *duratione* pariter illarum pœnarum nil certi cognoscitur, nisi eam mensuræ peccatorum et pœnæ temporalis adhuc solvendæ proportionari. Patres vero et Theologi ore unanimi docent purgatorium non durare ultra diem judicii, quum omnibus justis Christus sit dicturus: "Venite,

[1] Cfr. *Lessius*, de perfect, div., lib. XIII, c. 17, n. 94-95; *Faber*, All for Jesus, *gallice* Tout pour Jésus, c. IX.

[2] Cf. *Bellarm.* de Purgatorio, lib. II, c. 4, n. 23: "At certe, quæ dormire dicuntur in somno pacis, non sunt anxiæ, nec desperant, sed potius habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis".

benedicti", etc. Qui igitur in fine mundi vivent a suis levibus maculis cito purgabuntur mediis Deo notis. (Cf. *S. Th.* in 4 dist. 47, q. 2, a. 3, q. cl. 2 ad 5).

49. *Corollaria.* (A) Animas in purgatorio detentas juvare est opus *Deo gratum*, quum ipse sincere eas in cœlum suscipere exoptet, illis *animabus valde jucundum*, quum ardenti desiderio Deum videndi et possidendi flagrent, et *nobis perutile*, quum animæ a nobis liberatæ pro nobis ferventer sint deprecaturæ statim ac cœlum ingredientur, imo, juxta quosdam theologos, dum adhuc in purgatorio detinentur[1]. Juvari autem possunt: (a) fidelium *orationibus*, et hoc duplici modo, quatenus sunt opus pœnale et laboriosum, proindeque satisfactorium; et quatenus valorem impetratorium habent, orationi proprium; (b) *oblatione sacrificii Missæ*, vi cujus ipsis applicantur satisfactiones Christi, ut dictum est de *Euchar.* (n. 167); (c) valore *satisfactorio* operum nostrorum, quatenus pœnalia sunt; siquidem valor meritorius est quidem ita nobis proprius ut alienari non possit saltem quoad præcipuum effectum; sed valor satisfactorius, utpote solutio debiti, aliis applicari et prodesse potest[2]; (d) *indulgentiis*, quibus eis applicantur satisfactiones Christi et Sanctorum, ut in *Tr. de Pœnitent.*, n. 122 declaratur.

50. (B) Hinc intelligi datur in quo sita sit *Sanctorum communio;* est siquidem connexio et participatio bonorum inter membra Ecclesiæ. De hâc jam *S. Paulus* dixerat: "Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra[3]"; hinc etiam in *Symbolo* "sanctorum

[1] "Illæ animæ sunt caræ Deo et quamvis ab illo pro tunc affligantur, non tamen ut ab inimico, sed ut a justo judice et parente optimo, qui eas beatas efficere cupit... Ergo non repugnat illi statui, ut a Deo aliquid petant pro fratribus et amicis benefactoribus suis". (*Suarez*, De orat. lib. I, c. 11, n. 15.)

[2] Hinc pius et laudabilis est actus quem *heroicum* vocant, quo nonnulli, approbante Ecclesiâ, omnia bona opera sua pro animabus purgatorii offerunt; quod quidem de *valore satisfactorio* intelligi debet. Nec timendum est eos per longum tempus in purgatorio remansuros; qui enim caritatem erga defunctos exercent in misericordiam Dei jure meritoque confidere possunt.

[3] *Rom.* XII, 5.

communionem" profitemur. Jam vero triplex est Ecclesia, *militans* in terrâ, *patiens* in purgatorio, *triumphans* in cœlo: quæ sunt potius tres partes unius ejusdemque Ecclesiæ; Christus enim est caput omnium, sive in cœlis, sive in terris sint [1].

(a) Omnes fideles Ecclesiæ *militantis* inter se uniuntur eâdem fide, iisdem sacramentis, eodem sacrificio, iisdem spiritualibus bonis, et sese mutuo adjuvare possunt tum *orationibus*, tum *meritis*, et *satisfactionibus*. Nam, ut recte animadvertit *S. Thomas* (Sup. q. 71, a. 1), etiam quoad salutem per viam *orationis*, opus unius alteri, dum est in viâ, valere potest, sicut quod unus homo impetret alteri primam gratiam; quoad multa salutis media, non solum per viam orationis, sed etiam per viam *meriti de congruo*. Quod quidem dupliciter contingit: vel propter *communicationem in radice operis*, quæ est caritas in operibus meritoriis, et ideo omnes qui sibi invicem caritate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant; alio modo ex *intentione facientis*, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit ut talibus prosint. Notum est enim Deum toti communitati, propter unius merita, sæpe benedicere [2]. Tandem justus viator potest in alterum justum viatorem suas satisfactiones transferre, ut communiter tradunt theologi; nam satisfactio est veluti debiti solutio, quæ fieri potest ab alio quam ab ipso debitore.

(b) Cum *Beatis* autem in cœlo, seu cum Ecclesiâ *triumphante* communicamus, quatenus eos veneramur et invocamus, iique vicissim orationes pro nobis offerunt, et a Deo, per Christum, nobis spiritualia beneficia obtinent, ut probatum est ubi de *Verbo Incarn.* (300-306).

(c) Cum Ecclesiâ *patiente* communicamus, quatenus ejus pœnas suffragiis alleviamus, ut modo declaravimus. Hinc recte ait *S. Thomas* (Sup. q. 71, a. 2): "Caritas, quæ est vinculum Ecclesiæ membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in caritate decedunt. Caritas enim, quæ est vita animæ, sicut anima est vita corporis, non finitur [3]: caritas nunquam excidit".

---

[1] *Ephes.* I, 21-23. — [2] *Gen.* VIII, 20 sq.; XVIII, 23 sq.
[3] *I Cor.* XIII, 8.

Art. III. De cœlo.

51. Cœlum est *status* et *locus* supremæ beatitudinis, in quo Angeli et homines Dei possessione fruuntur. Dicitur non solum status, sed etiam *locus*, quia, quidquid dixerint aliqui auctores, specialis est locus ubi sacra humanitas Christi, B. Virgo, Angeli et Sancti simul commorabuntur, æternâque felicitate fruentur. Beatitudo a *Boetio* [1] (de Cons. phil. l. 3.) definita fuit : status omnium bonorum aggregatione perfectus ; et a *S. Thomâ* [2] : bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum. Alibi demonstratur hominis beatitudinem non in rebus creatis sitam esse, sed in solo bono increato, seu in possessione Dei. Ipse enim, et quidem solus, est simul *primum principium*, a quo esse omniaque alia bona accepimus, atque *ultimus finis*, ad quem intellectuales facultates recte ordinatæ indesinenter tendunt; bona autem creata, utpote finita ac transitoria, immortalis animæ desideria satiare nequeunt. Hinc *Augustinus*, postquam beatitudinem in rebus creatis incassum quæsierat, Deum alloquens hæc merito ait [3] : " Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ". Quum autem Deus dupliciter considerari possit, ut auctor *naturæ* et *gratiæ*, duplex etiam beatitudo distingui potest : *naturalis* et *supernaturalis* : prior ea est quæ appetitus homini naturaliter insitos perfecte explet, et essentialiter consistit in cognitione et amore Dei per vires naturæ ; posterior ea est quæ naturæ vires et exigentias superat, et consistit in participatione beatitudinis Deo connaturalis. De posteriori hic agimus, quæ vocatur alio nomine *gloria* : dicemus I. de *gloriâ animæ* ; II. de *gloriâ corporis*.

§ I. De gloria animæ.

52. Gloria, seu beatitudo supernaturalis animæ consistit essentialiter in unione vitali cum Deo ; quæ quidem unic duplici perficitur actu, sc. *visione beatificâ* quâ intellectus noster Deum immediate videt, *amore beatifico*, quo voluntas

[1] De Consol. philos. l. 3, prosa II. — [2] *S. Thom.*, l. 2, q. 11, a. 8.
[3] Confess., l. 1, c. 1.

nostra eum diligit : sic enim Beati Deum possident eoque fruuntur.

I. De visione beatifica[1].

53. Doctrina catholica his *Florentini* verbis continetur : " Definimus... illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam... sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius " (*Denz.* 588). Illa definitio tria præsertim declarat, *naturam*, *existentiam*, et *objectum* visionis beatificæ.

54. 1° **De naturâ.** (A) Visio beatifica definitur : *clara et intuitiva, nec tamen comprehensiva cognitio Dei, prout in se est.* Dicitur (a) *clara*, seu distincta, ut sic distinguatur a cognitione Dei, per rationem, aut per fidem acquisita, quæ semper aliquam obscuritatem præ se fert. (b) *Intuitiva*, seu immediata, eo sensu quod Deus videtur, in seipso directe, non autem mediantibus creaturis, et sic visio beatifica distinguitur a cognitione abstractivâ, seu deductivâ : hæc enim Deum pertingit per *effectus*, dum visio beatifica Deum attingit directe et in se ut realiter intellectui præsentem. (c) Nec tamen *comprehensiva*, quia solus intellectus infinitus potest perfecte Deum, utpote infinitum, comprehendere. Quo melius autem intelligatur differentia inter cognitionem Dei per rationem, fidem, et visionem beatificam, sequenti utemur comparatione ; pictor aliquis triplici modo cognosci potest : *ex operibus ejus*, quando videntur scilicet tabellæ ab ipso pictæ ; illa cognitio est *deductiva*, et respondet cognitioni quam habemus de Deo per rationem ; *ex testimonio*, quando scilicet audiuntur testes oculati, qui ipsum pictorem immediate cognoverunt et de illius qualitatibus testimonium præbent : illa cognitio respondet cognitioni,

[1] *S. Thom.* 1. q. 12 ; 1ª 2ᵃᵉ, q. 3, a. 8; *Suarez*, de ultimo fine, disp. VI sq.; *Salmant.*, tr. II de Visione Dei, disp. I sq.; tr. IX de Beatitudine, disp. I sq.; *Petavius*, de Deo, l. VII; *Billuart*, de Deo, diss. IV; de Ult. Fine, diss. II; *Lessius*, de Summo Bono, l. II ; *Perrone*, op. cit. n. 580 sq. ; *Jungmann*, n. 124 sq.; *Mazzella*, n. 1183 sq.; *Méric*, op. cit. tom. II, c. 2 ; *Boudreaux*, The Happiness of Heaven c. 1-4 ; *Terrien*, op. cit. t. II, p. 144 sq.

quam de Deo habemus per *fidem;* tandem *ex visione directâ* quando videlicet pictor ipse videtur immediate, auditur, etc... ita ut illius qualitates directe percipi possint; tali cognitioni respondet visio beatifica, cum illâ tamen differentiâ quod in cœlo videbimus, oculo intellectûs, non autem oculo corporeo, non solum Dei qualitates, sed propriam ejus essentiam, Deum ipsum unum et trinum.

55. (B) Visio beatifica in intellectu nostro specialem habitum exigit, qui vocatur *lumen gloriæ* et definitur: *habitus supernaturalis, intellectum beati perficiens, eumque proxime habilem reddens ad Deum intuitive videndum.* Etenim, ut ait *S. Thomas:* [1] "nihil potest ad altiorem operationem elevari, nisi per hoc quod ejus virtus fortificetur. Contingit autem dupliciter alicujus virtutem fortificari: uno modo per simplicem intensionem ipsius virtutis... alio modo per novæ formæ appositionem... et hoc quidem virtutis augmentum requiritur ad alterius speciei operationem consequendam. Virtus autem intellectus creati naturalis non sufficit ad divinam substantiam videndam... oportet ergo quod augeatur ei virtus ad hoc quod ad talem visionem perveniat. Non sufficit autem augmentum per intensionem naturalis virtutis, quia talis visio non est ejusdem rationis cum visione naturali intellectûs creati... oportet autem quod fiat augmentum... per alicujus novæ dispositionis adeptionem". Hinc *Viennense* tanquam hæreticam reprobavit propositionem Beguardorum "quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum" (*Denzing.*, n. 403).

Lumen gloriæ tria præstat: (a) mentem *elevat* ad modum cognoscendi prorsus divinum, ita ut cognoscere possimus Deum directe et immediate sicut seipsum cognoscit; (b) mentis capacitatem *expandit*, ut sit capax immensi et illimitati boni, sicut si uter capax unius amphoræ ita interius dilataretur ut Oceanum complecti posset; (c) tandem intellectum *determinat* et *juvat* ad eliciendum actum visionis beatificæ, sicut lux oculos juvat ad videndas res sensibiles [2].

[1] C. Gent. l. III, c. 53.
[2] Cfr. *Lessius*, De Summo Bono, l. II. c. 8, n. 52.

Hic autem inquirunt theologi quomodo lumen gloriæ et intellectus concurrant ad visionem beatificam. (a) Juxta *Thomistas*, lumen gloriæ et intellectus active concurrunt ut *duæ causæ totales*, sub diverso tamen respectu : lumen gloriæ ut totalis ratio formalis proxima quâ intellectus elevatur et proportionatur actui visionis; intellectus autem ut principium eliciens visionem. (b) Juxta *theologos Societatis*, ex intellectu et lumine gloriæ *unicum fit principium proximum* visionis, ita ut intellectus solus vel lumen solum non sit nisi principium inadæquatum et partiale visionis beatificæ.

Alia pariter exsurgit quæstio, videlicet utrum divina essentia per aliquam similitudinem vel speciem videatur. Duplex species intelligibilis distinguitur, *impressa* et *expressa :* prior ea est imago quæ ab ipso objecto in intellectu imprimitur, atque eum determinat ad eliciendum intellectionis actum; posterior est terminus intellectionis, seu similitudo rei intellectæ producta ab ipso intellectu, per quam sibi exprimit rem quam intelligit. Quibus positis, (a) communiter tenetur, cum S. Thoma, visionem intuitivam Dei non fieri per *speciem impressam creatam*. Nam quando objectum est per se intelligibile, et proportionatum intellectui, ac tandem unitum cum ipso, non indiget specie impressâ a se distinctâ, sed per seipsum intellectui unitur eumque ad intelligendum determinat; atqui essentia divina est supreme intelligibilis, et, ope luminis gloriæ, intellectui Beatorum proportionatur eique intime unitur; ergo. (b) Imo *Thomistæ* docent non dari in visione beatificâ *speciem expressam creatam*, ab ipsâ visione distinctam. Ad hoc enim datur species expressa ut in illâ intelligatur objectum quod non est semper præsens intellectui in ratione cogniti; atqui divina essentia indesinenter intellectui beato unitur, et quidem in ratione cogniti. Contradicit tamen *Suarez*, quia quælibet actio intellectiva terminum habere debet: hic autem terminus est *species expressa*. Respondent Thomistæ actionem immanentem non necessario producere terminum, sed solummodo supponere aliquod objectum ad quod tendat et in quo sistat. Concludunt igitur essentiam divinam in visione beatâ gerere vices speciei impressæ et expressæ, impressæ quidem simpliciter, expressæ autem secundum quid et incomplete; videlicet species expressa duo involvit, scilicet quod sit intellecta actu et ab alio expressa ; jamvero essentia divina unitur intellectui beato ut intellecta actu, sed non ut ab ipso expressa, proindeque vices gerit speciei expressæ non complete, sed secundum quid[1].

56. 2° **De existentiâ.** Hâc de re *erraverunt* (a) *Anomœi* (sæc. IV), et *Beguardi et Beguinæ* (sæc. XIV), qui docuerunt Deum ab intellectu creato naturaliter videri posse, priores in præsenti vitâ, posteriores in alterâ vitâ. Quos jam

1 Cfr. *S. Thom.* I, q. 12; *Billuart*, De Deo diss. IV, a. 7.

confutavimus ubi *de Deo Creante* (164 sq.) probando gratiam et gloriam aliquid supernaturale esse; (b) *Palamitæ* apud Græcos (s. XIV), qui e contra tenuerunt Deum a Beatis non intuitive videri, sed solum *abstractive;* (c) *Jovinianus* (s. IV) qui putavit omnia peccata et merita, ac proinde retributionem in cœlo paria esse; quod idem tenuit *Lutherus*, ex suâ theoriâ de justificatione, quæ, juxta ipsum, consistit in imputatione meritorum Christi, et in omnibus est æqualis

57. *Thesis :* **Justi in cœlo Deum intuitive vident, non tamen omnes æquali gradu.** Utraque pars propositionis *de fide* est utpote definita a C. *Florentino* supra citato.

58. *Prob. 1ª Pars.* (a) *S. Paulus* rem aperte declarat [1] " Videmus nunc per speculum (i. e. modo abstractivo et mediantibus creaturis), in *ænigmate* (i. e. non clare, non distincte), tunc autem *facie ad faciem.* Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum " i. e. sicut Deus meipsum cognoscit: jamvero Deus nos videt directe, immediate; ergo et nos eum directe seu intuitive videbimus. (b) Idem a *S. Joanne* docetur [2]: " Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ". Sensus est enim in cœlo nostrum cognoscendi modum similem fore modo quo Deus seipsum cognoscit et ita nos Deum visuros, sicuti est, et sicut seipsum videt, i. e. directe, immediate.

59. *Prob. 2ª Pars.* Inæqualitas autem visionis beatificæ et gloriæ constat pariter ex definitione jam allata. Insuper (a) *S. Paulus* de statu justorum post resurrectionem disserens, ait [3]: " Alia claritas solis, alia claritas stellarum, stella enim a stellâ claritate differt: sic et resurrectio mortuorum ". Quæ quidem verba directe intelligenda sunt de gloriâ corporis, indirecte autem de gloriâ animæ, quia prior a posteriore pendet. (b) Jam Christus dixerat [4]: " In domo Patris mei mansiones multæ sunt "; jamvero "quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum ?" ait *Tertullianus* [1]. (c) Tandem Scriptura multoties declarat Deum unicuique redditurum esse secundum opera ejus: " Reddet unicuique secundum opera ejus; Unusquisque

[1] *I Cor.* XIII, 12. — [2] *I Joa.* III, 2. — [3] *I Cor.* XV, 41.
[4] *Joa.* XIV, 2. — [5] Scorp., 6.

autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet"[1]; atqui merita justorum sunt certe diversa tum ratione durationis, tum ratione intensitatis, tum ratione multiplicitatis; ergo pariter diversa erunt præmia. Neque obstat parabola operariorum in vineâ[2]; nomine enim *denarii* designari potest objectiva beatitudo, quæ eadem est pro omnibus; aliunde scopus parabolæ non est ostendere omnes æqualiter remunerari, sed præmium non semper antiquitate vocationis, nec diuturnitate laboris, sed aliis principiis mensurari.

60. Ratio autem cur alii aliis perfectius Deum videant ex diversitate luminis gloriæ oritur, quod aliunde gradui caritatis tempore mortis habitæ respondet: "Intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate, quia ubi est major caritas, ibi est majus desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati" (*S. Th.*, p. I, q. 12, a. 6). Nulla tamen invidia inter electos exorietur, nam uniuscujusque capacitas expleta erit; aliunde inordinatis passionibus non movebuntur, sed perfectissimâ caritate suos concives diligent, et de eorum felicitate lætabuntur, nec aliud optabunt nisi quod divina voluntas eis largita fuerit[3].

61. *Corollarium: Visio beatifica, sub N. Nege, non est usque ad diem judicii differenda, sed statim eâ justi fruuntur, quibus post mortem nihil luendum superest. De fide est contra Vigilantium* et quosdam *græcos schismaticos*, qui docuerunt differendam esse visionem Dei usque ad diem judicii; pariter *Lutherum*, *Calvinum*, et Anglicanum *Burnetum* († 1715), aliosque permultos Protestantes qui statum intermedium admittunt, in quo manent electi usque ad extremum judicium. *Probatur* (a) ex *Florentino* jam citato, nam vocabulum *mox* in definitione adhibitum "in cœlum mox recipi", tum ex contextu, tum ex unanimi theologorum interpretatione idem ac *statim* significat; (b) ex verbis Chri-

[1] *Matt.* XVI, 27; *I Cor.* III, 8; *II Cor.* IX, 6. — [2] *Matt.* XX, 1 sq.
[3] Quod poetice exposuit *Dante*, poeta theologus, La Divina Commedia, Parad. Cant. 3, 70 sq.; cfr. *Monsabré*, Car. 1889, p. 169.

sti ad bonum latronem : "hodie mecum eris in paradiso"; nam paradisus de quo agitur nihil aliud est nisi regnum Dei, seu visio beatifica, juxta Patrum interpretationem[1]; (c) ex verbis *S. Pauli*[2] : "Coarctor autem a duobus : desiderium habens dissolvi et esse cum Christo multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos"; desiderabat igitur Apostolus citius mori ut esset cum Christo, i. e. in cœlo et beatificâ visione frueretur; porro si hæc nonnisi in fine mundi obtineri potuisset, tale desiderium prorsus inutile fuisset, quum statim post mortem compleri minime potuisset.

62. *Objicitur* quidem *Joannem XXII* docuisse beatos nonnisi post resurrectionem intuitivâ visione donandos esse. Sed imprimis certum est eum hanc doctrinam ex cathedrâ non docuisse; quum res suo tempore inter Franciscanos et Dominicanos agitaretur, ut privatus doctor in sermonibus utriusque opinionis argumenta protulit, et quibusdam visus est in sententiam de dilatione visionis tanquam probabiliorem propendere; sed morte præventus, nil definivit, imo morti proximus ea retractavit quæ ut privatus doctor hâc de re dixerat[3].

63. 3° **De objecto.** Duplex est visionis beatificæ objectum : primarium est Deus ipse qui in seipso videtur; secundarium autem sunt creaturæ quæ a Beatis in Deo cog-

---

[1] "Paradisus est triplex. Unus paradisus terrestris in quo Adam positus est. Alius corporalis cœlestis, sc. cœlum empyreum. Alius spiritualis, sc. gloria de visione Dei; et de isto paradiso intelligitur quod Dominus latroni dixit, quia statim, peractâ passione, et ipse latro, et omnes, qui in Limbo Patrum erant, Deum per essentiam viderunt" (S. Th. in 2 dist. 22, q. 2. a. 1. q. cl. 3).

[2] *Phil.* I, 23.

[3] "Fatemur et credimus, quod animæ purgatæ separatæ a corporibus sunt in cœlo, cœlorum regno et paradiso et cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, et vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare... Si vero alia ac aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata seu scripta fuerunt quoquo modo, illa diximus, prædicavimus seu scripsimus recitando dicta S. Scripturæ et Sanctorum, et conferendo et non determinando nec etiam tenendo : et sic et non aliter illa volumus esse dicta". (Ap. *Raynaldum*, Annales eccles., ad annum 1331-34).

noscuntur ; prius essentialem, posterius vero accidentalem sanctorum beatitudinem constituit.

64. (A) *Beati clare et intuitive vident Deum, ejus scilicet essentiam, attributa et tres divinas personas.* De fide est ex *Florentino* supra citato. Christus enim vitam æternam sic definivit [1] : " Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum ". Constat aliunde ex dictis in præcedenti thesi. Insuper Beati in patriâ vident quidquid crediderunt in viâ ; atqui primarium objectum fidei nostræ in terrâ est Deus unus et trinus, sive in se, sive in suis attributis ; ergo.

65. (B) *Beati vident, præter Deum, multa alia et illa præsertim quæ ad proprium statum spectant, præterita, præsentia et futura.* Ita communiter.

Ratio fundamentalis est quia beatitudo cœlestis est status omnium bonorum aggregatione perfectus ; atqui non possumus esse perfecte beati nisi ea omnia cognoscamus quæ ad statum nostrum spectant ; Beatis enim in cœlo inest legitimum desiderium cognoscendi quidquid illorum interest ; aliunde Beati, Deum videndo, quædam saltem ex eis quæ in Deo sunt videant, necesse est. Ut autem determinetur quid in particulari visuri simus, sciendum est unumquemque Beatum sub triplici respectu considerari posse : (a) *ut est elevatus ad ordinem gratiæ*, et ex hoc capite, cognoscet modo perfectiori mysteria quæ credidit super terram, aliosque beatos et concives, præsertim vero illos quos cognovit et supernaturali affectu amavit ; (b) ut est *pars universi*, et ex hoc capite cognoscet omnia genera et species rerum, præcipuas universi partes, stellas etc.; et ille qui supernaturaliter operam suam dederit studio alicujus scientiæ, objectum illius scientiæ probabilius melius cognoscet ; (c) ut est *talis persona, publica* vel *privata*, et ex hoc capite videbit ea omnia quæ ad ejus pristinum statum pertinebant ; sic S. Pontifex videbit specialiter ea omnia quæ ad Ecclesiæ gubernium spectant, paterfamilias ea quæ ejus familiam respiciunt,... etc. Pari ratione Beati suos parentes et amicos adhuc degentes in terris vident, et preces

[1] *Joa.* XVII, 3.

quæ ad ipsos diriguntur audiunt. Hinc præclare *S. Cyprianus* ait[1] : "Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus.... magnus illic nos carorum numerus exspectat parentum, fratrum.... jam de suâ immortalitate secura, et adhuc de nostrâ sollicita".

II. De amore beatifico[2].

66. *Intuitivam visionem sequitur amor beatificus, quo Sancti plene et perfecte Deum diligunt. Certum est.* 1° Scriptura enim testatur caritatem, seu amorem Dei nunquam deficere in cœlo : "Caritas *nunquam excidit*, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destructur"[3].

2° Conc. *Viennense* declaravit beatitudinem consistere "*in visione et fruitione Dei*"; jamvero sub nomine fruitionis designatur amor, quum fruitio sit amoris effectus.

3° *Rat. Theol.* Voluntas enim nostra infallibiliter fertur in summum bonum, simul ac est evidenter cognitum; atqui per visionem intuitivam evidenter intelligemus Deum esse summum bonum ; ergo voluntas nostra infallibiliter ad Deum per amorem tendet, et quidem ferventissimum. Nam quo majus est bonum quod proponitur et quo clarius perspicitur, eo potentius ad se trahit affectum. Atqui Deus est bonum infinite excellens, omnia continens quæ desiderare possumus, et in cœlo clare, aperte, immediate videbitur. Huic addi potest quod sicut intellectus lumine gloriæ perficietur ad videndum Deum, ita et voluntas Beatorum habitu caritatis augebitur, et quidem perfectissimo, ad Bonum Supremum perfectissime diligendum.

Effectus autem beatifici amoris duplex recenseri potest, *ecstasis*, et *unio* cum Deo. Prior in eo consistit quod amans ita in dilectum transfertur, ut sui et rerum suarum obliviscatur : proinde Beati ita cogitatione et affectu in Deum tra-

[1] *De Mortalit.* in fine.—Cf. *Billuart*, De Deo, Diss. IV, a. 10, § II: *Méric*, Les Elus se reconnaîtront au ciel; *Blot*, Au ciel on se reconnait, *anglice versum* In Heaven we know our own, 1890.

[2] *Suarez* de Ultimo fine disp. IX ; *Lessius*, op. cit. l. II, c. 11 sq.; *Terrien*, l. c. p. 193.

[3] *I Cor.* XIII, 8

huntur ut, cogitationibus, curis et motibus proprii amoris penitus exstinctis, sibi quasi mortui sint, et soli Deo vivant, nihil appetentes nisi ejus gloriam, juxta illud Apostoli : "Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus"[1]. Posterior, seu unio cum Deo, in eo consistit ut Beati arctissime cum eo conjungantur per sublimem perpetuamque divinæ essentiæ contemplationem, quum indesinenter videant faciem Patris ; per jugem divinorum morum imitationem, et perfectissimam cum divinâ voluntate conformitatem ; per quamdam in Deum transformationem, quatenus Beati ita in amore Dei effervescunt, ut toti liquescere videantur et in abyssum divinitatis demergi, licet tamen ab eo distincti semper maneant.

Beati in Deo et propter Deum diligent omnes concives patriæ cœlestis, et eo magis quidem quo sunt Deo propinquiores ; quia, quum vita beata in ordinatione mentis ad Deum consistat, ordo dilectionis observabitur per comparationem ad Deum. Speciali tamen modo illos amabunt qui sibi conjunguntur : non enim cessabunt ab animo beati honestæ dilectionis causæ[2].

67. *Controversia de essentiâ formalis beatitudinis.* Hæc quidem ab omnibus admittuntur ; sed ulterius inquirunt theologi in quo consistat essentialiter beatitudo hominis. Relictis opinionibus minus probabilibus, tres supersunt sententiæ. (a) *Scotistæ* contendunt formalem beatitudinem essentialiter consistere in *amore beatifico*, quo Deus ut summum bonum propter se diligitur ; nam beatitudo nihil aliud esse potest nisi perfectissima consecutio Dei, quatenus est ultimus finis ; atqui, per amorem, Deum, ut ultimum finem, assequimur multo perfectius quam per intellectum, quum visio ipsa ad amorem ordinetur, nec homo vere beatus esse possit nisi cor ejus perfecte in amore Dei quiescat ; ergo. (b) *Thomistæ* ex adverso tenent beatitudinem essentialiter consistere in solâ *visione Dei*, ita ut amor procedat quidem a visione et ad *statum* beatitudinis pertineat, non autem ad ejus essentiam. Etenim beatitudo formalis est essentialiter prima assecutio Summi Boni ; atqui hæc fit per actum intellectûs, et non voluntatis ; nam Summum Bonum est bonum intelligibile, quod acquiritur non appetendo sed intelligendo ; quod patet ex discrimine quod est inter intellectum et voluntatem : intellectus enim suum objectum ad se trahit, illudque sibi præsens facit, proindeque vere possidet ; dum voluntas fertur in objectum extra se, nec necessario ejus possessionem supponit. Quod sic

[1] *Galat.* II, 20. — [2] *S. Thom.* 2. 2. q. 26, a. 13.

optime declarat *S. Thom.*[1] : "Si aliquis actus voluntatis esset ipsa felicitas, hic actus esset aut desiderare, aut amare, aut delectari Impossibile est autem quod desiderare sit ultimus finis ; est enim desiderium secundum quod voluntas tendit in id quod nondum habet ; hoc autem contrariatur rationi ultimi finis. Amare etiam non potest esse ultimus finis ; amatur enim bonum, non solum quando habetur, sed etiam quando non habetur... Similiter autem, nec delectatio est ultimus finis ; ipsum enim habere bonum causa est delectationis, vel dum bonum nunc habitum sentimus, vel dum prius habitum memoramur, vel dum in futuro habendum speramus ... Nullus ergo actus voluntatis potest esse substantialiter ipsa felicitas". Ergo beatitudo essentialiter consistit in actu intellectûs, seu in visione beatificâ. (c) *Suarez* tamen, post *S. Bonaventuram*, contendit beatitudinem essentialiter consistere tum in visione tum in amore beatifico ; etenim formalis beatitudo est ultima creaturæ rationalis perfectio ; atqui ultima creaturæ rationalis perfectio essentialiter consistit in actu intellectus et in actu voluntatis ; nam utraque facultas essentialiter constituit hominem, proindeque perfecte satiari debet, ut homo sit beatus ; ergo.

His tamen non obstantibus, putamus sententiam S. Thomæ probabiliorem esse. Argumentum enim a Suarezio propositum, ostendit quidem amorem beatificum necessarium esse ad *statum* beatitudinis, non autem ad ejus *essentiam*, eumdemque fluere ex visione beatificâ, sed non constituere formalem beatitudinem.

III. Corollaria.

68. 1° *Clara Dei visio et amor beatificus causant in Sanctis ineffabile gaudium, summamque delectationem.*

(A) Illud in *Script.* variis metaphoris manifeste declaratur : "Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis potabis eos"[2] ; "Satiabor, cum apparuerit gloria tua"[3] ; "Gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis"[4]. Proinde nulla tristitia, nullus dolor erit in Beatis : "Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor"[5].

(B) Et revera perfecta beatitudo animæ consistit in cognitione summæ Veritatis et amore supremi Boni, quibus compleatur omne legitimum desiderium. Atqui per visionem beatificam, perfectam cognitionem ipsius Veritatis con-

[1] C. Gent. l. III, c. 26.
[2] *Ps.* XXXV, 9. — [3] *Ps.* XVI, 15.
[4] *Joa.* XVI, 22. — [5] *Apoc.* XXI, 4

sequemur, et per amorem beatificum summum Bonum perfecte diligemus. Aliunde omnia desideria electorum complebuntur; siquidem hic virtutem appetimus, sed ægre colimus, propter concupiscentiam aliasque difficultates, ibi virtuosi absque certamine constanter erimus; hic honores naturaliter appetimus, ibi summam honoris altitudinem assequemur regnantes cum Christo; hic inanis gloriæ cupidi sumus, ibi veram gloriam apud Deum et homines obtinebimus; loco divitiarum, quæ pereunt, præsto nobis erit omnium bonorum sufficientia, quæ in ipso Deo invenitur; loco voluptatum, perfectissimâ delectatione fruemur, ab omni permixtione sollicitudinis liberâ, et quidem absque timore eam unquam amittendi [1]. Gaudebimus tum de bonis Dei et de gloriâ, quæ ipsi obtingit, tum de bonis propriis, tum etiam de bonis concivium nostrorum [2].

69. 2° *De gloriæ inamissibilitate.* (**A**) *Gloria, quâ Beati fruuntur est æterna et inamissibilis. De fide est*, ut constat ex variis Symbolis, in quibus dicitur : "Credo... vitam æternam"; item ex *Script.* : "Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in *vitam æternam*" [3]; insuper gloria vocatur : "immarcescibilis gloriæ corona" [4]; "corona incorruptibilis" [5]; "æternum gloriæ pondus" [6].

(**B**) *Hinc Beati in cœlo erunt impeccabiles;* si enim peccare valerent, gloriam pariter amittere possent. Illa autem impeccabilitas, juxta communem sententiam, ab intrinseco oritur, scilicet : (**a**) *a visione beatificâ;* homo enim non potest non velle suam beatitudinem in communi; atqui Beati clare et perpetuo vident Deum ipsum esse ipsorum beatitudinem; non possunt enim decipi per bonum apparens, quum omnia videant prout sunt, nec inconsiderate agere, quum a contemplatione Dei distrahi nequeant; ergo non possunt quin

---

[1] *S. Th.* C. Gent. l. III, c. 63.

[2] "Et quoniam quantum quisque diligit alterum, tantum de bono ejus gaudet; sicut in illâ perfectâ felicitate unusquisque sine comparatione plus amabit Deum quam se, et omnes alios secum : ita plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei quam de suâ et omnium aliorum secum". (*S. Anselmus*, Proslog. c. 25; cfr. *Lessius*, op. cit. l. II. c. 15).

[3] *Matt.* XXV, 46. — [4] *I Petr.* V, 4. — [5] *I Cor.* IX, 25.

[6] *II Cor.* IV, 17.

Deum ament, eique adhæreant ; (b) *ab amore beatifico;* bonum quod clare et perpetuo ut optimum apprehenditur eo ipso maxime diligitur; atqui Beati clare et perpetuo Deum apprehendunt ut summum et optimum bonum; ergo Deum maxime diligunt ; porro qui maxime diligit Deum ita determinatur ut nequeat appetere aliquid nisi in ordine ad Deum et propter ipsum ; ergo non potest appetere peccatum quod cognoscitur divinæ voluntati repugnans ; ergo est impeccabilis.

§ II. DE GLORIA CORPORIS

Dicemus de *resurrectione corporum*, de *judicio universali*, quod resurrectionem consequitur, de *statu corporum gloriosorum;* paucaque de *Millenariorum errore* addemus.

I. De resurrectione corporum[1].

70. 1° *Errores.* Resurrectio est corporis per mortem amissi restitutio, et animæ cum eodem iterata unio. Dogma resurrectionis plerisque Gentilibus ignotum fuit, licet non pauci admiserint metempsychosim, seu transmigrationem animarum. Inter Judæos, a *Sadducæis* negatum fuit[2]. Inter Christianos, pauci illud pariter rejecerunt[3], præsertim *Hymenæus* et *Philetus*, quos S. Paulus refellit[4] ; postea *Gnostici* multi, *Manichæi et Priscillianistæ*, *Waldenses* et *Albigenses* necnon *Sociniani.* Hodie *Unitarii* et Protestantes *liberales* dicti vel illud rejiciunt, vel negant homines cum eodem corpore resurrecturos esse[5] ; *Rationalistæ* autem illud ut rationi ac scientiæ contrarium omnino respuunt.

71. 2° *Thesis :* **Omnes homines in fine sæculi cum suis propriis resurgent corporibus quæ nunc gestant.** *De fide est*, ex Conc. *Lat. IV. :* " Qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala ". Duo

---

1 *S. Thom.* Sup. q. 75 sq.; C. Gent. l. IV, c. 79 sq.; *Suarez*, de Mysteriis Christi, disp. 50 ; *Perrone*, n. 840 sq. ; *Jungmann*, n. 193 sq.; *Méric*, L'autre vie, vol. II, c. 3; *H. Martin*, La Vie Future, c. IX, § 3.

2 *Matt.* XXII, 23. — 3 *I Cor.* XV, 12. — 4 *II Tim.* II, 16-18.

5 *H. Lyon*, op. c. 43; *J. F. Clarke*, Orthodoxy, c. 12; *Alger*, op. cit. p. 488 sq.; *Lichtenberger*, t. IV, verbo *Eschatologie.*

igitur sunt de fide, resurrectionem fore *universalem* pro bonis et malis, et homines resurrecturos cum *iisdem* corporibus quæ nunc gestant. Jamvero ad identitatem corporis resurgentis requiritur saltem, juxta omnes, ut eadem numerice anima suscitatum corpus informet; juxta nonnullos, hoc sufficit, quum anima corpori det suam speciem, figuram et indolem; attamen communiter tenetur necesse esse ut corpus resurgentis constet partim saltem ex eâdem numero materiâ, ex quâ prius constitit, sensu infra explanando.

72. *Script.* (A) In *Vet. Test.* hæc doctrina, primum obscure manifestata, clarius paulatim revelata fuit. Vir justus Job, ulcere pessimo percussus, et ab amicis suis vexatus, Deum suæ innocentiæ testem invocat, et subito divino lumine illustratus, exclamat: "Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terrâ surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle meâ, et in carne meâ videbo Deum meum"[1]. Quum vero textus hebraicus aliquo modo a Vulgatâ differat, hic subjungimus litteralem prioris translationem: "Et ego novi vindicem meum viventem, et postremus super pulverem surget. Et postea pelle meâ circumdabuntur hæc, et ex carne meâ intuebor Deum"[2]. Unde sic: hic Job suam restaurationem prænuntiat; atqui hæc restauratio non est mera sanitatis restitutio, sed carnis resurrectio et sui justificatio quæ illam sequetur; quod probant *solemnia prœmii verba*: "quis mihi tribuat" etc.; restitutio enim sanitatis tanti momenti non erat, ut tam emphatice ad posteros transmitteretur; sed insuper Job paulo ante dixerat *sibi nullam spem manere restituendæ sanitatis*, imo *moriendi desiderium* manifestaverat[3]; tandem verba ipsa, "ex carne meâ intuebor Deum", de visione beatificâ, quæ resurrectionem carnis consequetur, optime prædicari possunt, dum de sanatione corporis vix intelligi valent, ut fatetur ipse *Rosenmüller*

[1] *Job*, XIX, 23-26.
[2] Cf. *Corluy*, Spicileg. I, 285, ubi textus dilucide explicatur.
[3] *Job*, VI, 8; VII, 16; X, 1; XVII, 1.

(in h. l.) : "Jobus spem, quam fovebat, se oculis corporis sui instaurati aspecturum esse Deum verbis clarissimis declarat". Fatemur tamen argumentum illud *ex se* ut plane decretorium non haberi a nonnullis etiam catholicis [1], imo a *S. Chrysostomo;* sed plerique Patres, tum Latini tum Græci eo utuntur ad probandum resurrectionis dogma, ita ut sensus supra propositus vere sit *traditionalis* [2]. — Confirmatur ex *Dan.*[3] : "Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere *evigilabunt*", sed præsertim ex II *Machab.*[4] : "E cœlo ista (membra) possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso *me ea recepturum spero*" etc.

(B) In *Novo Test.* luculenter res declaratur : (a) Christus explicite de resurrectione carnis locutus est, dum dixit : "Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii..." ; "Ego resuscitabo eum in novissimo die" [5].

(b) *S. Paulus* resurrectionem mortuorum non solum diserte affirmat, sed etiam multis argumentis probat [6] : ex ipsâ *resurrectione Christi* (1-19) : "Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit" ; *ex efficaciâ redemptionis* (20-28) : "Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine : primitiæ Christus, deinde ii qui sunt Christi" ; *e moribus et laboribus fidelium* (29-34) : "Si ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt" ? ex *solutione dubiorum*

---

[1] Cfr. *Loisy*, Le Livre de Job, p. 7 sq. ubi contendit hunc textum fuisse aliquomodo adulteratum, ut probatur ex variis lectionibus, ac ideam resurrectionis ex scopo totius libri excludi ; e contra recens auctor protestans *Salmond*, op. cit. p. 253-257, non obstantibus variis lectionibus, hunc locum de resurrectione intelligit.

[2] Objiciunt Rationalistæ resurrectionis dogma tunc temporis fuisse ignotum ; hoc autem falsum est, quum hoc etiam antiquis Ægyptiis notum fuerit, ut ex hieroglyphicis textibus constat, ubi legitur v. g. Spiritus iste gloriosus e carnibus suis ille ipse videt (Deum). Cf. *Ancessi*, Job et l'Egypte, 119-155.

[3] *Dan.* XII, 2.

[4] *II Mach.* VII, 9-13. — De evolutione doctrinæ resurrectionis apud Judæos, cfr. *Touzard*, Le Développement de la doctrine de l'Immortalité ap. *Rev. Biblique*, 1898, p. 207-241.

[5] *Joa.* V, 29; VI, 55; cfr. *Matt.* XXII, 23-32. — [6] *I Cor.* XV.

contra resurrectionem (35-44), ejus possibilitatem illustrando comparatione seminis quod "non vivificatur, nisi prius moriatur". Revera hoc dogma annuntiavit coram Atheniensibus [1], Felice [2] ac Thessalonicensibus [3].

73. *Trad.* (a) Patres non solum obiter de hoc dogmate scripserunt, sed illud ex professo in variis operibus contra paganos propugnaverunt, v. g. *Athenagoras*, in libro de Resurrectione mortuorum, *Theophilus Antioch*, lib. I ad Autolicum, *Tertullianus*, in eloquentissimo opere de Resurrectione carnis etc.
(b) *Martyres* hanc veritatem aperte professi sunt: "Hæc me potissimum ratio compellit ad mortem, *S. Pionius* aiebat, ut populus omnis intelligat *resurrectionem futuram esse post mortem*". Hinc corpora eorum non raro a Paganis concremata sunt, ne spes quidem ulla resurgendi eis relinqueretur [4].
(c) Varia *Symbola* resurrectionem carnis ut dogma fidei proponunt; sic in Symb. *Athanasiano* legitur: "ad cujus adventum omnes homines *resurgere* habent *cum corporibus suis*".

74. *Rat. convent.* Hoc dogma ratione non demonstratur quidem, sed multiplici ex parte convenit: (a) ex parte *Dei;* nam in resurrectione carnis elucet Dei *omniscientia*, quæ perfectissime novit ubi quiescant dispersæ corporum particulæ, etiam tenuissimæ; ejus *omnipotentia*, quæ particulas hujusmodi uno momento colligit, et iterum vivificat; *bonitas*, quæ non solum animas, sed etiam corpora justorum glorificat; (b) ex parte *Christi*, qui vere a mortuis surrexit, ut alibi probatum est; atqui nos membra Christi sumus, ipsique conformari debemus in omnibus quæ repugnantiam non involvunt; decet igitur ut a mortuis resurgamus; (c) ex parte *hominis;* corpus in ordine naturali est veluti animæ socius et instrumentum, nec mere passivum, quum sit pars compositi humani, sed vere animatum ejusque operum sive bonorum sive malorum particeps; et in ordine supernaturali per receptionem Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, necnon christianæ mortificationis praxi sanctificatum fuit; atqui non decet ut caro, tantis privilegiis no-

[1] *Act.* XVII, 31-32. — [2] *Act.* XXIV, 15. — [3] *I Thess.* IV, 12.
[4] Vide *Ruinart*, Acta Martyrum, 2 ed. pp. 70, 150, etc.

bilitata, in æternum corrupta maneat, et ab animâ separata. Quod confirmatur ex eo quod sit contra naturam et perfectionem animæ absque corpore esse : anima enim humana a corpore separata aliquo modo imperfecta est, sicut pars extra totum suum existens, quum revera sit naturaliter pars humanæ naturæ; nihil autem quod est contra naturam potest esse perpetuum (Cf. *S. Th. C. Gent.* l. IV, c. 79).

75. 3° *Solv. diffic.* (a) De mortuis dicitur[1] : "Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum" ; ergo post mortem nulla est resurrectio. — *Resp.* Nego *consequentiam*, nam verba hæc significant mortuos, qui in Limbo descendebant, Deum cultu publico et solemni laudare non posse, prout fiebat apud Judæos adhuc in terrâ degentes : patriarchæ enim, ante passionem Christi, cœlum non ingrediebantur, sed in limbo manebant, de cujus naturâ vix aliquid in Scripturâ revelatur.

76. (b) Instant adversarii, nam apud *Job*[2], legitur : "Homo, quum dormierit, non resurget". *Resp., disting. :* non resurget vitâ *terrestri*, conc.; vitâ *aliâ*, nego ; nam alibi[3], Job suam mentem fusius explicat dicens : "Qui descendit ad inferos non ascendet, nec *revertetur* ultra *in domum suam*". — *Instant* iterum : saltem non omnes resurgent, quum dicatur : "Non resurgent impii in judicio"; sed illa verba in textu hebraico significant "*non stabunt*", i. e. non audebunt frontem attollere propter confusionem ; aliunde vox "*in judicio*", ex contextu, non designat ultimum judicium, sed modo generali judicia Dei super malos[4].

77. (c) *Ecclesiastes* [5] diserte asserit homines bestiis esse similes, nec proinde resurrecturos : "Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio". — *Resp. :* æqua est hominis et bruti conditio quoad hujus vitæ ærumnas, et mortem, quæ vitari non potest, *concedo;* quoad *resurrectionem*, nego. Inspecto enim contextu, Ecclesiastes declarat aliquando prævalere impietatem quæ tamen a Deo justo judicio punietur (16-17) ; Deus autem permittit injustos aliquando prosperare, ut ex hoc homines discant se impotentes esse, et infirmitatibus mortique, sicut bruta, subjectos esse. Nihil vero dicitur de resurrectione, quia non erat ibi locus, sed mentio judicii[6], in quo boni et mali secundum sua opera accipient, clare ostendit hominum et animalium conditionem parem non esse quoad omnia[7].

---

[1] *Ps.* CXIII, 17. — [2] *Job*, XIV, 12. — [3] *Job*, VII, 10.

[4] *I Cor.* XV, 51.— [5] *Eccles.* III, 18-21.

[6] *Eccles.* III, 16-17; XI, 9; XII, 14.

[7] Quæ difficultas erudite fuseque solvitur ab *A. Motais*, Salomon et l'Ecclésiaste, t. I, p. 192-250.

78. (d) Rationalistæ contendunt impossibilem fore resurrectionem; nam (a) sunt anthropophagi qui carnibus humanis vescuntur; eadem igitur materia in pluribus hominibus successive fuit, ac proinde impossibile est ut unusquisque cum propriâ suâ carne resurgat. (b) Imo omnes homines sub aliquo respectu sunt anthropophagi; nam statim ac cadavera terræ mandata sunt, mox in principia chimica resolvuntur; his nutriuntur vegetalia, quibus animalia aluntur; cum igitur vegetalia manducamus, in nostram substantiam convertimus elementa chimica quæ constituerunt substantiam aliorum hominum, et sic in infinitum. Cuinam igitur restituetur substantia quæ tot hominibus successive propria fuerit?

Ad solvendas illas difficultates, duo prænotanda sunt: Juxta cultores scientiæ naturalis, corpus humanum totaliter renovatur non solum quolibet septennio, ut olim docebatur, sed etiam quolibet saltem anno, nisi forte excipiantur quædam stamina fibrillorum; igitur non omnes partes materiæ semper remanent in eodem corpore, sed adest perpetuus fluxus, continua mutatio, quin tamen identitas corporis destruatur: jamvero quod non impedit unitatem secundum numerum in homine, dum continuo vivit, manifestum est quod non potest impedire unitatem resurgentis. Juxta fidem catholicam, in resurrectione, non resumenda est tota materia quam habuimus toto vitæ tempore, sed solum ea quantitas quæ ad corpus humanum constituendum sufficit; imo, juxta communem doctrinam, minor quantitas materiæ requiritur pro corpore glorioso, quod est valde subtile, quam pro corpore mortali et passibili.

His positis, facile solvitur difficultas: (a) Quoad anthropophagos, nullus est qui toto vitæ decursu, solum carnibus humanis vescatur; sæpe enim fructus aut animalia manducant; in die igitur resurrectionis accipient illas materiæ partes, quas ex vegetalibus animalibusve desumpserunt, non autem carnes humanas quas comederunt. (b) Quoad herbas animaliaque, quibus nutrimur, illa non præcipuam partem substantiæ suæ acceperunt ex cadaverum elementis, sed vel ex humo vel ex aere, vel ex corporibus brutorum; unde, si forte per vitam nostram aliquot elementa materiæ habuerimus, quæ ad alios homines pertinuerunt, illa elementa sunt relative pauca, nec nobis necessaria erunt in die resurrectionis, cum sufficientem materiæ quantitatem ex aliis fontibus acceperimus; aliunde, si aliquid deest, suppleri potest per potentiam Dei, ut ait *S. Thomas* (C. Gent. IV, 81)[1].

[1] Quam difficultatem diebus nostris recoctam a *J. Reynaud*, Terre et Ciel, aliasque hujusmodi recenset ac explodit *Freppel*, Les Apologistes Chrétiens, t. II, 9e Lec., ubi animadvertit ad identitatem corporis resuscitati non requiri absolute ut etiam unam e moleculis antea habitis retineat, sed sufficere ut eamdem formam, eamdem figuram, easdem lineas, eamdem specificam differentiam habeat (p. 192-193).

II. De judicio universali [1].

79. 1° *Signa futuri judicii.* Resurrectionem subsequetur *judicium universale*, quod ita vocatur ut sic a judicio *particulari* secernatur. De tempore quo fiet nil certi cognosci potest, juxta illud Domini : " De die autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius nisi Pater " [2]; hinc *Leo X*, in C. *Lateran. V*, vetuit ne quisquam de hoc aliquid tanquam certum asserere auderet [3]. Attamen theologi ex Scripturæ variis locis quædam signa collegerunt, ex quibus adventus judicii conjecturaliter prævideri possit ; præcipua sunt : (a) *prædicatio Evangelii* per universam terram [4]; horum Christi verborum sensus est, juxta *Maldonatum* (in h. l.), consummationem mundi non ante futuram quam Evangelium per omnes orbis oras prædicatum sit, non autem statim post illam prædicationem finiendum esse mundum; (b) *conversio Judæorum*, quæ fiet præsertim per adventum et prædicationem duorum prophetarum Henoch et Eliæ [5]; (c) magna gentium *catholicarum apostasia* [6]; (d) adventus *antichristi*, sive sit una persona, ut communiter creditur, sive designet Christi inimicos in genere [7]; (e) *perturbationes multæ* in naturâ physicâ, bella, pestilentiæ, obscuratio solis, commotio cœlorum etc. [8] " Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo ". Fatendum est tamen illa signa incerta esse, tum quia quædam ex illis ad solam destructionem Jerusalem referri possunt, tum quia nimis generalia sunt ut ex illis adventus Domini certo dignosci possit.

80. 2° *Thesis :* **Post resurrectionem judicium universale a Christo instituetur, in quo omnes homines de factis propriis rationem reddent.** *De fide est*, ex variis Symbolis, ubi dicitur : " Credo in J. Christum... qui venturus est judicare vivos et mortuos ", præsertim ex Symb. *Athanas. :* " Ad cujus adventum *omnes* homines resurgere habent

---

[1] *S. Thom.* Supp. q. 88-90 ; C. Gent. IV, 96 ; *Suarez*, de Mysteriis Christi, disp. 53 sq. ; *Perrone*, n. 899 sq. ; *Jungmann*, n. 243 sq.; *Stentrup*, Soteriologia, th. 147 sq.; *Mazzella*, n. 1403 sq.

[2] *Marc.* XIII, 32. — [3] Apud *Labbe*, t. XIV, p. 290.

[4] *Matt.* XXIV, 14.

[5] *Rom.* XI, 26 ; *Malach.* IV, 5-6 ; *Eccli.* XLIV, 16.

[6] *II Thess.* II, 3 ; *Luc.* XVII, 26-30 ; *Matt.* XXV, 21-28.

[7] *II Thess.* II, 1-11 ; *I Joa.* II, 18; IV, 3; *II Joa.* 7.

[8] *Matt.* XXIV, 29; *Luc.* XXI, 25. — Notandum est in his omnibus Scripturam non scientifice, sed modo populari res describere; unde necesse non est credere stellas proprie dictas de cœlo casuras esse, sed sufficit ut illa meteora, quæ ex dissolutione cometarum oriuntur, contra terram ferantur, vel aliquid simile; et sic de ceteris.

cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem ".

81. (A) *Scriptura* non solum asserit, sed *graphice describit* judicium universale : " Cum autem venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum *omnes gentes*, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis "[1] etc... " Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum "[2].

(B) *Patres*, sive *Latini*, sive *Græci*, illud dogma diserte et explicite docent ; unus audiatur *Augustinus*[3] : " Nullus vel negat, vel dubitat per J. Christum tale, quale istis SS. litteris prænunciatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem litteris nescio quâ incredibili animositate seu cæcitate non credit ".

82. (C) *Ratio* hujus judicii *convenientiam* exhibet : illud siquidem decet quod divinam providentiam, majestatem Christi et gloriam electorum manifestat ; atqui judicium universale evidenter manifestabit : (a) *Dei providentiam ;* sæpe in præsenti vitâ divina consilia scrutari non valemus, nec intelligere cur non raro mala bonis, bona vero improbis eveniant ; sed in die judicii ratio horum omnibus patebit, et Dei sapientiæ justitiæque laus ab omnibus tribuetur ; (b) *Christi majestatem ;* siquidem in primo adventu pauper, humilis, obediens visus est ; tunc autem in majestate veniet, juste judicaturus eos qui injuste eum condemnaverunt vel rejecerunt, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum ; (c) *electorum gloriam :* sæpe enim per vitam injuriis et persecutionibus vexati sunt : tunc autem manifeste et publice gloriâ coronabuntur, dum impii qui non semel ex fictis virtutibus famam sibi acquisierant, confusione et ignominiâ cooperientur ; quod vivide describitur apud *Sap.* V, 1-13.

83. 3° *Circumstantiæ judicii.* (A) *Judex* erit Christus ipse in formâ humanâ : licet enim judicium sit a Deo, ut a causâ principali,

[1] *Matt.* XXV, 31-46.
[2] *II Cor.* V, 10 ; cfr. *Joel*, III, 2 ; *Apoc.* XX, 12.
[3] De Civit. Dei, l. XX, c. 30, n. 5.

sententia tamen a Christo homine pronuntiabitur, ut ex textibus jam citatis patet; et merito, nam convenit ut ille, cujus redemptionis beneficio ad regnum cœlorum admitti valemus, judicio præsideat (*S. Th.* Sup. q. 90, a. 1). Cum gloriâ et majestate veniet, Angelis eum comitantibus; "Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo"[1]; quod Patres de signo crucis intelligunt: hinc canit Ecclesia: "Hoc signum crucis erit in cœlo, quum Dominus ad judicandum venerit".

84. (B) *Subjectum* judicii sunt *omnes homines*, ut ex textibus allatis constat; certum est quoad adultos; communiter receptum quoad parvulos; ait enim *S. Thomas* (*Sup.* q. 89, a. 5.): "Etiam pueri ante perfectam ætatem decedentes in judicio comparebunt, non ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis"; excipientur forsan infantes non baptizati, qui in limbo erunt. Probabile est etiam angelos fore judicandos, juxta illud: "Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari"[2].

85. (C) *Materia* judicii erit uniuscujusque vita integra, quidquid cogitatione, verbo, opere, commissione aut omissione, boni vel mali fecerimus: "Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit"[3]. Etiam verba otiosa, et secreta cordium manifesta fient: "Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii"[4]; "Dominus manifestabit consilia cordium"[5]. Communius asseritur etiam peccata justorum in die judicii manifestanda, ut sic melius cognoscatur pœnitentia de illis peccatis et misericordia Dei: talis autem manifestatio nullam tristitiam aut pudorem Beatis afferet (*S. Th.* Sup. q. 87, a. 2). Probabilius judicium non per vocalem locutionem, sed per mentalem manifestationem fiet, ut tradit *S. Thomas* (l. c. q. 88, a. 2); unde cito peragetur, et sententia statim executioni mandabitur: "Et ibunt hi in supplicium æternum, illi autem in vitam æternam".

86. (D) *Locus* judicii dicitur esse vallis *Josaphat*[6]; quum autem vox *Josaphat*, juxta chaldaicam interpretationem, idem significet ac *divisio judicii*, quilibet locus ita vocari potest.

87. (E) E variis Scripturæ locis colligunt Patres et theologi post conflagrationem mundi et judicium terram innovandam esse: "Novos vero cœlos et novam terram, secundum promissa ipsius, exspectamus"[7]. In quo autem illa innovatio consistat incertum est, et hâc de re theologi scientiæque cultores libere disputare possunt[8].

---

[1] *Matt.* XXIV, 30. — [2] *II Petr.* II, 4. — [3] *Eccl.* XII, 14.

[4] *Matt.* XII, 36. — [5] *I Cor.* IV, 5; cfr. *Apoc.* II, 23. — [6] *Joel*, III, 2.

[7] *II Petr.* III, 13; cfr. *Rom.* VIII, 19; *Apoc.* XXI, 1.

[8] De fine mundi ejusque renovatione cfr. *H. Faye*, Sur l'Origine du Monde, 2e ed. Paris, 1885, p. 306-308; *Stainier*, La fin du monde, ap.

III. De dotibus corporum gloriosorum[1].

88. Omnes homines resurgent *incorrupti*, juxta illud *S. Pauli* : "Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti"[2]; omnes pariter resurgent *corporibus integris*, sed, ut recte notat *S. Thomas* (*Sup.* q. 81, a. 4), cessabunt actiones vitæ animalis[3] : "quia comedere, et bibere, et dormire, et generare ad animalem vitam pertinent... ideo in resurrectione talia non erunt". Hæc omnibus, etiam damnatis, communia erunt : sed pauca de dotibus corporum gloriosorum sunt addenda. Communiter docetur Beatorum corpora eâ staturâ resurrectura fore quam homines virili ætate habere solent ; quia talis ætas est perfecta, cum corpus completam evolutionem jam attigerit ; illa corpora quatuor præsertim dotibus gaudebunt, scilicet *impassibilitate*, *subtilitate*, *agilitate* et *claritate*.

89. 1° *Impassibilitas* consistit non solum in *immunitate a morte*, sed etiam in *immunitate ab omni dolore*. Quæ qualitas his verbis Scripturæ describitur : "Seminatur in corruptione, surget in incorruptione"[4] : "Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra"[5]. Illa impassibilitas orietur ex perfectâ subjectione corporis animæ rationali, vi cujus anima communicabit propriam impassibilitatem corpori (*S. Th.* sup. q. 82, a. 1).

90. 2° *Subtilitas* facultas est quâ Beatorum corpus *penetrare potest alia corpora*, absque sui vel aliorum læsione. Quæ qualitas non tollit dimensionem seu extensionem a glorioso corpore, sed ita suspendit ejus effectus, ut alia corpora penetrare possit ; sicut v. g. Christus intravit cœnaculum, januis clausis. Quod S. Paulus his verbis declarat : "Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale"[6] ; non quidem eo sensu quod corpus gloriosum sit spiritus, sed eo sensu quod spiritualizetur, et fiat sub aliquo respectu simile spiritui. Hoc autem fiet "ex dominio animæ glorificatæ, quæ est forma corporis super ipsum, ratione cujus corpus gloriosum *spirituale* dicitur, quasi omnino spiritui subjectum" (*S. Th.* sup. q. 83, a. 1).

Revue des Quest. Scientif., 1898, p. 379-413; *Atzberger*, Die Christliche Eschatologie, 1890, p. 372-74 ; *E. Mangenot*, Fin du Monde ap. Vigouroux, Dict. de la Bible, t. II, p. 2264 sq.

[1] *S. Thom.* Supp. q. 80 sq.; C. Gent. l. IV, c. 83 sq.; *Lessius*, op. cit., l. III, c. 3-8; *Jungmann*, n. 235 sq.; *Méric*, op. cit. c. 5; *Boudreaux*, op. cit. 5-7.

[2] *I Cor.* XV, 52.

[3] Nimis curiose non est inquirendum de statu et operationibus corporum gloriosorum, quum hâc de re taceant Scriptura et Traditio : sane melius est nostram fateri ignorantiam quam fidem nostram Rationalistarum irrisioni exponere.

[4] *I Cor.* XV, 42. — [5] *Apoc.* XXI, 4. — [6] *I Cor.* XV, 44.

91. 3° *Agilitas* consistit in facultate sese transferendi de loco ad locum velociter, ad nutum animæ, aut etiam alia corpora cum summâ celeritate movendi. De illâ qualitate loquitur *S. Paulus*, dum dicit : "Seminatur in infirmitate, surget in virtute"[1]; virtus enim de quâ hic agitur est facilitas sese movendi. *S. Thomas* (l. c. q. 84, a. 1.) rem sic explicat : "anima conjungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut *motor* : et utroque modo oportet quod corpus gloriosum animæ glorificatæ sit summe subjectum... ut sc. sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animæ".

92. 4° *Claritas* consistit in eo quod justorum corpora fulgebunt, et illam claritatem coloris habebunt quæ ad pulchritudinem maxime confert : "Seminatur in ignobilitate, surget in gloria"[2]; "Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris"[3]. Quæ claritas causabitur ex redundantiâ gloriæ animæ in corpus (S. Th. l. c. q. 85, a. 1). Insuper sensus nostri purâ et ineffabili delectatione fruentur ; visus scilicet delectabitur aspectu humanitatis Christi, B. Mariæ Virginis, et corporum Beatorum ; auditus suavissimis cantibus recreabitur, et ita de ceteris ; uno verbo : "Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum"[4].

IV. De Millenariorum errore[5].

93. 1° *Exponitur*. Primis Ecclesiæ sæculis, viguit apud multos opinio mille annis ante judicium universale Christum esse venturum, et, devictis hostibus christiani nominis, in terrâ regnaturum per mille circiter annos, cum Sanctis, qui tunc resurrecturi erant, et justis viventibus ; duplicem igitur resurrectionem statuebant, priorem *justorum*, posteriorem *impiorum*, quæ nonnisi immediate ante judicium universale occurrere debebat. Juxta alios, regnum millenarium inter judicium universale, et ingressum in cœlum locum habebit. Hæc opinio originem duxit ex rabbinicis quibusdam scriptis, in quibus prophetiæ de Messiæ universali ac pacifico regno materialiter intelligebantur de temporali dominatione ; eodem sensu a quibusdam christianis intellecta sunt ea quæ Christus dixerat de regno Dei et adventu Filii Dei ; illius regni duratio ad mille annos limitata fuit propter hæc verba : "Et ligavit eum (satanam) per annos mille... et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis"[6], etc. — Millenarii, qui etiam *Chiliastæ* vocati sunt, in duplicem classem divisi sunt : alii tenuerunt justos in hoc regno omni-

[1] *I Cor*. XV, 43.

[2] *I Cor*. XV, 43. — [3] *Matt*. XIII, 43. — [4] *I Cor*. II, 9.

[5] *Muzzarelli*, Diss. selectæ, Romæ 1807, Diss. 3ª de Regno millenario Christi; *Franzelin*, de Traditione, th. XVII; *Jungmann*, n. 277; *Hurter*, n. 857 sq.; *Méric*, op. cit. vol. II, c. 4.

[6] *Apoc*. XX, 1-10.

bus voluptatibus etiam carnalibus fruituros esse, ut *Cerinthiani*, *Ebionitæ*, et nostris diebus *Irvingiani et Mormones;* alii autem docuerunt eos non nisi puris deliciis esse fruituros. Hanc posteriorem chiliasmi formam advocârunt multi Patres a primo ad quartum sæculum, sc. *Papias*, *Justinus*, *Irenæus*, *Tertullianus*, *Methodius*, *Lactantius* etc., et nonnulli moderni tum inter Protestantes[1] tum inter Catholicos[2].

94. 2° *Confutatur.* (A) Ex communi Patrum interpretatione, duplex tantum adventus Domini in mundum agnosci debet, prior in carne humilis, posterior gloriosus ad judicandum genus humanum; dicitur enim apud *Matt.*[3] : "Filius enim hominis venturus est in gloriâ Patris sui cum Angelis suis ; et *tunc* reddet unicuique secundum opera ejus"; ex hoc loco et ex toto capite XXV *S. Matthæi* colligitur judicium universale immediate post secundum Christi adventum futurum esse, statimque post judicium Beatos cœlum ingressuros : nullus igitur remanet locus pro millenio. Apocalypsis textus supra citatus primâ facie quidem Chiliastarum errori favere videtur; sed (a) pars prophetica hujus libri tantis tenebris est involuta, ut a nemine potuerit usque ad præsentem diem dilucide explanari, nec proinde contra textus aliunde claros et analogiam fidei afferri nequit ; (b) dari potest interpretatio probabilis, quæ a communi doctrinâ non dissonet : numero mille annorum designatur tempus longum et indefinitum, illud sc. quod inter primum Domini adventum et antichristi seductionem elapsurum est : per hoc intervallum diabolus dicitur ligatus, quia non permittitur homines seducere tam facile ac ante Christi adventum ; *resurrectio prima*, de quâ agitur (5) est animarum justorum ingressus in cœlum; *mors secunda* (6) est mors animæ et damnatio ; non necesse est igitur ad fabulam millenarii recurrere.

95. (B) Licet multi Patres usque ad sæc. IV, chiliasmum propugnaverint, illa opinio (a) nunquam fuit *universalis*, ut ejus fautores ipsi fatentur, nec ut *caput doctrinæ*, sed ut *privata opinio* proposita fuit, juxta illud *S. Justini*[4] : "Tibi et antea confessus sum me quidem et multos alios ita sentire ... multos vero etiam Christianorum qui puræ et piæ sententiæ sunt, hoc non agnoscere tibi significavi" ; (b) a sæc. V, omnes fere Patres et theologi alicujus nominis hanc

---

[1] Cf. *Schaff-Herzog* Encyclopædia, verbo *millenarianism.* — Inter Protestantes hodierni *Adventistæ* proximum Christi adventum ac millenium expectant; cfr. *Tanquerey*, ap. *Vacant.*, Diction. de Théologie, *Adventistes.*

[2] Cf. *Schneider*, die chiliastiche doctrin ; *Rougeyron*, Les derniers temps; *Bigou*, L'avenir, ou règne de Satan remplacé, etc.

[3] *Matt.* XVI, 27.

[4] Dialog. cum Tryph. n. 80.

opinionem improbaverunt et rejecerunt[1], ita ut cum *Muzzarelli* (op. cit.) concludi possit : "Respondeo me temperatam millenariorum sententiam non ut hæreticam traducere, sed tamen contendo quod in præsenti tempore sit ad minimum improbabilis, quia ex unâ parte est destituta omni gravi auctoritate, ex alterâ vero habet auctoritates contra se gravissimas et ineluctabiles".

96. (C) Improbabilis etiam est opinio admittentium felicissimam et singularem fore Ecclesiæ conditionem, per plura sæcula ante secundum Domini adventum, quâ immunis erit ab omnibus impugnationibus et malis; nam "Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur"[2]; nec unquam Ecclesia in terris cessabit esse militans ; usque ad finem mundi homines peccati originalis effectibus erunt obnoxii, et Ecclesia triticum et zizania, bonos malosque complectetur.

Neglectis igitur hujusmodi opinionibus, cum S. Paulo ad destinatum prosequamur bravium supernæ vocationis : "Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus"[3].

Finem huic Synopsi theologiæ dogmaticæ imponens, ea omnia quæ scripsi judicio Ecclesiæ humiliter subjicio : si quæ sint, præter intentionem, minus recte dicta, ea pro non scriptis haberi volo, et a lectoribus emendari.

N. B. — In quinta editione hujus voluminis, theses de necessitate gratiæ, ad opera naturaliter bona peragenda, accurate recognitæ sunt, ut doctrina exposita facilius intelligi valeat. Præterea textus Patrum ad fidem optimarum editionum, præsertim vero *edit. Vindobonensis*, cura et studio *J. Brodu*, clerici Lucionensis, diligenter correcti sunt.

---

[1] Hic habetur exemplum humanæ traditionis, quæ, primum a multis Patribus accepta, et quidem, ut putabant, Scripturæ innixa, deinde ab Ecclesiâ reprobata fuit tanquam humanum inventum : ex quo magis ac magis patet Ecclesiæ infallibilem auctoritatem necessarium esse ad rectam interpretationem Scripturæ ac Patrum.

[2] *II Tim.* III, 12. — [3] *Phil.* III, 13-15.

INDEX
HUJUS VOLUMINIS.

De Gratiâ.

Auctores consulendi 1
Conc. Tridentini Decreta et Canones. 3
Tractatûs objectum et utilitas 15
Divisio 17
Gratiæ notio quoad nomen et quoad rem 18
Præcipuæ divisiones gratiæ 19
Errores præcipui circa gratiam 21

CAP. I. De gratiâ actuali.

ART. I. DE GRATIÆ ACTUALIS NATURA 28
Quid venit sub nomine gratiæ actualis? 28
Quasnam vires gratia actualis confert? 31
Quænam sunt variæ gratiæ actualis species? . . . 32
ART. II. DE GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATE 35
§ I. *Ad opera naturalia* 35
Ad opera bona in genere : quid potest homo lapsus sine gratiâ habituali, sine fide, sine gratiâ actuali? 35
Quid *non* potest homo sine gratiâ? 42
Quoad legem naturalem servandam ac tentationes vincendas? 42
Quoad amorem Dei naturalem? 47
§ II. *Ad opera supernaturalia* 48
Ad opera quæ justificationem præcedunt, etiam initium fidei 48
Ad opera quæ justificationem sequuntur, sc. ad perseverantiam in bono, ad perseverantiam finalem, ad vitanda venialia 54
ART. III. DE DISPENSATIONE GRATIÆ ACTUALIS 60
§ I. *De gratuitate gratiæ* 60
Prima gratia neque de condigno neque de congruo meretur 61

Non impetratur per preces mere humanas nec obtinetur positiva dispositione naturali . . . 63
§ II. *De universalitate gratiæ* 64
Quoad justos 64
Quoad peccatores, sive communes, sive obduratos . 67
Quoad infideles adultos, positivos vel negativos . 70
Quoad parvulos qui baptizari nequeunt . . . 74
ART. IV. DE CONCORDIA GRATIÆ CUM LIBERO ARBITRIO . 75
§ I. *Protestantium et Jansenistarum errores confutantur.* 75
Homo liber remanet sub influxu gratiæ efficacis . 76
Datur gratia vere et relative sufficiens . . . 80
§ II. *Catholicorum theologorum systemata exponuntur* . 82
Molinismus et Congruismus 83
Thomismus et Augustinianismus 85
Conclusio 87

CAP. II. De gratiâ habituali seu justificante.

Notio et causæ justificationis 89
ART. I. DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM REQUISITIS. 90
Sola fides non justificat 91
Fides requisita non est fiducia, sed supernaturalis assensus veritatibus a Deo revelatis. 96
ART. II. DE NATURA JUSTIFICATIONIS 98
§ I. *Protestantium errores confutantur*. . . . 98
In justificatione peccata mortalia vere delentur quoad culpam 99
Justificatio consistit in interiori renovatione, seu in infusione gratiæ intrinsece animæ inhærentis . 101
§ II. *Justificationis effectus formales describuntur.* . 105
Justificatio nos efficit Deo gratos ejusque amicos . 105
Justificatio nos efficit filios Dei adoptivos, ejusque heredes 106
Justificatio nos efficit divinæ consortes naturæ. . 108
Justificatio nos efficit templa Spiritûs S. totiusque Trinitatis. 109
§ III. *Scholastica definitio gratiæ justificantis.* . . 111
Explicatur 111
Probatur per partes. 114
Corollaria 116
ART. III. DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS . . . 119
Ejus incertitudo. 119

Ejus inæqualitas. 122
Ejusdem amissibilitas. 123
ART. IV. DE VIRTUTIBUS ET DONIS IN JUSTIFICATIONE INFUSIS. 124
De virtutibus : earum notio, et infusio. 124
De donis : definitio, numerus, existentia 127
De gratiis gratis datis. 128

CAP. III. De merito.

De naturâ meriti 130
De conditionibus meriti ex parte operantis, operis, Dei. 131
Existentia meriti 137
Objectum meriti 140
Corollarium practicum 144

De Sacramentis in genere.

Auctores consulendi 145
Decreta et Canones 146
Objectum et utilitas tractatûs 148
Divisio 150

CAP. I. De naturâ et existentiâ sacramentorum.

ART. I. DE NATURA 151
Definitio quoad nomen et quoad rem 151
Species : Sacramenta Veteris et Novæ Legis . . 153
Convenientia 153
ART. II. DE EXISTENTIA 155
§ I. *Ante Christum* 155
In statu innocentiæ. 155
In statu legis naturæ 155
Sub lege mosaicâ 157
De modo quo sacramenta V. L. suum producebant effectum 157
§ II. *A tempore Christi* 159
Protestantium errores 159
Catholica thesis de existentiâ septem sacrament. . 159

CAP. II. De materiâ et formâ.

ART. I. NOTIO ET EXISTENTIA 167
ART. II. MUTATIONES VITANDÆ. 169
Quandonam mutatio est substantialis ? 169

Quale peccatum est mutatio? 171
Quandonam licet vel oportet uti materiâ dubiâ? . . 171
ART. III. DE UNIONE MATERIÆ ET FORMÆ. . . . 172
Regulæ pro validitate. 172
Regulæ pro liceitate 173
ART. IV. DE SACRAMENTORUM ITERATIONE . . . 173
Quandonam possunt vel debent iterari? . . . 173
Quomodo? 174

CAP. III. De sacramentorum effectibus.

ART. I. DE GRATIA 175
Quomodo producitur, utrum ex opere operato, . . 175
physice vel moraliter? 180
Qualis? De gratiâ sanctificante primâ, secundâ . . 181
De gratiâ sacramentali 183
Quanta? Secundum uniuscujusque dispositionem. . 184
Utrum et quandonam impedita reviviscit? . . . 185
ART. II. DE CHARACTERE SACRAMENTALI 188
Existentia 189
Natura 191
Dotes 192

CAP. IV. De sacramentorum causâ.

ART I. DE AUCTORE SACRAMENTORUM 194
Utrum instituta fuerunt a Christo immediate vel mediate? 195
In genere vel in specie? 197
ART. II. DE MINISTRO 200
§ I. *De qualitatibus in ministro requisitis* . . . 200
De fide et sanctitate, tum ad validitatem . . . 201
» » tum ad liceitatem . . . 203
De intentione internâ, vel externâ 206
» actuali vel virtuali 209
» absolutâ vel conditionatâ . . . 210
» determinatâ vel non 211
De attentione 211
§ II. *De obligationibus ministri* 212
De obligatione sacramenta dignis ministrandi . . 212
De obligatione ea indignis denegandi . . . 214
De simulatione sacramenti 216

CAP. V. De sacramentorum subjecto.

ART. I. DE SUBJECTI DISPOSITIONIBUS ad validitatem . . 218
» » ad liceitatem . . 220
ART. II. DE SUSCEPTIONE SACRAMENTORUM AB INDIGNIS . 220
APPENDIX : DE SACRAMENTALIBUS 223

De Baptismo.

Auctores consulendi 225
Decreta et Canones 226
Divisio tractatûs 228

CAP. I. De existentiâ et essentiâ Baptismi.

ART. I. NOTIO QUOAD NOMEN ET QUOAD REM . . . 229
ART. II. EXISTENTIA. 231
ART. III. DE MATERIA ET FORMA 233
De materiâ remotâ 233
De materiâ proximâ, præsertim contra Baptistas . . 236
De formâ 241

CAP. II. De effectibus Baptismi.

De gratiâ 244
De charactere 247

CAP. III. De ministro.

De ipso ministro tum in casu necessitatis . . . 249
» » tum in baptismo solemni . . . 250
De patrinis. 252

CAP. IV. De subjecto Baptismi.

ART. I. DE NECESSITATE BAPTISMI AQUÆ 254
De mediis quibus suppletur baptismus aquæ . . 259
ART. II. DE BAPTISMO INFANTIUM, in genere . . . 264
filiorum acatholicorum in specie 267
ART. III. DE DISPOSITIONIBUS AD BAPTISMUM . . . 268
ART. IV. DE ITERATIONE BAPTISMI 269
De servandis in receptione Neo-conversorum . . 270

De Confirmatione.

Auctores consulendi 272
Decreta et Canones 272

ART. I. EXISTENTIA 274
ART. II. DE MATERIA ET FORMA 277
ART. III. DE EFFECTIBUS 280
ART. IV. DE MINISTRO 282
ART. V. DE SUBJECTO 284

De Eucharistiâ.

Auctores consulendi 286
Decreta et Canones 288
Objectum et utilitas tractatûs 301
Divisio 303
Varia nomina Eucharistiæ 304
Figuræ præcipuæ 304

CAP. I. De mysterio præsentiæ realis.

ART. I. DE VERITATE REALIS PRÆSENTIÆ CHRISTI . . 306
Errores contrarii. 306
Doctrina Catholica 308
§ I. *Argumenta ex Scripturâ*, — ex verbis promissionis . 308
» » » ex verbis institutionis . 317
» » » ex verbis circa usum . 324
§ II. *Argumenta ex Traditione*, — ex Patribus . . 326
» » » ex Liturgiis . . 330
» » » ex praxi Ecclesiæ . 331
» » » ex præscriptione . 333
ART. II. DE MODO PRÆSENTIÆ REALIS 335
De transsubstantiatione 335
Notio et errores 335
Thesis catholica 338
Quæstiones scholasticæ 341
De modo quo Christus existit in Eucharistiâ . . . 348
Christus est totus sub quâlibet specie, et sub singulis cujusque speciei partibus 348
Quomodo Christus sub speciebus eucharisticis existit? 350
Corollaria philosophico-theologica 351
De permanentiâ Christi in Eucharistiâ . . . 356
De cultu Eucharistiæ debito 358
ART. III. DE CONCORDIA HUJUS MYSTERII CUM RATIONE . 360
Solvuntur difficultates, ex multipræsentiâ corporis Christi. 361
» » ex accidentibus 362
» » ex unione Xti cum accidentibus . 364

Mysterium eucharisticum *convenit* ex parte Dei . . 365
» » » ex parte hominis . 367

CAP. II. De sacramento Eucharistiæ.

ART. I. DE EXISTENTIA ET NATURA HUJUS SACRAMENTI . 370
ART. II. DE MATERIA ET FORMA 374
§ I. *De materiâ* 374
De pane eucharistico 374
De vino eucharistico 377
De consecratione utriusque 380
§ II. *De formâ*, — super panem pronuntiandâ . . 383
» super calicem 385
ART. III. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ . . 386
Gratia per Eucharistiam collata non est prima, sed secunda, per modum alimoniæ spiritualis . . 387
Eucharistia confert insuper gratiam actualem fervoris. 390
Eucharistia remittit peccata venialia, pœnam peccato debitam, et a peccatis futuris præservat . . 391
Eucharistia concupiscentiam moderat, et est pignus futuræ gloriæ 393
Corollaria 394
ART. IV. DE MINISTRO 395
De potestate requisitâ sive ordinis sive jurisdictionis. 395
De ordine servando quoad communionem in genere. 397
» » quoad viaticum in specie . . 398
De regulis quoad modum S. Eucharistiam servandi . 399
ART. V. DE SUBJECTO 400
§ I. *De necessitate Eucharistiæ* 400
De necessitate medii 401
De necessitate præcepti 402
De communione sub utrâque specie . . . 403
§ II. *De extensione præcepti communionis* . . . 406
» » præcepti divini 406
» » præcepti ecclesiastici . . . 407
De iis qui recipere prohibentur 410
§ III. *De dispositionibus ad communionem requisitis* . 412
De dispositionibus animæ 412
De dispositionibus corporis, sc. de jejunio et decentiâ. 415
De dispositionibus pro communione frequenti . . 419
De communione spirituali 424

CAP. III. De sacrificio Missæ.

ART. I. DE NOTIONE, EXISTENTIA ET ESSENTIA HUJUS SACRIFICII. 425
Notio sacrificii in genere. 425
Definitio sacrificii Missæ quoad nomen et quoad rem. 426
Existentia hujus sacrificii demonstratur . . . 427
Essentia sacrificii Missæ 436
ART. II. DE EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ. . . . 441
Quinam sint? 441
Quomodo producantur? 443
Quisnam sit valor sacrificii Missæ? 445
ART. III. DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ 447
De potestate celebrandi 447
De obligationibus ministri 449
Quoad Missæ celebrationem 449
Quoad applicationem fructuum Missæ . . . 451
Quoad stipendium 452
Quoad Missas fundatas 455
Quoad Missam pro populo 456
Quoad servanda in celebratione Missæ . . . 457
ART. IV. DE SUBJECTO 459
De vivis 459
De defunctis 460

De Poenitentia.

Auctores consulendi 462
Decreta et Canones 463
Objectum et divisio Tractatûs. 473
Prolegomena : de Pœnitentiâ ut virtute . . . 475
Genuina Pœnitentiæ notio 475
Falsa Protestantium definitio 478
De Pœnitentiæ necessitate 480

CAPUT I. — De potestate clavium Ecclesiæ collatâ.

ART. I. DE POTESTATE CLAVIUM ECCLESIÆ COLLATÂ . . 486
Thesis Scripturâ probatur. 489
Thesis Traditione probatur 498
ART. II. DE MINISTRO POTESTATIS CLAVIUM. . . . 519
§ I. *De potestate ordinis ad remittenda peccata* . . . 520
§ II. *De potestate jurisdictionis* 526

CAPUT II. — De Pænitentis actibus.

ART. I. DE CONFESSIONE PECCATORUM 531
Confessio Sacramentalis est jure divino necessaria . 534
Thesis infertur ex Scripturâ 535
Probatur ex testimoniis quinque priorum sæculorum . 538
Probatur insuper ex libris Pænitentialibus et Conciliis. 545
Confessionis utilitas ratione ostenditur. 551
ART. II. DE CONTRITIONE 554
§ I. *Natura et necessitas contritionis* 555
§ II. *Efficacia contritionis perfectæ* . . . . . 555[4]
§ III. *Sufficientia attritionis cum Sacramento* . . . 555[9]
ART. III. DE SATISFACTIONE . . . . . 555[17]
Post remissa peccata, plerumque remanet luenda pœna temporalis . . . . . 555[19]
Pænitentes absolvi possunt antequam satisfactionem sacramentalem impleverint. . . . . 555[23]

CAPUT III. — De ipso Sacramento Pænitentiæ.

ART. I. DE EXISTENTIA SACRAMENTI PÆNITENTIÆ . . 555[26]
Ritus quo exercetur potestas clavium est verum Sacramentum, a Baptismo distinctum . . . . . 555[27]
ART. II. DE ELEMENTIS CONSTITUTIVIS HUJUS SACRAMENTI. 555[29]
§ I. *De materiâ Sacramenti Pænitentiæ* . . . . . 555[30]
Tres pænitentis actus sunt materia proxima Sacramenti Pænitentiæ . . . . . 555[31]
§ II. *De formâ Sacramenti Pænitentiæ* . . . . . 555[33]
Conspectus historicus . . . . . 555[33]
De requisitis ad validitatem et liceitatem . . . . 555[36]
De formâ conditionatâ . . . . . 555[41]
ART. III. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PÆNITENTIÆ . 555[44]
§ I. *De remissione peccatorum mortalium* . . . . . 555[45]
§ II. *De remissione pœnæ peccato debitæ* . . . . . 555[47]
§ III. *De meritorum reviviscentiâ.* . . . . . 555[48]
Scholion. De remissione peccati venialis . . . . 555[51]
APPENDIX : DE INDULGENTIIS 556
Indulgentiarum natura et species 556
Indulgentiarum existentia 558
Indulgentiæ defunctis applicari possunt 565
Indulgentiæ vim habent non solum coram Ecclesiâ, sed etiam coram Deo 566

De Extremâ Unctione.

Auctores consulendi 567
Tridentini Decreta et Canones 568

ART. I. *Notio et existentia* 570
ART. II. *De materiâ et formâ* 574
ART. III. *De effectibus* 578
De gratiâ confortante 579
De remissione peccati 580
De sanitate corporis 581
ART. IV. *De ministro* 582
ART. V. *De subjecto* 586
De conditionibus requisitis 586
De necessitate recipiendi 589
De iteratione sacramenti 589

De Ordine.

Auctores consulendi 590
Tridentini Decreta et Canones . . . 591
ART. I. DE ORDINE IN GENERE 594
De clericorum a laicis distinctione 595
De veritate sacramenti Ordinis 597
De numero Ordinum 599
De ministro sacramenti Ordinis 603
De effectibus hujus sacramenti 604
ART. II. DE SINGULIS ORDINIBUS IN SPECIE . . . 608
De tonsurâ 608
De quatuor minoribus ordinibus 609
De subdiaconatu et diaconatu 610
De presbyteratu 611
De episcopatu 614
Appendix de anglicanis ordinationibus . . 617

De Matrimonio.

Auctores consulendi 620
Tridentini Decreta et Canones 622
Prænotanda 623
Objectum et utilitas Tractatûs. 623
Definitio Matrimonii quoad nomen et quoad rem . 624
Divisio Tractatûs 625
ART. I. DE EXISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII . . 626
Status quæstionis 626
Matrimonium inter Christianos est vere sacramentum. 627

Matrimonium est honestum et laudabile . . . 634
Virginitatis status præstantior est Matrimonio . . 636
ART. II. DE ESSENTIA SACRAMENTI MATRIMONII . . 639
Inter Christianos Matrimonii Sacramentum inseparabile est a contractu 640
Contrahentes ministri sunt sacramenti . . . 643
Principia ad solvendas difficultates 644
Consensus contrahentium constituit materiam et formam sacramenti 645
Matrimonium est contractus sui generis . . . 647
De Matrimonio Infidelium 647
Ecclesia potest jure proprio leges ferre circa vinculum matrimoniale 649
Status non potest leges ferre nisi circa effectus civiles matrimonialis contractûs. 652
ART. III. DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII . . . 655
§ I. *De unitate* 656
De polygamiâ simultaneâ sub Antiquâ et N. Lege . 656
De polygamiâ successivâ. 661
§ II. *De indissolubilitate* 662
De indissolubilitate ex jure divino 663
sive sub Antiquâ Lege 664
sive sub Novâ Lege 665
De indissolubilitate ex jure naturali, et de pravis divortii consectariis 670
De exceptionibus appositis legi indissolubilitatis . 678
De Matrimonio Infidelium et de casu Paulino. . 678
Quo jure solvitur Matrimonium in præfato casu? . 680
De Matrimonio rato et non consummato, quatenus dissolvitur per professionem religiosam . . 683
Quatenus dissolvitur auctoritate Pontificis . . 684
ART. III. DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII . . 687
Ad christianam prolis procreationem et educationem. 687
Ad castum amorem inter conjuges fovendum . . 688
Ad concupiscentiam moderandam . . . 689
Leonis XIII monita 689

De Deo Remuneratore.

Auctores consulendi 690
Objectum et divisio 692
Prolegomena 693

De morte 693
De judicio particulari 694
ART. I. DE INFERNO 696
Existentia et æternitas pœnarum inferni . . . 696
Natura et gradus pœnarum inferni 707
ART. II. DE PURGATORIO 715
Existentia purgatorii 715
Natura pœnarum 720
Corollaria, ubi de Sanctorum communione . . 722
ART. III. DE CŒLO 724
§ I. *De gloriâ animæ* 724
De visione beatificâ 725
De amore beatifico 732
Corollaria 734
§ II. *De gloriâ corporis* 736
De resurrectione mortuorum. 736
De judicio universali 742
De statu corporum gloriosorum 745
De Millenariorum errore. 746



Index rerum alphabeticus Dogmaticae specialis [1].

Abercii inscriptio, II, 332.

Absolutionis sacramentalis verba essentialia, II, 555[30]; absolutio absenti data, vel ope *telephonii*, 555[40]; forma deprecativa, 555[33].

Accidentia eucharistica sine subjecto subsistunt, II, 344; solvuntur difficultates ex his accidentibus desumptæ, 362.

Acolythatus, II, 610.

Adamus totius generis humani parens, I, 334; in gratiâ constitutus, 353; quo tempore? 355; immunis ab ignorantiâ, 356; a concupiscentiâ, 357; a morte, 358; a dolore, 359; nec proinde in statu barbariæ conditus, 361; peccavit graviter, 372; bona supernaturalia ac præternaturalia amisit, 390; pœnitentiam egit ac veniam obtinuit, 374, n. 6.

Æternitas divina, I, 111; æternitas pœnarum inferni, a quibus negatur? II, 696; demonstratur, 697; rationi non adversatur, 703.

Alford de sensu incisi *manducare carnem*, II, 312, n. 2.

Amentes quoad baptismum, II, 268; confirmationem, 284; Eucharistiam, 410; Ext. Unctionem, 587.

Amor Dei perfectus et imperfectus, II, 555[5]; amor spei ad justificationem sufficit in Sacramento Pœnitentiæ, 555[11]; amor gratitudinis, juxta quosdam, ad justificationem, absque reali susceptione sacramenti, sufficit, 555[8]; amor Dei naturalis quo sensu possibilis absque gratiâ, II, 47; amor Dei in Incarnatione effulget, I, 474; in Eucharistiâ, II, 366.

Amor beatificus, II, 732.

Amor erga Christum habendus, I, 515.

Anabaptistæ, II, 236.

Analysis fidei, I, 52.

Angelorum notio, I, 291; existentia, 292; creatio, 295; dotes naturales, 296; elevatio ad statum supernaturalem, 297; lapsus, 298; hierarchia, 300. Angelorum *custodum* existentia quoad homines, 302; et communitates, 304; eorum erga nos obsequia, 305; nostra erga eosdem officia, 306. Angelorum *malorum* lapsus, 298; impugnationes, 308.

Anglicanæ ordinationes, II, 617.

Anglicani de Cœnâ Domini, II, 307, n. 4; de sacrificio missæ, 428.

Animæ humanæ origo, I, 340; anima est forma substantialis corporis humani, 332.

Anomœi, I, 89.

Anselmi doctrina de necessitate Incarnationis, I, 519.

[1] Numerus romanus I tomum primum Theologiæ dogmaticæ specialis designat: II tomum secundum; numerus arabicus paginam, n. 1, 2, 3... notas.

Antichristus, II, 742.
Applicatio fructuum missæ, II, 451.
Apollinaristæ, I, 451.
Arcani disciplina, II, 331, n. 2.
Ariani, I, 182.
Ars magica reprobanda, I, 314.
Assumptio B. Mariæ Virginis, I, 608.
Athanasianum symbolum, I, 172, 408.
Attentio in sacramentorum administratione, II, 211.
Attributa divina definiuntur, I, 103; quomodo ab essentiâ distinguuntur, 103; attributa negativa, 105; positiva, 119.
Attritionis notio, II, 555[10]; honestas et sufficientia cum sacramento Pænitentiæ, 555[11]; cum Baptismo, 269; cum Ex. Unctione, 581.
Augustana confessio de originali peccato, I, 383, n. 2; de cultu Sanctorum, 617, n. 1; de Cœnâ Domini, II, 307; de sacram. Pænitentiæ, 485, n. 2.
Augustini doctrina de prædestinatione, I, 159, n. 1; 160; de pænâ parvulorum, 397; de operibus infidelium, II, 40; de libertate sub influxu gratiæ, 77.
Augustinianorum systema de prædestinatione, I, 166; de gratiâ efficaci, II, 86; de necessitate gratiæ actualis, 36, 41.
Azymus panis ad Eucharistiam, II, 376.

Baii errores de gratiâ exponuntur, II, 26; confutantur, I, 363-371; II, 37, 513.
Baltimorense Concilium II de spiritismo, I, 320, 326; de Sacramentalibus, II, 224, n. 1; de baptismo acatholicorum, II, 268; de baptismo neo-conversorum, 270; de visitando SS. Sacramento, 360; de viatico ministrando, 398; de primâ communione, 410; de sacrificio Missæ, 436, n. 1, 447; de missis fundatis, 456. — Baltimorense Concil. III de obligatione ministrandi sacramenta, 212, n. 2.
Baptismi sacramentum, II, 229; definitio, 229; figuræ, 230; existentia, 231; materia remota, 233; proxima, 236; forma, 241; effectus, 244; minister, 249; subjectum, 254; necessitas, 254; media quibus suppletur, 259; dispositiones, 268; iteratio, 269. — Baptismus flaminis, 259; baptismus sanguinis, 261; baptismus infantium, 264; acatholicorum, 267; neo-conversorum, 270; baptismus in nomine Christi, 242.
Baptistarum errores exponuntur, II, 236, 264; confutantur, 237, 264.
Beati in cœlo Deum vident, II, 728; sunt impeccabiles, 735.
Beatitudo naturalis ac supernaturalis, II, 724. — Beatitudinis *essentia*, 733.
Benedictio SS. Sacramenti, II, 359.
Björnström de hypnotismo, I, 318, n. 1.
Boetius, de æternitate, I, 111; de personâ, 177; de beatitudine, II, 724.
Bonitas Dei in se, I, 124; in Incarnatione, I, 474; in Eucharistiâ, II, 366.
Bossuet de conciliatione libertatis cum concursu, I, 139, n. 2; de interpretatione verborum *Filius meus es tu*, 420, n. 5.
Bretschneider de sensu vocis αἰώνιον, II, 699.
Brownson, de actu fidei, I, 47.
Butler (Ch.) de Purgatorio, II, 719, n. 3.

Cajetanus de lapsu protoparentum, I, 372, n. 3; de salute non-baptizatorum infantium, II, 75, 255, 258.
Calmet de evolutione, I, 287.
Calvinistæ, seu Presbyteriani de prædestinatione, I, 155; de gratiæ necessitate, II, 35-38; de gratiæ distributione, 64, 70; de libertate sub influxu gratiæ, 76; de Sacramentis, 159; de reali præsentiâ, 307; de sacrificio missæ, 427; de Pænitentiâ, 487; de Indulgentiis, 558; de E. Unctione, 571; de Ordine, 594; de Matrimonio, 626; de Purgatorio, 716.
Caro Christi vera, I, 510; ex B. Virgine, solo operante Spiritu S., concepta, 511.
Cassianus semi-pelagianismo favet, II, 23.
Cave (A.) protestans de verbo *minchah*, II, 428, n. 4; de sacrificio Cænæ, 431, n. 3.
Censura theologica, I, 25; ejus auctoritas, 26; præcipuæ censuræ, 27.
Certitudo fidei, quo sensu firmior certitudine naturali, I, 61.
Character sacramentalis, II, 188; a tribus sacramentis productus, 189; ejus natura, 191; dotes, 192.
Chemnitius de doctrinâ Patrum circa satisfactionis necessitatem, II, 555[20].
Chrisma, quatenus materia Confirmationis, II, 277.
Christus, vere Deus ex prophetiis, I, 418; ex ejus testimonio, 424; ex ejus miraculis, 432; ex Apostolorum prædicatione, 436; ex fide primævæ Ecclesiæ, 442. — Christus duplicem habet naturam, 460; duplicem voluntatem ac operationem, 462; animam vere rationalem, 486; corpus vere humanum, 510; est Filius Dei naturalis, non adoptivus, 464; quo sensu creatura et servus, 465; persona composita, 484; — Christi scientia, 486; impeccabilitas, 493; sanctitas positiva, 497; libertas, 503; potentia, 507; appetitus sensitivus, 509; passibilitas, 512; pulchritudo, 514. — Christi Redemptio, I, 517; satisfactio vicaria, 524; æquivalens ac superabundans, 533; universalis, 538; ejus meritum pro nobis, 546; pro seipso, 548; pro angelis, 570; ejus sacrificium, 549. — Christus caput hominum et Angelorum, 557; rex spiritualis, 559; propheta ac magister, 561; sacerdos in æternum, 563.
Christo debetur latriæ cultus, 572.
Christus sacramentorum institutor, II, 195; substantialiter præsens in Eucharistiâ, 306 (v. *Eucharistia.*)
Cincinnatense Concilium de missis fundatis, II, 455, n. 1.
Circumcisionis institutio ac significatio, II, 157; quomodo gratiam causabat, 158.
Circumincessio in divinis personis, I, 219; in Christo, 484.
Circumscriptive esse in loco, II, 354.
Claus-Sedgwick de hybridorum sterilitate, I, 289, n. 2.
Clavium potestas, Apostolis tradita, vere distincta a potestate prædicandi, II, 486.
Clericorum a laicis distinctio, II, 595.
Cognitio Dei naturalis humanæ rationi possibilis, I, 86; triplici modo, 89.
Communicatio idiomatum in Christo, I, 466

Communio sacramentalis non est necessaria necessitate medii, sed præcepti, II, 401; communio sub utrâque specie, 403; communionis paschalis præceptum, 407; communio puerorum, amentium etc., 410; communio frequens, 419; communio spiritualis, 424.
Communio sanctorum, II, 722.
Conceptio Immaculata B. Virginis, I, 590.
Concordiæ Formula, II, 35.
Conclusio theologica, quid, I, 18; est-ne objectum fidei, 19, 21.
Concupiscentia non fuit in Adamo innocenti, I, 357; est tamen homini naturalis, 369; non constituit essentiam originalis peccati, 383; non fuit in Christo, 495; neque in B. Virgine, 600.
Confessio sacramentalis: notio, II, 532; divina institutio ac necessitas, 534; convenientia, 551.
Confirmationis sacramentum, II, 273; materia et forma, 277; effectus, 280; minister, 282; subjectum, 284.
Congregationes Romanæ, earum auctoritas doctrinalis, I, 27.
Consensus ad sacramenta requisitus, II, 218.
Consubstantialitas Verbi cum Patre, I, 206; Spiritûs S. cum Patre et Filio, 214.
Consubstantiatio exponitur, II, 337; confutatur, 339.
Contritionis definitio, II, 508; species, 509; contritio perfecta, 509; imperfecta, 514; contritio, quatenus materia proxima sacramenti, 501.
Copia confessarii, quandonam deesse censetur, II, 414.
Cordis Jesu cultus: natura, I, 576; legitimitas, 578.
Corpus Christi verum ac reale, I, 510.
Corpus Christi realiter præsens in *Eucharistiâ*, II, 308; quomodo? 351.
Corporum resurrectio, II, 736; corporum gloriosorum dotes, II, 745.
Cosmogonia mosaica, I, 265; quid certo docuit Moyses? 265; varia systemata circa dies genesiacos, 271; incredulorum difficultates solvuntur, 280.
Cousin de creationis necessitate, I, 144.
Credibilitatis motiva, I, 49; necessitas, 48; certitudo quam præbere debent, 50.
Crucis cultus, I, 628.
Cultus notio, species, I, 572; cultus humanitatis Christi, 573; SS. Cordis, 576; B. Virginis, 612; Sanctorum, 616; Reliquiarum, 622; Imaginum, 625; Eucharistiæ, II, 358.
Cypriani cum Stephano controversia, II, 200.

Dæmonum peccatum ac pœna, I, 298; dæmones hominem tentant, 308; dæmoniacæ possessiones. 310; non omnia hypnotismi phænomena dæmoni tribuenda sunt, 322.
Dalgairns, quomodo explicat transsubstantiationem, II, 364, n. 1.
Damnatorum pœnæ sunt æternæ, II, 697; harum natura, 707; inæqualitas ac mitigatio, 713.
Darwini systema, I, 282, 283; Darwin de unitate generis humani, 337, n. 1.
Decentia corporis ad communionem requisita, II, 418.
Definitive esse in loco, II, 354.
Dei existentia ratione cognoscibilis, I, 86; argumenta quibus demonstratur, 91; Dei varia nomina, 100; ejus attributa negativa,

105; attributa positiva, 119; Dei operationes; 129; ejus scientia, 130; voluntas, 140; libertas, 144; providentia, 147; voluntas salvifica quoad omnes homines, 155.
Diabolus, v. dæmones.
Diaconatûs materia, forma, virtutes, II, 611.
Diaconus est minister extraordinarius baptismi solemnis, II, 250; Eucharistiæ, 396.
Dies mosaici, seu genesiaci, I, 271.
Dispositiones ad justificationem, II, 90; in subjecto ad validam ac licitam receptionem sacramenti, 218; ad Baptismum, 268; ad Confirmationem, 284; ad Eucharistiam, 412: ad E. Unctionem, 586.
Divinitas Verbi, I, 206; Spiritûs S., 214; Christi, 413.
Divortium primævæ matrimonii institutioni contrarium, II, 664; sub lege mosaicâ toleratum, 664; legi evangelicæ contrarium, 665; pravis consectariis obnoxium, 672.
Docetæ, I, 451.
Doctrina fidei catholicæ, quid? I, 23.
Dogmatum incrementum seu progressus, I, 28; triplex stadium, 37.
Dona Spiritûs S. notio, II, 127; numerus, 127; dona Spiritûs S. in Christo, I, 502.
Dotes corporis gloriosi, II, 745.
Donum naturale, I, 344; supernaturale, 345; dona præternaturalia protoparentibus collata, 356, 368.
Dublin Review de numero damnatorum, II, 707, n. 1.
Duliæ cultus, I, 572; v. *cultus*.

Ebionitæ, I, 413.
Ecclesiæ jura quoad matrimonium, II, 650.
Episcopatus ut sacramentum, II, 600, 614.
Episcopi presbyteris superiores, II, 615; Episcopi ut ministri Confirmationis, II, 282; ministri Ordinis, 603.
Esau, quo sensu odio habitus? I, 162.
Eucharistiæ sacramentum, II, 301; varia nomina, 304; figuræ, 304; præstantia, 301. — Eucharistia non est figura corporis Christi, sed illud vere continet, 308; quomodo Christus est præsens in Eucharistiâ, 335; cultus Eucharistiæ debitus, 358; Eucharistia divina attributa manifestat, 365; virtutes promovet, 367; Eucharistiæ materia et forma, 374; effectus, 386; minister, 395; subjectum, 400; necessitas, 400; v. *communio*, *missa*.
Eunomiani de processione Spiritûs S. I, 239.
Eutychiani, I, 452.
Evæ peccatum, I, 373.
Evolutionismus, I, 281.
Excæcati non privantur omni gratiâ, II, 68.
Exomologesis, seu confessio sacramentalis, II, 532; v. *confessio*.
Exorcistatus, II, 610.
Extremæ Unctionis sacramentum: notio et existentia, II, 570; materia, et forma, 574; effectus, 578; minister, 582; subjectum, 586.

Faber de numero electorum, I, 168, n. 5; 169, n. 1.
Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, II, 73.
Falsus-supernaturalismus, II, 24.
Farrar, anglicanus, de virginitate B. Mariæ, I, 603, n. 5; de Purgatorio, II, 718, n. 4.

Fides definitur, I, 10; fidei præstantia, 8; species, 13. — Objectum materiale fidei, 14; de fide quoad se, de fide quoad nos, 16; fidei catholicæ objectum, 23; incrementum, 28. — Fidei objectum formale, seu motivum, 39; quo sensu fides discursiva nuncupatur, 44. — Actûs fidei præparatio, 46; productio, 52; actus fidei elicitur ab intellectu, sub imperio voluntatis, juvante gratiâ, 53; causæ motivæ actûs fidei, 56; actus fidei quomodo elicitur a rudibus, 57. — Fidei firmitas, 60; infallibilitas, 62; obscuritas, 63; libertas, 65. — In quibus fides residet? 67. — Fides a ratione distinguitur, 72; ei non adversatur, 74; eidem opem præstat, 77.

Fides ecclesiastica, I, 21.

Fides ad justificationem non sufficit, II, 91; non est fiducia, 96. Fides non requiritur ad opus moraliter bonum, 37; non amittitur per peccatum mortale, sed per actus ipsi oppositos, I, 68; non amittitur, sine aliquâ culpâ, 51.

Filiatio adoptiva per gratiam, II, 106.

Filioque recte Symbolo additum, I, 246.

Filius Dei, secunda persona SS. Trinitatis, est Patri consubstantialis, I, 206; quo sensu Patri obedit, 201; vere genitus a Patre, 233; per intellectum, 236; ab æterno, 237; Patrum hâc de re locutiones explicantur, 201. — Filius Dei in singulari numero filium per generationem designat, I, 424. — Filium Dei incarnari decebat potiusquam Patrem vel Spiritum S., I, 478; v. *Christus*, *Verbum*.

Finis Dei in creatione, I, 149. Homo ad finem supernaturalem creatus, I, 370.

Forma sacramentorum, II, 168; mutatio substantialis et accidentalis in formâ, 169; unio materiæ et formæ in Sacramentis, 172.

Fouard de sensu verborum *Hoc est corpus meum*, II, 318, n. 2.

Fox, de Baptismo II, 234.

Fratres Christi, I, 605.

Fructus missæ, II, 451.

Galliffet de devotione erga SS. Cor Jesu, I, 582.

Gasser, de Ontologismo, I, 88.

Generatianismus rejicitur, I, 340.

Generatio Verbi triplex, I, 200; generatio Verbi vera, 232; per intellectum, 236; ab æterno, 237; distinctio a processione Spiritûs S., 245.

Genus humanum ab Adamo propagatum, I, 334.

Gerhard, lutheranus, de fide justificante, II, 91, n. 1; de necessitate baptismi, 255, n. 2.

Gesenius de sensu vocis civitas (*ir*), I, 336, n. 2; de sensu incisi *manducare carnem*, II, 311, n. 2.

Gibbons (Cardinalis) de utilitate imaginum, I, 627, n. 1; de divortiorum frequentiâ in Statibus Fœderatis, II, 671, n. 1.

Gladstone de generatione spontaneâ, I, 283, n. 3.

Gore, protestans, de prædestinatione, I, 163, n. 1.

Gloria æterna, II, 724; gloria animæ, 724; gloria corporis, 736; lumen gloriæ, 726.

Græcorum errores de Spiritu S. I, 240.

Grabius de doctrinâ Patrum circa sacrificium missæ, II, 433.

Gratiæ excellentia, II, 15; definitio

ac divisiones, 18; errores circa gratiam, 21.
Gratiæ actualis natura, 28; species, 32; necessitas ad tentationes superandas, 42; ad legem integre servandam, 45; ad amorem Dei, 47; ad opera supernaturalia, 48; ad initium fidei, 52; ad perseverantiam, 54; ad venialia vitanda, 58. — Gratiæ actualis gratuitas, 60. — Gratiæ dispensatio fidelibus, 64; peccatoribus, 67; etiam obduratis, 68; infidelibus, 70. — Gratia, etiam efficax, non est necessitans, 76; datur gratia vere et mere sufficiens, 80; quomodo gratia efficax a sufficienti distinguitur, juxta Molinistas, 83; Congruistas, 84; Thomistas, 85; Augustinianos, 86.
Gratiæ habitualis notio, 89; effectus formales, 105; definitio scholastica, 111; distinctio a caritate, 117; proprietates, 119; v. *justificatio*.
Gratiæ ordo est vere supernaturalis; I, 363.
Gratiæ sacramentalis, II, 183; gratiæ reviviscentia, 185.
Gratiæ gratis datæ, II, 128.
Guntheri errores, I, 38, 40, 72; 452, n. 1.

Habitus entitativus, operativus, II, 125.
Hammond, protestans, de prædestinatione, I, 163, n. 2.
Heredes Dei per gratiam efficimur, II, 106.
Heresis definitio, I, 25; materialis, formalis, 69.
Hæreticis gratia confertur, II, 70.
Hierarchia angelica, I, 300.
Hierarchia ecclesiastica, II, 593.
Hitzig, rationalista, de sensu vocis *El Gibbor*, I, 423.
Hodge, calvinista, de angelis custodibus, I, 308; de corruptione hominis lapsi, II, 35, n. 4; de baptismo, 237, n. 7.
Holocaustum, I, 551.
Homo a Deo creatus, I, 327; corpore et animâ constat, 332; ad statum supernaturalem evehi potuit, 349; fuit in gratiâ constitutus, 353; immunis ab ignorantiâ, concupiscentiâ, dolore ac morte, 356, non in statu barbariæ, 361; v. *Adamus*.
Honorii doctrina de duplici voluntate Christi, I, 463.
Hovey, baptista, de baptismo per immersionem, II, 237, n. 2.
Hume de divortio, II, 675, n. 1.
Huxley de cosmogoniâ mosaicâ, I, 281; de spontaneâ generatione, 284, n. 1.
Hyperduliæ cultus, I, 572.
Hypostasis, seu persona, I, 177.
Hypnotismi phænomena exponuntur, I, 317; de eisdem judicium fertur, 319.

Iconoclastæ, I, 625.
Idiomatum communicatio, I, 466.
Ignis inferni natura, II, 710; quomodo cruciat spiritus, 712.
Ignorantia homini naturalis est, I, 368; non fuit in Adamo innocente, 356.
Illustratio mentis per gratiam, II, 28.
Imago Dei in homine, I, 353; Verbum imago Patris, I, 250; imaginum cultus, I, 625.
Immensitas divina, I, 113.
Immortalitas corporis fuit Adamo collata, I, 358; est donum præternaturale, 370; amissa fuit per peccatum originale, 391, 392.
Immunitas ab ignorantiâ, concupiscentiâ, dolore ac morte Adamo collata, I, 356; est quid præ-

ternaturale, 368; amissa per peccatum, 391, 392.
Immutabilitas divina, I, 109; quomodo conciliatur cum libertate, I, 145.
Impanatio, II, 337, 340.
Impassibilitas corporum gloriosorum, II, 745.
Impedimenta sacramentum matrimonii dirimentia ab Ecclesiâ statui possunt, II, 650; non autem a Statu, 652.
Impotentia physica et moralis, II, 43.
Incarnationis notio, I, 448; existentia, 453; consectaria, 460; possibilitas, 470, convenientia, 474; perpetuitas, 482; finis, 517; motivum determinativum, 566; v. *Christus, Redemptio.*
Increduli quomodo ad fidem reducendi, I, 59.
Indigni quoad sacramentorum receptionem, II, 214.
Indissolubilitas matrimonii, tum ex jure divino, II, 663; tum ex jure naturali, 670; quoad Infideles, 678.
Indulgentiarum notio ac species, II, 556; potestas eas concedendi, 559; quo sensu defunctis applicantur, 565; tollunt pœnas temporales peccatis debitas, 566; conditiones ad eas lucrandas, 558.
Induratio quo sensu Deo ascribitur, I, 142; non privat omni gratiâ, II, 68.
Infantes peccatum originale contrahunt, I, 375; sine baptismo decedentes privantur visione beatificâ, 395; non autem omni felicitate naturali, 398; pro infantibus Christus mortuus est, 540; eis præparantur gratiæ, II, 74; infantes baptizari debent et possunt, II, 256, 264; de baptismo infantium acatholicorum, 267.
Inferni quadruplex significatio, I, 396; II, 696; pœnarum inferni æternitas, II, 697; acerbitas, 708; inæqualitas, mitigatio, 713.
Infidelium opera non sunt totidem peccata, II, 37; infidelibus datur vel offertur gratia actualis, 70; quomodo, 71.
Infinitas Dei, I, 116.
Innocentiæ status describitur, I, 348, Adamo collatus, 352.
Inspiratio voluntatis per gratiam, II, 29.
Integritatis status, I, 348; protoparentibus collatus, 356; quamvis indebitus, 368.
Intentio in ministro sacramentorum requisita, II, 206; interna vel externa? 207; virtualis, 209; absoluta et determinata, 210. Intentio in susceptione sacramentorum requisita, 218.
Invocatio sanctorum utilis, I, 619; Christi mediationi non opposita, 621.

Jacobitæ, I, 453.
Janet (Paul) de divortio, II, 674; n. 1.
Jansenistæ, I, 156; 538; 578; 582; II, 27; 36; 64; 76; 80; 419.
Jarchi, Judæus, de messianico sensu Psalmi secundi, I, 419.
Jehovah, I, 100.
Jejunium eucharisticum, II, 415; ejus natura, 415; obligatio, 417; causæ excusantes, 417.
Jesus Christus, v. *Christus.*
(S.) Joseph virginitas, I, 605.
Judicium particulare, II, 694; universale, 742.
Jurisdictio in Sacr. Pœnitentiæ necessaria, II, 526.
Justificare, quid significat? II, 89.

Justificationis natura et causæ, juxta Tridentinum, II, 89; sola fides ad justificationem non sufficit, 91; doctrina Pauli hâc de re exponitur, 94; justificatio vere delet peccata, 99; non consistit in extrinsecâ imputatione meritorum Christi, sed in infusione gratiæ, 101; justificatio nos reddit Dei amicos, filios adoptivos ac hæredes, divinæ consortes naturæ, templum Spiritus S.. 105; justificationis incertitudo, 119; inæqualitas, 122; amissibilitas, 123. Virtutes in justificatione infusæ, 124; dona pariter simul cum justificatione infusa, 127.

Justis omnibus datur gratia sufficiens, II, 64.

Justitia originalis describitur, I, 348; protoparentibus collata, 353; vere supernaturalis, 363.

Justitia Dei, I, 126; in Incarnatione manifestata, 475.

Kenotica theoria de Incarnatione exponitur et confutatur, I, 479.

Klüppel de factis magicis, I, 315, n. 1.

Kuinoel, protestans, de sensu verborum *caro*, *spiritus*, II, 316, n. 3.

Lacordaire de Trinitate, I, 230, n. 1.

Lahousse de evolutione specierum. I, 287.

Laicorum a clericis distinctio, II, 595.

Latriæ cultus, I, 572.

Lecky, rationalista, de cultu B. Virginis, I, 615, n. 2.

Leibnitz, de transsubstantiatione, II, 340.

Leo XIII de concordiâ fidei et scientiæ, I, 75; de Scripturæ interpretatione in rebus scientificis, 272; de ordinationibus anglicanis, II, 618; de inseparabilitate contractûs a sacramento matrimonii, 641; de potestate Ecclesiæ circa matrimonii impedimenta, 651; de firmitate Rom. Pontificum in repellendo divortium, 670; de pessimis divortii effectibus, 677; de necessitate gratiæ sacramentalis ad prolem recte educandam castumque amorem fovendum, 688.

Lex naturalis integre absque gratiâ servari nequit, II, 42.

Libellus repudii apud Judæos, II, 665.

Libertatis notio, I, 503. — Libertas in Deo, I, 144; in Christo, 504: ejus objectum, 505; conciliatio cum impeccabilitate, 506. — Libertas hominis sub influxu gratiæ, II, 75.

Liddon de divinitate Christi, I 420, n. 4; de utilitate confessionis sacramentalis, II, 531, n. 1.

Linnæus de evolutione, I, 282.

Lumen gloriæ, II, 726.

Lutherus et Lutheranismus, II, 25, et alibi passim; v. *Calvinistæ*.

Mc Clintock and Strong de immersione, II, 237, n. 7.

Macedoniani, I, 183.

Magiæ crimen, ars et factum, I, 313.

Magnetismi phænomena, I, 316; judicium de eis ferendum, 319, 324.

Mali existentia ac conciliatio cum Providentiâ, I, 151.

Mallock, rationalista, de auctoritate Ecclesiæ, I, 58, n. 1.

Maria Dei Genitrix, I, 584; excellentia hujus dignitatis, 586; immaculata conceptio B. Virginis, 590; ejus perpetua virginitas,

601; gratia ei collata, 606; ejusdem incrementum, 607; Assumptio Mariæ, 608; B. Virgo mediatrix ad Mediatorem, 609; regina et mater christianorum, 611; cultus hyperduliæ ei reddendus, 612; excessus in eo vitandi, 615.

Martene de formis sacramentorum, II, 198, n. 2; de adorandâ Eucharistiâ, 359, n. 5.

Martinet, de igne inferni, II, 712, n. 2.

Martyrium quatenus supplet vices baptismi, II, 261.

Materia sacramentorum, II, 167; mutationes in ea vitandæ, 169; unio materiæ ac formæ, 172; materia Baptismi, 233; Confirmationis, 277; Eucharistiæ, 374; Pænitentiæ, 555[30]; E. Unctionis, 574; Ordinis, 609 sq.; Matrimonii, 645.

Matrimonium ut contractus, II, 624; ut sacramentum, 625; ejus existentia probatur, 627; matrimonii honestas, 634; inseparabilitas sacramenti a contractu, 639; minister sacramenti, 642; materia et forma, 645; matrimonium infidelium, 647; potestas ferendi leges circa matrimonium fidelium, 649; infidelium, 655; matrimonii unitas, 656; indissolubilitas, 662; casus in quibus solvi potest matrimonii vinculum, 678; effectus sacramenti matrimonii, 687.

Mediatoris officium Christus exercet, I, 564.

Melanchthon, de fiduciâ, I, 12.

Meritum supernaturale, II, 130: notio, 130; species ac conditiones, 131; existentia, 137; objectum, 140; meritorum reviviscentia, 555[48].

Meritum Christi, I, 543; quid meruit nobis, 546; sibi, 548, Angelis, 570.

Mill negat Dei omnipotentiam, I, 121.

Millenariorum error, II, 746.

Minister sacramentorum: qualitates in eo requisitæ, II, 200; ejus obligationes, 212.

Miracula Christi ejus divinitatem probant, I, 432.

Missæ sacrificium, II, 425; ejus definitio, 426; existentia, 427; essentia, 436; effectus, 441; quomodo producuntur, 443; quisnam ejus valor? 445; minister sacrificii missæ, 447; ejus obligationes quoad missæ celebrationem, 449; applicationem fructuum missæ, 451; stipendium, 452; missas fundatas, 455; missam pro populo, 456; pro quibus missa offerri potest, 459.

Missio in divinis, I, 251.

Molinismus, I, 139, 147, 165; — II, 32, 83.

Monophysitæ, I, 453, 460.

Monothelitæ, I, 453, 462.

Monstra, an baptizanda? II, 267.

Montanistæ, II, 486, 501.

Monumentalis traditio, quoad Sacramenta, II, 160.

Morgan Dix, ritualista, de septem sacramentis, II, 159, n. 2; de absolutione sacramentali, 520, n. 4; de sacramento matrimonii, 626, n. 4.

Mors Christi verum fuit sacrificium, I, 553.

Mors corporis est pœna peccati, I, 358, 391; est lex universalis, II, 693.

Mosaica cosmogonia, I, 265.

Müller (Max) de necessitate primæ Causæ, I, 91, n. 3; de religionum in deterius mutatione, 362, n. 2.

Mundus a Deo creatus ex nihilo, I, 266; in tempore, 268; bonus, 270; propter Deum, 150.
Mutationes vitandæ in materiâ et formâ sacramentorum, II, 169.
Muzzarelli de chiliasmo, II, 748.

Napoleo de divinitate Christi, I, 447, n. 1.
Natura, quid significat? I, 343; quomodo ab essentiâ distinguitur, 176; a personâ, 178.
Natura humana a verbo assumpta, I, 485; duplex in Christo natura, 460.
Naturæ puræ Status, I, 347, 371.
Naturale prout a supernaturali distinguitur, I, 344.
Naville, protestans, de confessionis utilitate, II, 530, n. 1.
Neo-Platonici de Trinitate, I, 205.
Necessitas medii et præcepti, II, 254.
Nestoriani, I, 414.
Newman (*J. H.*) de fide ut est donum Dei, I, 55, n. 1; de Dei æternitate, 112, n. 5; de Dei infinitate, 117, n. 5; de neo-platonicorum trinitate, 205, n. 3; de devotione erga B. Virginem, 614, n. 1; de modo quo sancti preces audiunt, 620, n. 1; de necessitate gratiæ ad perseverantiam, II, 57, n. 1; de necessitate bonorum operum, 95, n. 2; de justificatione vere intrinsecâ, 103, n. 3; de credibilitate transsubstantiationis, 362, n. 1 et alibi passim.
Nigrorum color aliive characteres eorum adamicæ origini non obstant, I, 337.
Nomina Dei, I, 100; nomina propria et appropriata divinarum personarum, 249.
Notiones in divinis, I, 248.
Novatiani, II, 505.
Novissima hominis, II, 692.
Nuptiæ secundæ et ulteriores licitæ sunt, II, 661.

Obdurati non carent omni gratia, II, 68.
Obscuritas fidei, I, 63.
Obsessio dæmonum, I, 310.
Offensa Dei, quo sensu infinita, I, 521.
Oleum sanctum triplex, II, 575, n. 1; quatenus materia Confirmationis, 278; Ex. Unctionis, 574.
Omnipotentia Dei, I, 120; manifestatur in Incarnatione, 476; in Eucharistiâ, II, 365.
Ontologismus quo sensu damnatus, I, 88.
Opera naturaliter bona homini lapso possibilia absque gratiâ, II, 35, sq.
Opera meritoria, v. meritum; opera viva, mortua, mortifera, II, 544.
Operatio Christi duplex, I, 462; operatio theandrica, 463.
Optimismus, I, 145.
Ordo naturalis, I, 343; ordo supernaturalis, 345; ordo gratiæ et gloriæ vere supernaturalis, 363.
Ordinis sacramentum, II, 593; veritas hujus sacramenti, 595; numerus ordinum, 599; minister, 603; effectus, 604; quatuor minores ordines, 609; ordines sacri ac majores, 610.
Ostiariatus, II, 609.
Oxenham de incremento dogmatum, I, 37, n. 1; de doctrinâ S. Anselmi circa Redemptionis necessitatem, 519, n. 1.

Pactum inter Deum et hominem per baptismum, II, 248.
Panis eucharisticus, II, 374; panis azymus, 376.

Paradisus terrestris, I, 359; cœlestis, II, 730, n. 1.
Passiones bene ordinatæ in Christo, I, 509.
Pater quo sensu major Filio, I, 213; cur frequentius vocatur Deus, 214; vere generat Filium, 233; per intellectum, 236; ab æterno, 237; non est prior Filio, 238; nec ab eo distinguitur nisi ratione originis, 238; mittit Filium et Spiritum S., nec ipse mittitur, 252; nomina Patri propria, 249.
Patrini in baptismo, II, 252.
Peccatores publici vel occulti quoad sacramentorum receptionem, II, 214; peccatoribus gratiæ offeruntur, II, 67; quandonam? 69.
Peccatum a Deo non intenditur, sed permittitur, I, 142; quo sensu infinitum? 521; quænam peccata remittuntur a Baptismo? II, 244; a sacramento Pœnitentiæ? II, 555[45]; omnia peccata sunt remissibilia, l. c.; peccatum contra Spiritum S., quo sensu non remittitur, 496; peccatum veniale, quomodo remittitur? 546.
Peccatum originale originans, I, 372; originatum, 375; ejus existentia, 375; natura, 382; falsæ sententiæ, 383; vera sententia, 385; modus transmissionis, 389; effectus in Adamo, 390; in ejus posteris, 391; pœna originalis peccati quoad parvulos et amentes, 395; peccatum originale non repugnat ex parte Dei, 399; neque ex parte modi transmissionis, 402; tollitur per baptismum, II, 244.
Pelagiani, II, 22 et alibi passim.
Perfectiones divinæ, I, 103.
Perseverantia impossibilis sine gratiâ, II, 54; perseverantia finalis de condigno mereri nequit, 142.
Personæ notio, I, 177; distinctio a naturâ, 178; persona in Deo, 179; tres personæ in Deo, 186; perfecte æquales, 218; personarum circumincessio, 219.
Phelps, de divortio, II, 675, n. 2.
Philonis doctrina de Trinitate, I, 205.
Pius IX de unicitate animæ in homine, I, 333; damnat Froschammer de origine animæ, 341; de cultu SS. Cordis, 582; de Immaculato Conceptu, 590, 596, 600, n. 2; de sanctitate B. Mariæ Virginis, 606; de salute eorum qui bonâ fide catholicam religionem ignorant, II, 72; de inseparabilitate contractûs a sacramento matrimonii, 641.
Platonis doctrina de Trinitate, I, 205.
Pœna æterna remittitur cum peccato; temporalis minuitur, non semper tollitur, 555[47].
Pœnalitates vitæ cur non tolluntur per Redemptionem aut Baptismum, I, 547; II, 245.
Pœnitentia ut virtus, II, 475; ejus necessitas, 480.
Pœnitentiæ sacramentum, II, 484: ejus existentia, 555[27]; materia remota, 555[30]; materia proxima, l. c.; forma, 555[33]; effectus quoad peccata, 555[45]; quoad pœnam peccato debitam, 555[47]; quoad meritorum reviviscentiam, 555[48].
Polyandria, II, 656.
Polygamia simultanea, 656; successiva, 661.
Polygenistæ, I, 334.
Possessio dæmoniaca, I, 310.
Potentia Dei, I, 120; v. *omnipotentia*.

Potentia obedientialis, I, 349.
Potestas ordinis et jurisdictionis, in Sacram. Pœnitentiæ requisita, II, 520, 526; potestas clavium, ligandi atque solvendi, II, 490, potestas remittendi peccata Ecclesiæ collata, II, 489; actu judiciali exercenda, 494; ritu sacramentali distincto, 555[27].
Præadamitæ, I, 334.
Præcepta justis impossibilia non sunt, II, 64.
Prædestinatianismus, I, 155; II, 24.
Prædestinatio ad gratiam et gloriam, I, 154; errores protestantium exponuntur, 155; confutantur, 157; theologorum systemata, 164; prædestinationis signa, 170.
Prædestinatorum numerus, I, 168.
Præmotio physica, II, 85.
Præscientia Dei circa futura, I, 131; ejus conciliatio cum libertate, 132.
Præscriptionis argumento probatur sacramentorum existentia, II, 163; realis præsentia, 333.
Præsentia Dei in omnibus rebus, I, 114; in animâ justi per gratiam, 253, II, 109.
Præsentia realis Christi in Eucharistiâ probatur ex capite VI Joannis, II, 308; verbis institutionis, 317; verbis S. Pauli, 324; traditione, 326; præscriptione, 333. — Modus præsentiæ realis, 335; hujus cum ratione concordia, 360; V. *Eucharistia*.
Præternaturale, quid? I, 346; dona præternaturalia Adamo collata, 356, 368.
Presbyteratus, II, 611.
Presbyteri ab episcopis distincti, II, 615.
Presbyteriani, V. *Calvinistæ*.
Principes laici quoad impedimenta matrimonii, II, 652, 655.
Processiones divinæ, I, 232; processio Verbi a Patre per veram generationem, 233; Spiritus S. a Patre Filioque, 239.
Processiones SS. Sacramenti, II, 360.
Propositio Ecclesiæ necessaria ad fidem catholicam, non autem ad fidem divinam, I, 46.
Proprietates personarum divinarum earum æqualitati non obstant, I, 226.
Protestantes, v. *Calvinistæ*, *Lutherani*, *Ritualistæ*, *Unitarii* etc.
Protoparentes a Deo creati quoad corpus et animam, I, 327; gratiâ ornati, 353; immunes ab ignorantiâ, concupiscentiâ, dolore ac morte, 356; non in statu barbariæ, 361; graviter peccaverunt, 372; ideoque amiserunt gratiam ac dona præternaturalia, 390; pœnitentiam egerunt, 374, n. 6.
Providentia Dei, I, 147; ejus existentia, 148; providentiæ leges, 149; providentiæ non obstat malorum existentia, 151.
Proxima hæresi propositio, I, 27.
Pueri quomodo actum fidei elicere valent, I, 57; quandonam communionem recipere, II, 410; vel E. Unctionem, 587.
Purgatorii existentia, II, 715; natura pœnarum, 720; quomodo juvari possunt animæ Purgatorii? 722.
Pusey, de igne æterno, II, 699, n. 1.

Quakeri de Baptismo, II, 234.
Quatrefages de discrimine inter simiam et hominem, I, 329, n. 1.

Ratio et fides ab invicem distinguuntur, I, 72; fidem inter et rationem nulla vera dissensio, sed tantum apparens, 74; ratio fidei opem præstat, 76.

Rationalismi variæ formæ, I, 71.
Ratum matrimonium quomodo dissolvitur, II, 683.
Redemptio generis humani, I, 517; necessitas hypothetica redemptionis, 518; Christus redemit homines satisfactione, 525; et merito, 543; hujus redemptionis perfectio, 533; ejusdem universalitas, 538; medium redemptionis fuit sacrificium Christi, 549; munera Christi Redemptoris, 557; v. *Incarnatio, Christus, meritum, satisfactio.*
Regulæ ad recte loquendum de Trinitate, I, 258; de Eucharistiâ, II, 364.
Relationes divinæ, I, 232.
Reliquiarum cultus, I, 622.
Remedium legis naturæ ad delendum originale peccatum, II, 155.
Remissio peccati ac pœnæ per baptismum, II, 244; remissio peccati per pœnitentiam, II, 555[45]; pœnæ peccato debitæ, 555[47].
Renan de divinitate Christi, I, 430, n. 2.
Reparatio generis humani sine Incarnatione possibilis, I, 520.
Reprobatio non fit ante prævisa demerita, I, 157.
Repudii libellus, II, 664.
Resolutio fidei, I, 52.
Resurrectio carnis probatur, II, 736; contra Rationalistas possibilis demonstratur, 741.
Réville de divinitate Christi, I, 416, n. 2.
Reviviscentia gratiæ sacramentalis, II, 185; meritorum, II, 555[48].
Riche de devotione erga SS. Cor Jesu, I, 583, n. 2.
Ritualistæ de numero sacramentorum, II, 159, n. 2; de præsentiâ reali, 308; de transsubstantiatione, 338, n. 3; de sacramento Pœnitentiæ, II, 488, 532, n. 4; 553, n. 3 et alibi passim.
Robinson de baptismo per immersionem, II, 238, n. 1.

Sabelliani, I, 181.
Sacerdos supremus N. Legis est Christus, I, 564; qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, 565. — Soli sacerdotes sunt ministri sacrificii missæ, II, 448; eorum obligationes, 449; sacerdotes ut ministri Pœnitentiæ, 548.
Sacerdotii dignitas, II, 605.
Sacramentalia, II, 223.
Sacramentorum notio, II, 151; excellentia, 149; species, 153; convenientia, 153; existentia ante Christum, 155; a tempore Christi, 159; materia et forma, 167; effectus quoad gratiam, 175; quoad characterem, 188; institutio, 194; minister, 200; subjectum, 218; denegatio sacramentorum indignis, 214; susceptio ab indignis ministris, 220; simulatio sacramenti, 216.
Sacrificii definitio, I, 549; species, 551; historia, 551. — Sacrificium Christi in cruce, 553; ejus perfectio, 556; sacrificium missæ, II, 425; v. *missa.*
Sacrilega communio, II, 412.
Salutem omnium hominum Deus sincere vult, I, 157.
Sanctitas Christi negativa, I, 493; positiva, 497.
Sanctitas Mariæ negativa, I, 590; positiva, 606.
Sanctorum cultus, I, 616; sanctorum communio, II, 722.
Sanguis Christi triduo mortis, I, 483, n. 1.
Sapiens hæresim propositio, I, 27.

Sapientia Dei, I, 119; in Incarnatione, 475; in Eucharistiâ, II, 366. — Sapientia æterna, seu Verbum, I, 207.
Satisfactio Christi vicaria contra Unitarios probatur, I, 525; ejus cum ratione concordia, 530; ejus superabundantia, 533; perfectio ad strictos juris apices, 537; universalitas quoad homines, 538; quoad peccata, 541; obligatio satisfaciendi cum Christo, 542.
Satisfactio in Sacr. Pœnitentiæ, II, 555[17].
Scandalosa propositio, I, 28.
Schismatica propositio, I, 28.
Scientia Dei, I, 130; ejus objectum, 130; conciliatio cum libertate, 132; ejus dotes, 134; species ac medium scientiæ, 136; thomistarum systema, 137; molinistarum, 139.
Scientia Adami innocentis, I, 356.
Scientia Christi, I, 486.
Seditiosa propositio, I, 28.
Semi-Pelagiani, II, 23.
Simplicitas divina, I, 105; trinitate personarum non destruitur, 225; neque Verbi Incarnatione, 471.
Sociniani, I, 184, 415, 524 et alibi passim.
Somnambulismus magneticus, I, 316, 319.
Species eucharisticæ juxta Cartesianos, II, 343; juxta Dynamistas, 347; juxta Thomistas, sunt accidentia sine subjecto manentia, 344; difficultates contra hanc doctrinam solvuntur, 362; Christus totus sub quâlibet specie et singulis cujusque speciei partibus, 348; Communio sub utrâque specie non necessaria, 403.
Spiritismus, I, 316, 319, 325.
Spiritus S. est persona Patri Filioque consubstantialis, I, 214; ab utroque procedit, tanquam ab unico principio, 240; processio Spiritûs S. a generatione Verbi differt, 245; Spiritus mittitur a Patre et Filio, 252; specialiter in animâ justi habitat, 253; nomina propria Spiritui S., 250; missiones visibiles Spiritus S., 256; dona Spiritûs S., II, 127.
Status varii humanæ naturæ relate ad gratiam, I, 347; status naturæ puræ possibilis, 371.
Subdiaconatus, II, 610.
Substantia, I, 177.
Suffragia pro defunctis, II, 722.
Supernaturalis notio, I, 345 : species, 346; ordo supernaturalis, 347.
Swetchine de rationabilitate fidei, I, 79, n. 3.

Temeraria propositio, I, 27.
Tentatio, quid? II, 42; quo sensu vinci nequit sine gratiâ, 42.
Thayer de sensu vocis λῦτρον, I, 527, n. 3.
Thesaurus Ecclesiæ, II, 557, 562.
Thomistarum systema de scientiâ Dei, I, 137; libertate Dei, 146; de prædestinatione, 166; de Incarnatione, 473, 566; de gratiâ efficaci, II, 85; de causalitate sacramentorum, 181 etc.
Timor inferni honestus, II, 555[12].
Tittman de sensu vocis manducare carnem, II, 312, n. 2.
Tonsura, II, 608.
Transsubstantiationis definitio, II, 336; distinctio ab impanatione et consubstantiatione, 337; existentia, 338; natura, 341.
Trichotomia rejicitur, I, 333.
Trinitatis mysterium definitur, I, 176; ab hæreticis diversimode impugnatur, 180; in Veteri Testamento adumbratur, 187; plene

in Novo revelatur, 190; a Patribus edocetur, 197; etiam Ante-Nicænis, 199; praxi Ecclesiæ confirmatur, 201; rationi non adversatur, 223; comparationibus et analogiis illustratur, 227.
Tritheitæ, I, 183.
Tyndall de spontaneâ generatione, I, 284, n. 1.

Ubiquistæ, I, 468.
Unio hypostatica, I, 448; variis modis impugnata fuit, 451; Scripturâ et Traditione demonstratur, 454; rationi non opponitur, 470; sed maxime convenit, 474; consectaria unionis hypostaticæ, 460.
Unitarii de Trinitate, I, 195, 224-226; de peccato originali, 375; de divinitate Christi, 416; de satisfactione vicariâ Christi, 524, 529, 530; de gratiâ, II, 24; de sufficientiâ naturæ ad tentationes superandas, 43; ad justificationem, 49; de Sacramentis, 159, n. 2; de inefficaciâ Baptismi, 231, n. 5; de Cœnâ, 308.
Unitas matrimonii, II, 656.
Universalistæ pœnarum æternitatem negant, II, 696.
Unus de Trinitate crucifixus est, I, 467.

Verbum est persona a Patre distincta Patrique consubstantialis, I, 206; v. *Filius Dei*. Verbum hypostatice humanæ naturæ unitum, I, 454; non mutatur per Incarnationem, 471; v. *Christus*, *Incarnatio*, *Redemptio*.
Veritas revelata formaliter, I, 14, virtualiter, 18.
Viaticum sedulo ministrandum, II, 398; quomodo? 398.
Vinum eucharisticum, II, 377; aqua vino miscenda, 379.
Virchow de ingenio hominis quaternarii, I, 363, n. 1.
Virginitas pro Deo suscepta matrimonio præstat, II, 636.
Virtutes in justificatione infusæ II, 124.
Visio beatifica, II, 725; ejus existentia, 727; tempus quo conceditur, 729; ejus objectum, 730. Hæc visio est vere supernaturalis, I, 363; non autem homini impossibilis, 349.
Vita gratiæ, II, 116.
Voluntas Dei malum non intendit sed permittit, I, 141; libera est in operibus ad extra, 144; voluntas beneplaciti et signi, 146; antecedens ac consequens, 146; voluntas Dei salvifica, 155.

Wallace de necessitate Dei interventûs pro creatione animæ humanæ, I, 330, n. 1.
Wegscheider de peccato originali, I, 399, n. 1.
Wellhausen de creatione, I, 266, n. 6.
Westmonasteriensis Confessio, de corruptione humanæ naturæ, II, 35, n. 4.
Wilberforce de divinitate Christi, I, 446, n. 3.
Wiseman de verbis institutionis, II, 318, n. 2, 324, n. 2.
Woolsey, protestans, de divortio, II, 673, n. 2.
Zwinglius de Sacramentis, II, 176; de Cœnâ Domini, 307, n. 3.

Excerpta e decreto S. C. Concilii,

11 Maii 1904, "Ut debita" de missis manualibus[1]

S. C. decernit: "1° Neminem posse plus missarum quærere et accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario diœcesano, aut Prælato regulari.

2° Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missâ unâ, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, juxta majorem vel minorem numerum missarum.

3° Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptæ obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salvâ tamen semper contrariâ offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam deposcant, aut longius tempus concedant, aut majorem missarum numerum sponte suâ tribuant ...

5° Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere ... posse eas tribuere præterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi bene visis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione majoribus.

6° Qui missas cum suâ eleemosynâ proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesiâ relevari. — Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suæ fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractæ celebrationis fidem non sint assecuti; adeo ut si ex eleemosynæ dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex aliâ quâlibet etiam fortuitâ causâ in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missis satisfacere teneatur ...

8° Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, necnon venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibus-

---

[1] *Manuales* Missæ, ex citato decreto, intelligendæ sunt illæ quas fideles, *oblatâ manuali stipe*, celebrari postulant. Inter manuales etiam recensentur quæ alicujus familiæ patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed *in nullâ ecclesiâ sunt constitutæ*, ita ut a quolibet sacerdote et in quolibet loco applicari possint. *Ad instar manualium* dicuntur quæ in aliquâ ecclesiâ constitutæ aut alicui beneficio annexæ sunt, sed ita tamen ut non in hâc ecclesiâ aut ab ipso beneficiario applicari debeant: hæ proinde aliis sacerdotibus celebrandæ tradi possunt.

libet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem ...

9° Juxta ea quæ in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis (quæ ad instar manualium celebrantur) eleemosynam juxta sequentes articulos propriam[1], nunquam separari posse a missæ celebratione, neque in alias res commutari aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie suâ esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, formâ vel a quâlibet auctoritate concessis et huic legi contrariis.

10° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas est atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicujus commercii vergat.

11° Item sine novâ et speciali S. Sedis veniâ (quæ non dabitur nisi ante constiterit de verâ necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur.

12° Qui autem statuta in præcedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis prætextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatæ et ipso facto incurrendæ obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subjacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latæ sententiæ Episcopo reservatâ obstringetur ".

Novum decretum de frequenti communione suo loco expositum, p. 420-424, invenies.



---

[1] Ex articulo 15° ejusdem decreti, hæc eleemosyna, quoad missas *beneficiis adnexas*, est stipendium ordinarium loci in quo beneficia erecta sunt; quoad missas *fundatas*, est stipendium in fundatione vel in successivo reductionis indulto taxatum, salvis tamen juribus legitime recognitis fabricarum ecclesiarum vel earum rectorum.

S. C. de Sacramentis. — Decretum de ætate admittendorum ad primam Communionem eucharisticam.

(8 Aug. 1910)

I. Ætas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique præcepto Confessionis et Communionis.

II. Ad primam Confessionem et ad primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinæ christianæ cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suæ intelligentiæ gradatim addiscere.

III. Cognitio religionis quæ in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se præparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat ut ea devotione, quam ipsius fert ætas, ad SS. Eucharistiam accedat.

IV. Obligatio præcepti Confessionis et Communionis quæ puerum gravat, in eos præcipue recidit qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero, aut ad illos qui vices ejus gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

V. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessariive consensu, ut supra dictum est, jam antea primitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et præparationis præmittantur.

VI. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram

mensam sæpius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert ætas. Meminerint præterea quibus ea cura est gravissimum quo tenentur officium providendi ut publicis catechesis præceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorumdem religiosæ institutioni alio modo suppleant.

VII. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis juris, curabunt ut penitus de medio tollatur.

VIII. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab hujusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.

Hæc a PP. Cardinalibus Sacræ hujus Congregationis sancita SSmus D. N. Pius Papa X, in audientia diei VII currentis mensis, omnia adprobavit, jussitque præsens edi ac promulgari decretum. Singulis autem Ordinariis mandavit ut idem decretum, non modo parochis et clero significarent, sed etiam populo, cui voluit legi quotannis, tempore præcepti paschalis, vernacula lingua. Ipsi autem Ordinarii debebunt, unoquoque exacto quinquennio, una cum ceteris diœcesis negotiis, etiam de hujus observantiâ decreti ad S. Sedem referre (1).

(1) In plerisque Galliæ diœcesibus, ex statuto a Sa Sede approbato, duplex erit pro pueris communio : (a) *privata*, absque sollemnitate, sed frequens et quandoque generalis, pro iis qui sufficienter præparati ad normam præfati decreti, promittunt assidue catechismis assistere, accedente etiam parentum promissione quod huic assiduitati promovendæ invigilabunt; (b) *sollemnis*, modo et ætate hucusque assuetis.

Excerpta ex anglicis auctoribus.

De Gratiâ.

N. 33. *Imbecillitatem hominis lapsi* ad bonum naturale faciendum ita limitant hodierni *Calvinistæ :* " It is admitted in all the confessions above quoted that man, since the fall has not only the liberty of choice or power of self-determination, but also is able to perform moral acts, good as well as evil. He can be kind and just, and fulfil his *social* duties in a manner to secure the approbation of his fellow-men. It is not meant that the state of mind in which these acts are performed, or the motives by which they are determined, are such as to meet the approbation of an infinitely holy God ; but simply that these acts, as to the *matter* of them, are prescribed by the moral law ". (*Hodge*, Systematic Theology, vol. II, p. 263.)

N. 49. *Unitarii negant necessitatem gratiæ ad justificationem*, quia hæc est solum naturalis conversio ad Deum : " By repentance we do not mean sorrow or contrition, but simply turning round whenever we are going wrong, and beginning at once to go right. This is something in every man's power, and this makes him a Christian ". (*J. Clarke*, Orthod. p. 185).

N. 62. *Difficultatem perseverantiæ*, etiam in minimis, præclare *Newman* variis comparationibus illustrat : " This is what we find to be the case, not only in matters of religion, but of this world, viz., that, let a person do a thing ever so well, the chance is that he will not be able to do it a number of times running without mistake. Let a person be ever so good an accountant, he will add up a sum wrongly now and then, though you could not guess beforehand when or why he was to fail... So it is with our religious duties ; we may be able to keep from every sin in particular as the particular temptation comes, but this does not hinder its being certain that we shall not in fact keep from all sins, though that " all " is made up of those particular sins " etc.; totus locus legendus est (Discourses to Mixed Congreg. dis. VII, Perseverance in Grace).

N. 93. *Calvinistæ* etiam *hodierni* tenent *hominem liberum non esse sub influxu gratiæ :* " It will of course be admitted that, if efficacious grace is the exercise of almighty power, it is *irresistible* " (*Hodge*,

Systematic theol., vol. II, 687). — Sed multi *Lutherani* hodie id negant: "This is especially evident in that most important era of human life, conversion. Therein we see how grace differs from mere power; how it does not work irresistibly and by force, but has regard to human freedom, gives it a power of choice, of deciding, an alternative of either — or *gratia trahit, non cogit.* It is immanent grace, in the yielding heart of man, which constrains free will to surrender itself to the grace which seeks an entrance, which enables it to open to its influence, like the flower which opens to the sunbeam; yet it is the internal power of the natural will which bears witness that the natural will is not a mere name but a reality, and that it can close the heart against the operations of grace, and shut itself up in a self-chosen darkness". (*Martensen*, Christian Dogmatics, Edinburg, 1898, § 204).

N. 116. *De sufficientiâ fidei ad justificationem* scribit anglicanus *Faber* (Primitive doctr. of justific. XIX): "The Church of England, and all the other reformed Churches, make the procuring cause of justification to be the extrinsic righteousness of Christ apprehended and appropriated by the instrumental hand of faith". Cf. *Newman's* Lect. on Justific. lect. I. — Hodierni *Lutherani* ita mentem suam exponunt. "The evangelical principle that faith alone justifies rests upon the presupposition that Christ alone justifies. It is only in virtue of the righteousness of Christ, in virtue of the new fundamental relationship with Christ, that man can be reconciled to his God; and by faith alone, as the profoundest act of susceptibility and subjectiveness on the part of the inner man of the heart, can Christ be appropriated; by faith alone can man obtain blessedness in its indissoluble completeness". Attamen hæc *fides bona opera suo tempore producit:* "Justifying faith cannot possibly exist in the soul in a dead or merely stationary condition, but that, like the living fruit-bearing seed corn, it contains within itself a mighty germinating power which must necessarily beget a holy development of life". (*Martensen*, op. cit. § 231).

N. 127. *De naturâ justificationis* recenter scribebat calvinista: "Justification is a robe which hides, or as the Bible expresses it, covers from the eye of justice the sins of the believer. They are sins, they deserve the wrath and curse of God, but the necessity for the infliction of that curse no longer exists" (*Hodge*, Syst. theol. vol. III, p. 163). — "Justification is a judicial or forensic act, i. e. an act of God as judge proceeding according to law, declaring that the sinner is just, i. e. that the law no longer condemns him, but acquits and pronounces him to be entitled to eternal life... The righteousness of Christ is in justification imputed to the believer, that is set to his account" (*Hodge*, l. cit. 118-119).

N. 133. Textum S. Pauli de naturâ justificationis (*Rom.* V, 19) sic exponit anglicanus *Alford* (Greek Test. in h. loc.): "*Were made*, not were accounted as, nor became by imputation, nor were proved to be

sinners... *be made righteous*, not by imputation merely, any more than in the other case, but shall be made really and actually righteous, as completely so as the others were made really and actually sinners. When we say that man has no righteousness *of his own*, we speak of him as *out of Christ:* but *in Christ*, and united to him, he is *made righteous*, not by a fiction, or *imputation only* of Christ's righteousness, but by a real and living spiritual union with a righteous Head as a righteous member, righteous *by means of*, as an effect of, the righteousness of that Head, but not merely righteous by transference of the Rigtheousness of that Head".

N. 134. *Deus, declarando nos justos esse, eo ipso nos justos facit*, ut diserte ostendit *J. H. Newman* (op. cit. p. 78): "Strange it is, but such is the opinion of one of the two schools of divinity which have all along been mentioned, that God's calling us righteous implies, not only that we have not been, but that we shall never be, righteous. Surely it is a strange paradox to say that a thing is not because He says it is; that the solemn averment of the living and true God is inconsistent with the fact averred; this His accepting our obedience is a bar to His making it acceptable, and that the glory of His pronouncing us righteous lies in His leaving us unrighteous".

N. 154. *Quid sit gratia habitualis* variis comparationibus declarat *Scheeben*, Glories of divine grace, p. 66-67: "The garb of grace, however, is not only superadded to the soul exteriorly as is the bodily raiment, it invests and penetrates the soul at the same time, as the glow of fire penetrates the iron. Grace communicates a new quality to the soul, by which it is transformed into the image of God. This new quality is called the new, higher nature of the soul... As a tree of ordinary kind by the inoculation of a superior bud takes the nature of this bud, and brings forth its blossom and fruit, so our soul is in the highest manner ennobled by the communication of God's grace, which is called in Holy Writ the seed of God, and filled with the power of God, it assumes a divine nature".

N. 193. *Hodierni Protestantes*, dum omne *meritum denegant*, docent tamen *bona opera a Deo remunerari:* "The passage in Luke XVII, 10, is relied upon as proving that a creature can in no case perform a meritorious act, i. e. an act which lays a claim in justice for a reward. Our Lord there says, "When ye shall have done all those things which are commanded you, say "We are unprofitable servants: we have done that which was our duty to do"... But although Protestants deny the merit of good works, and teach that salvation is entirely gratuitous, that the remission of sins, adoption into the family of God, and the gift of the Holy Spirit are granted to the believer, as well as admission into heaven, solely on the ground of the merits of the Lord Jesus Christ; they nevertheless teach that God does reward his people for their works. Having graciously promised for Chrit's sake to overlook the imperfection of their best services, they have the assurance founded

on that promise that he who gives to a disciple, shall in no wise lose his reward. The Scriptures also teach that the happiness or blessedness of believers in a future life, will be greater or less in proportion to their devotion to the service of Christ in this life" (*Hodge*, op. cit. vol. III, p. 244).

De Sacramentis in genere.

N. 26. *Convenientiam septem sacramentorum* sic poetice describit *Gœthe* (Auto-Biography, Bohn's translat. vol. I, p. 245-248) : "Here a youthful pair give their hands to one another... the priest pronounces his blessing upon them, and the bond is indissoluble. It is not long before this wedded pair bring a likeness to the threshold of the altar ; it is purified with holy water, and so incorporated into the church that it cannot forfeit this benefit but through the most monstrous apostasy. The child in the course of life practices himself in earthly things of his own accord, in heavenly things he must be instructed. Does it prove, on examination, that this has been fully done, he is now received into the bosom of the church as an actual citizen, as a true and voluntary professor, not without outward tokens of the weightiness of the act. Now is he first decidedly a christian, now for the first time he knows his advantages, and also his duties. But, in the meanwhile, much that is strange has happened to him as a man ; through instruction and affliction he has come to know how critical appears the state of his inner self, and there will be constantly a question of doctrines and of transgressions ; but punishment shall no longer take place. For here in the infinite confusion in which he must entangle himself, amid the conflict of natural and religious claims, an admirable expedient is given him, in confiding his deeds and misdeeds, his infirmities and doubts, to a worthy man appointed expressly for that purpose, who knows how to calm, to warn, to strengthen him, to chasten him likewise by symbolical punishments, and at last by a complete washing away of his guilt, to render him happy and to give him back pure and cleansed, the table of his manhood..." Pergit auctor ostendendo quomodo alia sacramenta hominis desideria vere impleant, et ita connectantur ut unum sit veluti præparatio ad alterum, et his concludit verbis : "How is this truly spiritual connection shattered to pieces in Protestantism, by part of the above mentioned symbols being declared apocryphal, and only a few canonical ! And how, by their indifference to one of these will they prepare us for the high dignity of the others ?"

De Baptismo.

N. 10. Hodierni Protestantes cum Catholicis generatim admittunt *baptismum Christi a baptismo Joannis differre :* "The Socinians and the Arminians took the Roman-Catholic position, which is doubtless correct on scriptural grounds alone, and agrees with the confession of

the Baptist (*Matt.* III, 11), the statement of Christ himself as to the relation of the same to the kingdom (*Matt.* XI, 11), and with the apostolic ideas that Christ gave a new spirit to mankind, that it dwells in his Church, and that the object of baptism is the reception into the communion of this spirit" (*Schaff-Herzog* Encyclopædia, p. 200).

N. 12. *Quakerorum* doctrina de spirituali baptismo sic exponitur a *R. Barclay*, Theologiæ veræ Christianæ Apologia : "As there is one Lord and one faith, so there is one Baptism ; which is not the putting away the filth of the flesh, but the answer of a good conscience before God, by the resurrection of J.-C. And this baptism is a pure and spiritual thing, to wit : the baptism of the Spirit and Fire, by which we are buried with him, that being washed and purged from our sins, we may walk in newness of life : of which the Baptism of John was a figure, which was commanded for a time, and not to continue for ever" (op. cit. prop. XII).

N. 17. *Contra Baptistas*, qui contendunt vocem Βαπτίζω nihil aliud significare posse nisi immersionem, hæc subjicimus ex opere *Greek and english Lexicon of the N. T.* by E. Robinson, New-York, 1850, p. 118-119 : "While in Greek writers, as above exhibited, from Plato onwards, Βαπτίζω is everywhere *to sink*, *to immerse*, *to overwhelm*, either wholly or *partially;* yet in hellenistic usage, and especially in reference to the rite of baptism, it would seem to have expressed not always simply *immersion*, but the more general idea of *ablution* or *affusion*. This appears from the following considerations : *a*) The circumstances narrated Luke 11, 38, compared with those in Mark 7, 2-4 where νίπτω is employed, implying according to oriental custom a pouring of water on the hands... *b*) In Acts 2, 41 three thousand persons are said to have been baptized at Jerusalem apparently in one day at the season of Pentecost in June ; and in Acts 4, 4 the same rite is necessarily implied in respect to five thousand more. Against the idea of full immersion in these cases there lies a difficulty, apparently insuperable, in the scarcity of water. There is in summer no running stream in the vicinity of Jerusalem, except the mere rill of Siloam a few rods in length; and the city is and was supplied with water from its cisterns and public reservoirs. From neither of these sources could a supply habe been well obtained for the immersion of eight thousand persons". Cfr. *Robinson*, Biblical Researches in Palestine, 1a ed. vol. I, pp. 479-516.

De SS. Eucharistiâ.

N. 17. *Præsentiam Christi realem* in Eucharistiâ ex *institutionis verbis* clare inferri sic exponit *Card. N. Wiseman :* "We believe that the body and blood of Jesus Christ are truly and really present in the adorable Eucharist, because, taking bread and wine, he who was Omnipotent, said, "This is my body, this is my blood". Here is our argument ; and what can we advance, to prove a strict accordance

between our doctrine and that of our Saviour, stronger and clearer, than the bare enunciation of our dogma beside the words which he used in delivering it. "This is my body", says our Lord; "I believe it to be thy body", replies the Catholic. "This is my blood", repeats our Redeemer; "I believe it to be the *figure* of thy blood", rejoins the Protestant. Whose speech is here *yea, yea?* who saith *amen* to the teaching of Christ? Is it the Catholic or the Protestant"? (Lectures on the Real Presence, lect. V.)

N. 33. *Impossibile fuisse* ut doctrina de *reali Christi præsentiâ* absque contradictione *in Ecclesiam introduceretur* sic declarat vir minime suspectus, *Lessing*, (Berengarius of Tours, complete works, ed. *Lachmann*, vol. VIII, p. 814): "If it be true, as Zwinglius asserts, that the doctrine of merely external signs was the primitive and original doctrine of the Church, how was it possible that it should suddenly have given rise to the doctrine of transsubstantiation? Would not this have been a dangerous leap in the dark, such as the human reason never takes, even in its most unaccountable wanderings from the truth? And in order to avoid taking it, should we not in our own case have approached the doctrine of transsubstantiation by a more consistent, if less direct course? Should we not have gone on from merely external signs to *pregnant signs*, as we will call them for the sake of brevity, or to such as are full of meaning and hidden virtue? And having assumed this much, we should then have passed from signs to *reality*. The process would then be this: first came the belief in *merely external signs;* next the belief in signs possessing a virtue; and finally, a substituting for any sign whatever the reality or the thing itself. Now the question arises, how did it come about that the transition was made from the first to the second stage without exciting comment or being the occasion of a controversy, while the transition from the second to the first, effected, as we are told, by Paschasius, was the occasion of much trouble and quarrelling? This is the more remarkable, since the former would have been more offensive than the latter to the faith and religious feelings of the people. Now, as it is absolutely certain that the first leap in this supposed course of intellectual gymnastics was not the occasion of either protest or controversy, it is but natural to infer that no such course ever took place at all, and that the doctrine of the Church was from the beginning what it is to day".

N. 60. Eos qui dicunt *transsubstantiationem esse creditu impossibilem* sic redarguit Card. *Newman* (Apologia, part. VII): "People say that the doctrine of transsubstantiation is difficult to believe... It is difficult, impossible to imagine, I grant — but how is it difficult to believe?... For myself, I cannot indeed prove it, I cannot tell *how* it is; but I say, Why should not it be? What's to hinder it? What do I know of substance or matter? Just as much as the greatest philosophers, and that is nothing at all; so much is this the case, that there is a rising school of philosophy now, which considers

phenomena to constitute the whole of our knowledge in physics. The catholic doctrine leaves phenomena alone. It does not say that the phenomena go; on the contrary, it says that they remain; nor does it say that the same phenomena are in several places ot once. It deals with what no one on earth knows anything about, the material substances themselves".

N. 157. Verbum *minchah de veris sacrificiis* prædicari sic exponit protestans auctor, *A. Cave* (The Scripture doctrine of sacrifice, 1877, p. 479) : "*Minchah*, from a root *manach*, *to give*, is used in a variety of senses, each however being perfectly clear from the context, and having the same fundamental idea. It is sometimes employed to designate the *meal* or *meat-offering* of Leviticus; sometimes it has a slightly wider significance, and stands for *bloodless* as opposed to blood sacrifices, e. g. *Ps.* XL, 7; *Isa.* XIX, 21; *Dan.* IX, 27. Occasionally a blood sacrifice, such as the morning or evening offering of a lamb, is intended, e. g. 1 *Kings*, XVIII, 29; 2 *Kings*, III, 20; *Ps.* CXII, 2; *Dan.* IX, 21".

N. 158. *Ultimam Cœnam fuisse sacrificium* ita probat idem protestans auctor : "That the Lord's supper was intended by its Founder to be understood as in some way connected with the ancient sacrifices may be inferred from the following particulars : first, the time of its institution; second, the symbols selected; and third, the words addressed to the communicants... The Lord's supper was in some sense a sacrifice that is to say, it had some manifest connection with the sacrificial injunctions propounded by Moses... The sacrifice of the Lord's supper was thus a sacrifice allied to the Paschal sacrifice, but memorializing the atonement wrought by the death of Jesus". (*A. Cave*, op. cit. 432-439).

N. 159. *Missam a Patribus ut sacrificium* habitum fuisse candide fatentur eruditi Protestantes : "The Lord's supper was universally regarded not only as a sacrament, but also as a sacrifice, the true and eternal sacrifice of the new covenant, superseding all the provisional and typical sacrifices of the old : taking the place particularly of the passover, or the feast of the typical redemption from Egypt". (*P. Schaff*, History of the Christian Church, Vol. II, 1892, p. 245).

De Pœnitentiæ Sacramento.

N. 67. Anglicani, præsertim Ritualistæ, confessionem ut utilem, sed non ut necessariam agnoscunt; "In the Anglican Church Absolution — for we have no Sacrament of Penance in the Roman sense of the word — is a simple privilege of the faithful. To make confession privately to a priest is not matter of obligation; it is not a general duty; it is not enforced; it is not recommended for general use; its practice gives no right to self-laudation on the ground of a higher status in duty to the Church, nor may they who decline to do so be justly charged

with shortcoming in their duty". (*Morgan Dix*, The Sacramental System, p. 99).

N. 70. *Protestantes confessionis originem* sic hodie explicare conantur: "Private confession originated in the monastery, where only transgressions of the rules of the order were subject to public confession and penance. According to its idea, monastic life presupposes all sin impossible but sin in thought, and this was to be confessed privately to the Abbot... Outside the monastery, private confession at first met with opposition from the side of the clergy. The Bishops of Apulia and Campania demanded that sins confessed in private should be made publicly known to the congregation; and it was this demand which first caused Leo the Great to officially recognize and confirm private confession as a legal institution. In the eighth and ninth centuries the practise thus legalized was made compulsory". (*Schaff-Herzog*, Encyclop., p. 530.)

N. 72. *Confessionis sacramentalis utilitatem* agnovit anglicanus *H. P. Liddon*: "*Christ Church, Oxford*, March, 1883. *My dear* —: ... I have myself used confession whenever I have needed it ever since 1847, and have never regretted it. I think it braces the soul as nothing else does, while the absolution that follows is a more direct and peremptory application of the absolving power left by Our Lord to his Church than the more general formulæ of the Daily and Communion Services. I have felt too, as regards my own case, that Bishop Butler's general doctrine about the *safer* course in questions of conduct points distinctly to the practise... Notwithstanding the finiteness and imperfections of the earthly minister, and the omniscience and tenderness of our great High Priest in heaven, the former does, by Christ's commission, help us, if we will, to repent and make a great moral effort which is not made so easily when we are alone".

N. 121. Quo sensu *taxa solvi debeat pro absolutione a censuris* egregie exponit *J. H. Newman* (The Present position of Catholics in England, 1889, p. 112-113): "I repeat, the Catholic who perpetrates any great and public sin offends his Maker, and offends his ecclesiastical society; the injury against his Maker is punished by an *ipso facto* separation from His favour; the injury against Society when it is visited at all, is visited by excommunication or other spiritual infliction... Repentance is required on the part of the offender for both restorations; but the *sin* is forgiven, and its punishment remitted only in one of them, viz. in the Sacr. of *Penance;* and in this sacrament, in which is the only real pardon, no money is, or ever can be paid. The Sacrament cannot be bought: such an act would be a horrible crime... Neither for sins committed, nor sins to come, has money ever been taken as an equivalent for one no more than for the other. On the other hand it is quite true that the injury done to the Church, when it happens to be visited with a censure (which is not a common case), has certainly sometimes been compensated by the performance of some

good work and in the number of such works, almsdeeds and religious offerings are included ".

De Ordine.

N. 3. *Calvinistæ et Liberales tenent omnes fideles esse sacerdotes*, ut videre est apud *W. Lyon*, A study of the sects, p. 47 : " All Calvinistic Protestants and their descendants hold that all believers are priests alike, and receive grace directly from God, not through sacerdotal agency. Their ministers are chosen by the congregations, though under certain restrictions where a power is recognized above the Congregation, as by the Presbyterians, and differ from their brethren only officially and by natural gifts or special education ".

Lutherani ex adverso *discrimen admittunt inter laicos et sacerdotes :* " The general priesthood of Christians does not exclude a special priesthood, which was required by the Christian community for its due administration ; and though Our Lord did not set apart a special and direct form of consecration for those who should be pastors and teachers, yet the ordination to the priestly office appears even in the Apostolic Church as an appointment of the Spirit. In the Lutheran Church preachers are ordained according to the apostolic method by laying on of the hands of the brethren — an emblem of the bestowment of spiritual gifts, — yet we cannot rank priestly orders on the same footing with the sacraments properly so called, and we cannot suppose that extraordinary gifts are connected therewith, as they were in the apostles' time ". (*Martensen*, Christian Dogmatics, § 272).

Inter Anglicanos, *Ritualistæ docent ordinationem esse sacramentum :* " Orders, or Ordination, may be defined as a sacred rite or Sacrament of the New Law, instituted by Christ, by which spiritual power is conferred for effecting and administering the Sacraments, and grace given rightly to perform other ecclesiastical functions. That it is a sacrament has been disputed by some, but without sufficient reason, since it was evidently instituted by Christ himself, with outward signs, and does confer grace ". (*A. Mortimer :* Catholic Faith and Practice, vol. II, New York, 1898, p. 79).

De Matrimonio.

N. 6. *Moderni Protestantes libenter agnoscunt Matrimonium religiosam esse institutionem :* " Marriage is not a sacrament in the sense in which baptism and the Lord's Supper are sacraments, nor in the sense of the Romish Church ; but it is none the less a sacred institution. Its solemnization is an office of religion. It should, therefore, be entered upon with due solemnity and in the fear of God ; and should be celebrated, i. e. the ceremony should be performed by a minister of Christ. He alone is authorized to see to it that the law of God is adhered to ; and he alone can receive and register the Marriage vows as made to God ". (*Hodge*, Systematic theol. vol. III, p. 377). *Ritualistæ* autem contendunt Matrimonium esse *unum e minoribus sacramentis :* " So

with holy Matrimony. In the case of that sacred rite we are happily able to point to the authorized use of the title; it is spoken of as "a sacrament which knitteth man and wife in perpetual love" (Book of Homilies). Holy Matrimony is "an honorable estate, instituted of God in the time of man's innocency, signifying unto us the mystical union between Christ and His Church, which holy estate Christ adorned and beautified with His presence and first miracle that He wrought in Cana of Galilee". How appropriately, how rightly, it is called among us the "Sacrament of Matrimony"! (*Morgan Dix*, sacramental System, p. 87-88).

N. 54. Nonnulli Protestantes recte intelligunt *nil deduci posse ex Matt. XIX,9, contra matrimonii indissolubilitatem;* ita v. g. *E. J. Phelps* (*Forum*, Dec. 1889, p. 359): "The advocates of the theory of divorce *a vinculo* for adultery alone, base their views on what is claimed to be the precept of Christ as given in S. Matthew's Gospel, and upon the idea that some moralists entertain of the peculiar heinousness of that offense against the marriage relation; as compared with any other. In the text of St Matthew, Christ is reported to have said: "Whosoever shall put away his wife, *save for fornication*, and shall marry another, committeth adultery". But in the Gospels of St Marc and St Luke, the words here italicized are omitted, and the language as there given is a distinct condemnation of the putting away a wife for any cause whatever, *and marrying another*. By what authority, intelligible to a layman, is the statement of St Matthew accepted and that of St Mark and St Luke rejected? Both cannot be right. Is it more likely that the two are mistaken than the one?"

N. 59. Plerumque *mulier plusquam vir divortii incommoda patitur:* "Woman is more than man the victim of the degradation which divorce entails. Men can withdraw from conjugal society with all the advantages of his strength and his authority in order to enter upon new ties; woman cannot withdraw from it with all her dignity. She leaves behind her best possessions, her maiden beauty and the charms of her youth, and only regains with difficulty the money she has brought. Who shall seek this withered plant, whose freshness is gone, and who is cast out from the family she has born, when she can no longer hope to found another?" (*Monsabré*, Marriage, transl. by M. Hopper, 1890, p. 78-79.)

N. 60. *Divortium favet matrimoniis imprudenter contractis:* "Probably many marry now among the humbler classes with the thought in their hearts that, if they do not find it for their happiness, they may break it off, and buy a new ticket in the lottery. Indeed I have been informed by a minister that such language has been used to him by young people in his parish". (*Woolsey*, Divorce, 1882, p. 277.)

N. 60. *Matrimonii indissolubilitatem postulat ipsa natura amoris;* nam, ut recte ait *Paul Janet* (La Famille, p. 300), "in binding love by

the bonds of duty, in making it promise eternal fidelity, the family does not act in contradiction to the nature of love, but obeys rather its own nature. Eternity so truly enters into the nature of love, that love would not venture to ask anything or to give anything without promising eternity. Its first acts are always oaths of fidelity without end, and even when it practises deception, it is obliged to use feigned words, or it would obtain nothing... It is urged that the heart has rights, and that the wows of eternity are impossible. I acknowledge that love has rights for the forming of the conjugal union, but it has none at all for dissolving it. To the principle of the heart's liberty, we must oppose that of the heart's fidelity; and herein we assign to it an office more beautiful, and a glory more pure, than if we claimed for it the privilege of giving itself up to chance, and of changing its object without ceasing... I confess that to require of the heart an attachment which cannot be given up, demands grave reasons. I discern two such, which appear to me irrefutable: the dignity of the wife, and the interest of the children".

Divortium leves discordias auget ac adulterio favet: "How many frivolous quarrels and disgusts are there, which people of common prudence endeavour to forget when they lie under the necessity of passing their lives together, but which would be soon inflamed into the most deadly hatred, were they pursued to the utmost, under the prospect of an easy separation. We must consider that nothing is more dangerous than to unite two persons so closely in all their interests and concerns as husband and wife, without rendering the union entire and total. The least possibility of a separate interest must be the source of endless quarrels and suspicions. The wife, not secure of her establishment, will still be driving some separate end or project, and the husband's selfishness, being accompanied with more power, may be still more dangerous". (*Hume*, Essay XIX.)

"It is notorious that the desire to be rid of a relation that has ceased to be pleasant, leads many a man, and not a few women, to conduct either intended to bring about that result, or recklessly entered upon in the feeling that if it take place, it will not be unwelcome. Chancelor Kent observed that, in acting judicially in a large number of divorce cases, he had reason to believe that adultery was sometimes committed by the husband for the very purpose of the divorce. The history of the subject in other countries goes to prove that immorality increases as facilities for divorce are enlarged. They are a stimulus to it, not a preventive". (*E. Phelps*, Forum, Dec. 1889, p. 363).

N. 61. *Divortium bonæ educationi prolis nocet:* "There must be two persons to cause the dawn of life, two to guide it to its complete development. A father alone is authority too severe, reason too cold, strength too weighty; a mother all alone is love without restraint, gentleness without guidance, tenderness without correction. Both are needful for education. Nature has joined and mingled them together

as two elements which complete each other, and whence light and heat spring forth in the soul of the child". (*Monsabré*, op. cit. p. 57-58.)

N. 62. *Divortium familiæ pacem disturbat:* "The happiness of the state lies in the peace and concord of citizens, in the good understanding between different families. Marriage, by uniting two persons, draws together parents, friends; by rendering two persons happy, it makes twenty friends. Divorce comes; it makes twenty mortal enemies. It excites the relatives, the friends of the wife against the hushand, against his family and his friends. Marriage had mingled their interests, strengthened their fortunes. Divorce comes to divide these interests, overturn their fortunes, raise discussions, provoke lawsuits"... (*Barruel*, Lettres sur le divorce.)

De Deo Remuneratore.

N. 9. *Unitarii ac Universalistæ pœnarum æternitatem negant:* "We believe that there is one God, whose nature is love, revealed in one Lord, J. Christ by one Holy Spirit of grace, who will *finally restore the whole family of mankind to holiness and happiness*". *Profession of faith* 1803, art. II, apud *H. Lyon*, A study of the sects, p. 160).

"Unitarians oppose the common doctrine of everlasting punishment as being hostile to the sovereignty, wisdom, justice and mercy of the divine Being, and also as limiting the redeeming power of Christ and his Gospel. They believe that the object of punishment being reformatory, it will only continue until the sinner shall be reformed" (*Clarke*, Man. of unit. p. 62).

N. 21. Deus, licet misericors, justus est remunerator: "Now conscience suggests to us many things about that Master, whom by means of it we perceive, but its most prominent teaching, and its cardinal and distinguishing truth, is that he is our Judge. In consequence, the special attribute under which it brings Him before us, to which it subordinates all other attributes is that of justice — retributive justice. We learn from its informations to conceive of the Almighty. primarily, not as a God of wisdom, of knowledge, of power, of benevolence, but as a God of judgment and justice; as One, who, not simply for the good of the offender, but as an end good in itself, and as a principle of government, ordains that the offender should suffer for his offence". (*Newman*, Grammar of Assent, ed. 1887, p. 390-391.)

N. 22. *Infernus iis reservatur qui pertinaciter peccato mortali usque ad finem vitæ adhærent:* "Hell, the true and awful Hell, is for grievous or mortal sin. With Catholics there is no hesitation as to what is meant by mortal sin. It is that complete rejection of God which involves the extinction of sanctifying grace, which is the soul's life. It may not be always easy to tell whether this or that act is really a mortal sin... The difficulty is to know whether the personal circumstances of knowledge, advertence and consent are such as to impart to the act of aversion from God sufficient completeness to plunge the soul into the darkness of

spiritual death... When one considers how much sin is due to ignorance not fully culpable, to sudden gusts of passion which diminish the power of reason, to actual inadvertence of the grievousness of a given act, and to the dimly appreciated connection of act with act — and when one takes into account those turnings of the heart to God, which come at some period or other to most of those, sinners as they may be, who have known God in their youth, we see at once that it is unnecessary to go to extreme lengths in condemning the multitudes to Hell". (*Dublin Review* jan. 1881, p. 133).

N. 29. *Quo melius concipi possit quomodo ignis inferni realis sit*, hæc animadvertit *Martinet:* "No violent passion is ever enkindled in the soul, that the flames of it do not communicate without. Despair above all others, presents the symptoms of a true confragration. The eyes flash; the blood, boiling in the veins, spreads fire to the extremities, and if it is not carried off, the organization is dissolved in the midst of a devouring fever. Let us imagine now in the superior faculties of man the fire of despair, as intense at it will be in the condemned, when he contemplates, by necessity, the immensity of his misfortune in the greatness and beauty of the God whom he has lost. Let us suppose also in his material organization, that tenacity which divine power will give to the resuscitated body, and which will enable it to suffer all the anguish of death without dying, and we can imagine, without difficulty that the condemned soul, united to the body, will carry into it all the elements of an eternal conflagration". (*Martinet*, Religion in Society, New-York, 1850, vol. I, p. 90-91.)

N. 36. *Quoddam Purgatorii genus hodierni Protestantes nonnulli admittunt. Farrar* ipse (Et. Hope, p. XVII) scribit: "If indeed that doctrine consisted in nothing else but these words from the Catechism of the C. of Trent... and if the term "fire" may be interpreted immaterially, as the Eastern Church and Western theologians of all ages have decided that it may, then there would be nothing in the doctrine of Purgatory which seems to me in any way inconsistent with Scripture, while it certainly is consistent with a very ancient belief of the Church, and with the all but universal usage of prayers for the dead". Nec aliter *C. Butler:* "Do not all who call themselves *rational Protestants* think with us that, to use the language of Dr Johnson, the generality of mankind are neither so obstinately wicked as to deserve everlasting punishment, nor so good as to merit being admitted into the society of the blessed spirits; and that God is therefore graciously pleased to allow a middle state, where they may be purified by a certain degree of suffering". (*Charles Butler*, apud *Oxenh.* Catholic Eschatology, p. 40.)